Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXIX.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Londini apud Io. Nourſe. Lugduni Bat. Fratres Luchtmann. Pariſiis Barroi ſenior. Auguſtae Taurinor. Giraud et Gravier. Venetiis I. B. Paſcali. Milano Ioſ. Galeazzi, et Vpſaliae apud Magn. Sweterum.

QH
7
C66
v.23
SCNHRB

I.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Tomus XX. pro anno MDCCLXXV. Petropoli typis Academiae Scientiarum MDCCLXXVI. 4to. pagg. 643. praeter ſummarium. Tabb. aeneae 20.

Pergimus iam in enarranda horum commentariorum ſumma. Ex mathematum ſcientia ſequentes reperiuntur tractatus.

1. *Aduerſaria analytica miſcellanea de fractionibus continuis.* Auctore DAN. BERNOVLLI. p. 3.

2. *Diſquiſitiones vlteriores de indole fractionum continuarum.* Auctore EODEM. p. 24.

3. *Solutio quorundam problematum diophantaeorum.* Auctore L. EVLERO. p. 48.

4. EIVSDEM *Speculationes analyticae.* p. 59.

p. 80. 5. A. I. LEXELL *de reſolutione polygonorum rectilineorum diſſertatio ſecunda.*
Tab. 1.

p. 123. 6. L. EVLER *obſeruationes circa nouum et ſingulare progreſſionum genus.*

p. 140. 7. EIVSDEM *meditationes circa ſerierum ſingulare genus.*

Hos phyſico mathematica excipiunt, quae ſunt

p. 189. 8. L. EVLER *formulae generales pro translatione quacunque corporum rigidorum.*
Tab. 2. fig. 1.

p. 208. 9. EIVSDEM *noua methodus motum corporum rigidorum determinandi.*
Tab. 2. fig. 3-6.

p. 239. 10. A. I. LEXELL *theoremata nonnulla generalia de tranſlatione corporum rigidorum.*
Tab. 3.

p. 271. 11. L. EVLER *regula facilis pro diiudicanda firmitate pontis aliusue corporis ſimilis ex cognita firmitate moduli.*
Tab. 2. fig. 7-8.

p. 286. 12. *De genuina methodo tam aequilibrium, quam motum corporum flexibilium determinandi et vtriusque egregio conſenſu.* Auctore EODEM.
Tab. 4.

p. 304. 13. *De preſſione funium tenſorum in corpora ſubiecta, eorumque motu a frictione impedito. Vbi praeſertim methodus traditur, motum corporum tam perfecte flexibilium, quam vtcunque elaſticorum non in eodem plano ſitorum determinandi* Diſſ. I. Auctore EODEM.
Tab. 5.

DSI

14. Super eadem re Diſſ. II. Auctore EODEM. p. 327. Tab. 6. fig. 1-5.

15. W. L. KRAFFT *de viribus remorum nouae ſpeciei eorumque comparatione cum remis ordinariis.* p. 343. Tab. 6. fig. 6.

Iam ad eam ſcriptorum accedimus claſſem, quae ad noſtri inſtituti fines propius accedit, ad phyſicam nempe. Quorum epicriſin, cum rerum traditarum praeſtantia ſe commendare ſoleant, pro more noſtro breuiter recenſebimus.

16. C. F. WOLFF *de foramine ouali, eiusque vſu in dirigendo motu ſanguinis. Obſeruationes nouae.* p. 357. Tab. 7. et 8. Praemiſſa ſententia ea, quam adhuc ſuper foramine iſto fouerunt anatomici, dubitationes enarrauit opinioni iſtae repugnantes; quibus dein obſeruationes de illo ſubnectit. Reperit vero foramen ouale duplex, quorum aliud in dextro, aliud in ſiniſtro ſinu hiabat. Diſſecuit ſinum cum ventriculo dextri lateris in parte anteriore, ad prius illorum rectius conſiderandum, illudque ab iſthmo VIEVSSENII proficiſci inque valuulam EVSTACHII finiri reperit. Sinu ſiniſtro vero in parte poſteriori, vbi vaſa pulmonalia inſeruntur, aperto, vidit huius lateris foramen ab eodem iſthmo oriri atque in valuula foraminis oualis hiare. Foramina iſta nullo communicari ductu Noſtro videntur propterea, quod non ſine ſumma difficultate, per foramina iſta ſtilum ex vno ſinu in alterum perducere potuerit. Valuula foraminis oualis remota diſtinctius vidit ſinus minime communicare, ſed vtraque orificia in truncum venae cauae vtrique ſinui interpoſitum ducere. Diuiditur vero vena caua inferior, cordi accedens, in duos truncos, dextrum nempe atque ſiniſtrum, quorum oſtia in ſinubus aperta, ea ipſa ſunt, quae ſub foraminum

oualium nomine a ſe aliisque fuerunt deſcripta; ſubſtitui itaque ſuadet nominibus foraminum oualium, *orificii dextri* atque *ſiniſtri venae cauae inferioris* denominationes. A tunicis venarum cauarum interioribus ab externis recedentibus et valuula EVSTACHII et valuula foraminis oualis formantur, dum tunicae exteriores ſinus ipſos conſtituunt. Inſidet vero valuula foraminis oualis baſi ſua ſupremo termino parietis ſiniſtri venae cauae inferioris, vbi haec incipit in ſinum ſiniſtrum continuare; efficitque adeo ipſa terminum inter venae ſinusque fines eodem modo, vti in dextro latere Euſtachiana valuula. Rectius itaque valuulae iſtae, mutatis nominibus, *valuulae ſinus dextri ſiniſtriue* dici poſſe Noſtro videntur. Arcus ſ. iſthmus VIEVSSENII nihil aliud eſt, quam margo ſepti ſinuum, craſſitie alboreque ab reliquo ſepto diſcrepans, crura huius, quae in valuulas abire diximus, in dextro latere valuulae EVSTACHII firmius inſeruntur, quam foraminis oualis valuulae. Aperiri vero videtur Cl. Obſeruatori truncus ipſe venae cauae in ſinum ſiniſtrum, trunci vero huius ramus in ſinum dextrum. In homine nato foramen dextrum eodem modo augetur, quo ſiniſtrum minuitur, hoc vero eo efficitur, quod ſanguis orificium dextrum copioſius tranſiens, valvulam Euſtachianam, lumen venae dextrae occludentem dextrorſum, arcum vero ſiniſtrorſum vrgeat. Ab eodem ſanguine in dextrum vas copioſius irruente valuula EVSTACHII, a crure arcus poſteriori, cui in infantili aetate adhaeſit, ſeparatur, foueaque in poſteriori venae cauae parte imprimitur haud profunda, formae oblongae vel ouatae, vertice ſurſum directo praedita, et eminentiori parte ſinus dextri ſuperius circumdata. Valuulam EVSTACHII retiformem cum HAL-

LERO

LERO pro praeter naturam rupta habet, nec non WINSLOVIO eandem valuulam in homine adulto imminui ſubſcribit. Embryoni valuula foraminis oualis vix vlla, ea enim in aetate profectiori volumine ſenſim augetur, quare foramen tunc temporis maximum. Valuula contra EVSTACHII infantilis, adulti hominis valuula multo longior longitudine pedetentim diminuitur. Fertur itaque omnis ſanguis ante tertium aetatis menſem in embryonis ſinum ſiniſtrum, ita vt in dextrum vix guttulae quaedam inſtillent, a qua via per valuulam foraminis oualis volumine auctam deinde remouetur. Ex iis itaque, quae modo diximus, apparet, valuulam EVSTACHII in tertio menſe ſumma gaudere magnitudine. Accedit iam ad deſcriptionem cordis vitulini; valuula Euſtachiana hic reperitur nulla, foramen dextrum non ouale, ſed angulatum apparet, ſuntque duo rami venae cauae inferioris diſtincte diuiſi. Ex hoc venae cauae in vitulis ſtatu per analogiam ad humanam colligit venam, eamque in duos quoque minimos diuiſam eſſe ramos concludit. Valuula foraminis ſiniſtri in bouino aeque ac humano fetu tubus eſt, non ſimplex, vt vulgo deſcribitur, membrana, neque corniculis, vt ſemilunares valuulae, inſignitur. Eſt vero quaedam conuenientia huius valuulae cum venoſis valuulis cordis, reſpectu α) figurae β) inſertionis γ) functionis et δ) productionum filamentoſarum, quibus parietibus ſinus alligatur, quarumque auxilio, quominus intra venae cauitatem retrolabi poſſit impeditur. Cauſa vero, cur adhuc non detecta fuerit haec cordis interioris ſtructura, in eo poſita Noſtro videtur, quod in methodo ſinum dextrum aperiendi errauerint anatomici. Vena caua enim ſi ſimul aperitur, vel ſi in alia, quam anteriori ventriculi dextri pariete, ſectio inſtituitur, tunc fruſtra

harum partium ſuſcipitur diſquiſitio. Sanguis vero non, vt adhuc videbatur, per foramina iſta ex vno ſinu in alterum perfluit, ſed, vt Auctori Noſtro placet, per venae cauae nominatos ramos in vtrumque ſinum ſimul influit, atque per eos ventriculis infunditur. Iam argumenta commemorauit, quae, ſi vel maxime foramen ouale eſſet tale, quale vulgo aſſumitur, corroborarent, ſanguini ex vno in alterum ſinum viam patere nullam. Pertinet ad horum cenſum ſinuum actio eodem tempore eueniens, qua nimirum impeditur, quominus ex vno in alterum ſinum ſanguinis meare poſſit guttula, inprimis cum ſanguini propulſo commodior in ventriculos pateat via. Hicce vero ſanguinis circulus eodem modo mutari Noſtro videtur, quo partium, cor conſtituentium, figura. Copia nimirum ſanguinis in embryone paucorum menſium maxima ſinum ventriculumque intrat ſiniſtrum, quae, aucto ſenſim oſtio venae dextro, ad dextrum magis allici ſolet ſinum. Ductus arterioſus BOTALLI in embryone Cl. Auctori breuior quidem, quam in fetu nato, multo maiori tamen capacitate praeditus videbatur. Vſus vero huius ductus non ſolum in imminuenda copia ſanguinis pulmones intrante cernitur, verum quoque in ſupplenda venae cauae vice, ſi mechanicum, quod in illa forte reperiatur vitium, motum ſanguinis in iſta praecludat. Exhibuit vero hanc cordis fabricam figuris ſeptem in tabulis duabus diſtributis, earumque explicationem ſat largam adnexit.

p. 431. Tab. 9. 17. *Lychni-Cucubalus; nouum plantae hybridae genus* Auctore I. T. KOELREVTER. Conſperſo *Lychnidis dioicae albae* flore, polline *Cucubali viſcoſi*, ſemina ſunt progenita matura, praeter magnitudinem minorem coloremque obſcuriorem a naturali

naturali ſtatu non recedentia. Plantae, quas ex iſtis progenuit, mediae erant inter vtrumque parentem, quarum formam ipſius KOELREVTERI verbis repetere nobis liceat. *Caulis*, inquit, erat minus ramoſus et rigidior Lychnide, ramoſior ac gracilior Cucubalo; *Folia* anguſtiora, viſcidiora, magisque vndulata, quam in Lychnide, ſed latiora minusque viſcida ac vndulata, quam in Cucubalo; *Perianthium* non adeo ventricoſum ac inflatum, vt Lychnidis, cernitur, nec cylindricum ac corollae vnguibus appreſſum, vt in Cucubalo; *Vngues petalorum* longiores ac anguſtiores, quam in Lychnide, breuiores ac latiores, quam in Cucubalo; *Corona faucis* membranacea parua, in Lychnide ſpecioſa, in Cucubalo vero conſpicitur nulla; *Sexus* ſemihermaphroditus, qui in Lychnide eſt dioicus atque in Cucubalo hermaphroditus; *Filamenta* inaequalia, tenera, quaſi emarcida, germini breuiora; *Antherae* minimae, effoetae, puluere carentes; *Germen* minus, anguſtius acutiusque, quam in Lychnide, ſed maius nec adeo anguſtum et acuminatum, vt in Cucubalo; *Stylorum* numerus conſtantior quaternarius, qui in Lychnide quinarius, in Cucubalo vero cernitur ternarius. *Semina* nulla. Stigmata puluere Lychnidis dioicae conſperſa impraegnationem admittebant ſpuriam. Perennabat radice. Stigmatibus vero Cucubali viſcoſi, polline Lychnidis eiusdem conſperſis, ſemina matura produci non potuerunt. Adiunxit iam catalogum plantarum congenerum, quarum impraegnatio experimentis XLIX. fruſtra fuit ſuſcepta, ad quem Lectores amandare cogimur. Ex quibus quidem experimentis ſequentia deducit corollaria 1.) *ſemen vtrumque, tam maſculinum, quam femininum, reſpectu omnium plantae partium ipſiusque ſexus diuerſitatis reciprocam inter ſe exercere actio-*

nem ac reactionem, mutuumque ſemper ac aequalem in generationis negotium habere influxum, niſi ſingulari aliqua cauſa illud aequilibrium turbetur, neque verum eſſe illud axioma, quod partes, quae corticalem ſubſtantiam ſpectant, a patre, eae vero, quae ad medullarem pertinent, a matre ortum ducant. 2.) *dari interdum plantas bigeneres diuerſique ordinis foecunda copulatione iungendas.* 3.) *non omnes congeneres felici ſucceſſu copulari.* 4.) *hybridarum e plantis affinibus propagationem non facile obtineri.*

p. 449. Tab. 10-13. 18. *Schacalae hiſtoria*, Auctore A. I. GÜLDENSTAEDT. Praemiſſis quibusdam de patre Ouis, quem cum BVFFONO *C. Ammonem* LINN. dicit, et Caprae, qui non *C. Ibex*, ſ. *Capra bezoartica* iudicatur: demonſtrare conatur, nec *Hyaenam* nec *Lupum*, nec *Vulpem*, ſed *Schacalam*, ſeu *Canem aureum* LINN. Canem ferum eſſe. *Lupus* enim pro *Cane fero* haberi nequit, quum patria differat, quae ei eſt zona frigida, in Aſia minori vix occurrat et in regionibus meridionalibus plane deficiat; deinde magnitudine Canes ſuperet: probabile enim eſt Cl. Auctori, animal, ex quo Canis varietates ortae ſint, magnitudine naturali ea gaudere, quae media ſit inter maximos et minimos nunc occurrentes Canes. Tum coeci inteſtini ſtructura in Lupo a Cane eſſentialiter diſcrepet, et denique coitus inter Lupum et Canem difficillimus ſit. *Vulpes* etiam *Lupo* magis eſſentialiter differt a *Cane*, teneritate pilorum, roſtro nimis acuto, inteſtino coeco, dentium primorum figura, qui ſunt integerrimi neque vllo ſulco exarati. *Schacala* autem, quae omnibus fere attributis cum *Cane* conuenit, videtur Noſtro eius pater habenda eſſe. Patria ei eſt Aſia minor, quae pro animali domeſtico antiquiſſimo hominibus primaeuis innoteſcendo

ſcendo requiritur; in montoſis degit, quae homines primaeui pariter inhabitarunt; loca non ſolum habitata, ſed ipſos viatores, et ſub dio ſeu ſub tabernaculis pernoctantes adit et in itinere longius comitat, vt videatur quaſi inuito homine eius ſocietatem iniuiſſe; magnitudo Schacalae media eſt inter maximas et minimas Canis varietates, roſtri etiam figura medium tenet inter acutiſſima et obtuſiſſima Canum roſtra; dentium primorum ſtructura et inteſtini coeci, quod hic Tab. X. pictum traditur, figura omnino cum Cane conuenit. Moribus denique Cani Schacala ſimillima eſt. Vox eius eiulatui, non latratui eſt analoga: hominibus et gregibus multo minus, quam Lupi, vix magis quam Vulpes metuenda eſt: nec natura eius adeo ferox comperta eſt, ac in BVFFONI hiſtoria deſcribitur: animalia minora phytiphaga ſubigit, cadavera, etiam humana, adit; coriacea quaecunque auide deglutit, vuas, vt Canis, appetit. Canis caudam recuruatam ſtatui cicurato deberi perſuaſus eſt Cl. Auctor: eae enim, quae auriculis erectis inſtructae ſunt varietates, caudam extenſam et deflexam gerunt, vt Schacalae. Sequitur nunc deſcriptio partium internarum et exterarum accuratiſſima, iconibus illuſtrata.

19. *Chaus animal feli affine deſcriptum.* Au- p. 483.
ctore EODEM. Eſt hoc *Caracali* *) adeo cogna- Tab.
tum, ac *Felis rufa* PENN. **) Lynci. Habitat in 14. 15.
campeſtribus, inundatis vel arundine, vel arboribus obſitis, mare caſpium et fluuios illud petentes ambientibus regionibus. Voce, diaeta et moribus ſummopere analogus eſt *Chaus Cato fero*, ad loca

culta

*) BVFFONI Hiſt. nat. Vol. IX. vid. comm. noſtr. Vol. XI. p. 463.

**) Synopſ. of quadr. vid. ib. Vol. XIX. p. 347.

culta non accedit, impatientiſſimus atque iracundus, vnguibus dentibusque ſaeuit. Antibrachio forcipe venatoria ferrea, qua captum fuit animal, diffracto, abſtinuit a pane et piſcibus, et contra baculum in ciſta obuium, cui alligatum erat animal, et palmam propriam pedis fracti momordit ita, vt et ligni fruſtula et vngues phalangesque digitorum in ventriculo poſt mortem inuenirentur. Mirandum ſane, animal in proprium corpus, cibo non deficiente, ſaeuiiſſe, atque a cibo abſtinuiſſe. Statura *Chai* media eſt inter *Catum* et *Lyncem*; ſuperat magnitudine Catum; longitudo ab apice roſtri ad caudae radicem duorum pedum cum dimidio, aut trium pedum eſt. Color capitis et trunci ſupra, et extremitatum fuſco luteſcens; gulae et regionis vmbilicalis albidus; pectoris et abdominis dilute luteſcens. Cauda dorſo concolor, apicem verſus albido et nigro obſolete ter annulata, ipſo apice nigro. Vberior internarum et externarum partium deſcriptio illuſtratione iconum, quae hic additae ſunt, eget. Subiungit Cl. Auctor nomina animalium quatuor, proxime affinium, ſpecifica: nempe *Felis Lynx* auriculis apice barbatis, capite et corpore albido rufo, nigro maculato; cauda obſolete annulata, apice nigra.

Felis rufa, auriculis apice barbatis, capite rufo, fronte et temporibus nigro ſtriatis, corpore rufo, fuſco maculato, cauda ſubtus et apice alba, ſupra nigro faſciata.

Felis Caracal, auriculis apice barbatis, extus nigris, capite, corpore et cauda vnicoloribus fuſceſcenti brunneis.

Felis Chaus, auriculis apice nigrobarbatis, extus brunneis, capite, corpore et caudae baſi vnicoloribus, fuſceſcenti luteis, cauda apicem verſus albido et nigro annulata, ipſo apice nigro: huius icon

icon et deſcriptio reperitur etiam in Cl. SCHREBERI *op. de mammalibus.* Part. III. p. 414. Tab. CX. B.

In vltima ſectione aſtronomici reperiuntur tractatus.

20. *De traiectu citiſſimo ſtellae per duos circulos almicantarath datos pro qualibet eleuatione poli.* Auctor. L. EVLER. p. 503. Tab. 16. fig. 1-3.

21. *De circulo maximo fixo in coelo conſtituendo, ad quem orbitae planetarum et cometarum referantur.* Auctore EODEM. p. 509. Tab. 16, 17.

22. *Obſeruationes aſtronomicae pro determinando ſitu geographico variorum per Imperium Ruſſicum locorum a Nobil.* CHR. EVLERO *annis* 1769 *et* 1770. *factae. Relatae ab* A. I. LEXELL. p. 541.

23. *De obſeruatione eclipſeos ſolis Petropoli* $\frac{1}{2}\frac{4}{8}$ *Auguſti* 1775 *inſtituta.* Auctore EODEM. p. 577.

24. *Obſeruationes aſtronomicae in vrbe Dmitritewsk inſtitutae vna cum determinatione latitudinis et longitudinis huius loci.* Auctore P. INOCHODZOW. p. 593.

25. *Quatuor deliquia lunae in vrbe eadem obſeruata* ab EODEM. p. 611.

26. *Obſeruationes aſtronomicae in vrbe Saratow habitae* a G. M. LOWITZ. p. 621.

27. *Epitome obſeruationum meteorologicarum Petropoli anno* 1775 *inſtitutarum.* Auctore I. A. EVLER. p. 626.

Atque

Atque hoc, vti relatum legimus, volumine hi ipſi commentarii finiuntur. In poſterum vero tractatus ſodalium in lingua Latina, Ruſſica, et Franco Gallica edentur nouo opere continuato, quod inſcribitur *Acta* et iamiam ceptum eſt.

II.

IO. FRID. BLVMENBACHII M. D. et Prof. Götting. de generis humani varietate natiua liber, cum figuris aeri inciſis II. Göttingae, apud Viduam Abr. Vandenhoek. 1776. 8. pagg. 100.

Laudibus omnibus digniſſimam Cl. Auctoris diatriben, qua et doctrinae copiam et acumen ingenii iudiciique ſubtilemque obſeruandi artem ſatis ſuperque eſt teſtatus, eo lubentius indicamus, quo magis vtilis lectuque amoena ipſius, de quo tractat, eſt argumenti ratio. Generationis negotio breuiter ex HALLERI mente enarrato, climatis potentia hominum formas mutari multum
p. 7. concedit. Eſtque duplex modus, quo homines climatum mutationem experiantur; vel enim migrando coelum mutant, vel ipſum ſolum ſenſim aut miteſcit, aut efferatur, ſicque degenerant incolae. Deinde vitae genere et educatione, poſtea diuerſae ſpeciei ſ. varietatis connubio mutantur et animalia, et homines. Hic ſimul de animalibus hybridis agit; quae ſi e valde affinibus pronata ſint, foecunda admittit. Ita e Cane et Vulpe hybridum foecundum Göttingae fuiſſe refert. De Canum et Simiarum coitu et inde natis hybridis dubius eſt; duobus tamen exemplis fidem non negat: quorum alterum in terris Schwarzburgicis accidit; hybridum animal canem, domeſtico minorem,

norem, referebat, oculis, auriculis, collari piloſo patri Simiae ſimillimum erat; alterum Francofurti ad Moenum contigit: peperit catella ex *Simia Diana* LINN. fetum, ferocitate, ingenio, habitu gibboſo et cauda longiore patri ſimillimum. Animalia autem diuerſae ſpeciei aut plane non coëunt, aut eorum connubia ſunt infoecunda. Ita ſaepe ab Auctoribus relatum coitum Cuniculi cum Gallina merito in dubium vocat, ſolliciteque, teſtimonio Cl. DELLE LANZE *) niſus, demonſtrat *Iumarros* nihil eſſe, niſi hinnos ex equo et aſina pronatos.

Ipſum hominem a reliquis animantibus differre tum, quod careat omni *inſtinctu*, praeſertim artificiali, qui defectus vſu rationis, et loquelae reſarcitur; tum, quoad corpus, inceſſu erecto (ridicula enim, et fere ioci cauſſa dicta videtur opinio Cl. MOSCATI **), qui hominem quatuor pedibus incedere debere ex anatomicis probare auſus eſt), binis manibus, corpore, quoad plures partes, nudo, et inermi. Et in humanis feminis ſolis periodicus menſtruus fluxus et hymen adeſt. Vteri quidem haemorrhagias inconſtantes Simiis concedit. *Simia Satyrus* etiam ad inceſſum in quatuor pedibus factus eſt. Haec differentia hominis a reliquis animalibus praeſertim in corporis fabrica interna patet: ex qua, vt pauciſſima ſeligeret Noſter, cerebrum *Simiae Maimon* LINN. quatenus

p. 19.
p. 32.

*) BONNETI ad SPALLAZANI ep. in Mém. ſopra i muli. p. 11. ſqq. Encycl. par DE FELICE. Tom. XXV. p. 242.

**) Delle corporee differenze eſſenziali, che paſſano fra la ſtruttura de Bruti, e la umana. Milano 1770. 8.

nus ab humano differt, deſcribit, eiusque baſeos iconem Fig. I. dedit. Praecipua, in quibus baſis eius differt ab humana ſtructura, ſunt haec: Lobi cerebri anteriores in totum fere coaliti; pons VAROLII nulla plane fiſſura a medulla oblongata distinctus, ſed continuo decurſu cum ea iunctus, nec corporum pyramidalium neque oliuarium vllum veſtigium: medulla oblongata multo craſſior. Neruorum opticorum par in magnam molem coalitum ad ipſum in orbitas ingreſſum iterum diuiditur. Rete mirabile nullum. In cranio eiusdem Simiae, (Fig. II.) orbitae profundiores, zygoma craſſius, dentes a ſe remotiores, caninique longiores, et peculiare os, cui inciſores inſidebant, vnumque naſi os triangulum, tanquam differentiae ſatis graues ab humano cranio proponuntur. Ex vertebrarum colli in Simiis ſtructura et nexu etiam ſequitur, eas ad ſitum erectum non eſſe factas.

p. 36. Ipſa autem illa animalia, quorum icones fidae ad *Simiam Satyrum* LINN. referuntur, duas ſpecies Cl. Auctori conſtituere videntur; quarum prima *Simia Troglodytes* ſ. *Chimpanſi*, a TVLPIO et SCOTINO delineata; macrocephala, toroſa, parte corporis poſtica ſaltem piloſa, antica, praeter humeros, nuda: altera *Simia Satyrus* ſ. *Oranutan* (i. e. perſona intelligens*), TYSONIS, EDWARDSI, LE CAT et BVFFONI, quae gracilis magis, capite minore denſa hirſutie tecta, pilorum humeri et vlnae contraria directione.

p. 39. Ad quaeſtionem *ſintne fuerintue omnis aeui omnisque gentis homines vnius eiusdemque diuerſaeue plane*

*) *Oran* enim non hominem ſignificat: tribuitur enim et Elephanto et homini a Malabaris.

plane ſpeciei, ita reſpondet, vt *vnam ſpeciem*, *quatuor* tamen eiuſdem *varietates* aſſumat, quae tamen ita inter ſe confluant, quarumue vna in alteram ita tranſeat, vt vix ac ne vix quidem limites inter eas conſtituere valeas. *Prima* varietas, quae ſit primigenia, eſt *Europaeorum*, *Aſiae cis Gangetanae* et quidquid *ſuper Amur fluuium* ſeptentrionem verſus ſitum eſt cum *America boreali*: quarum terrarum homines, etſi ſtatura, forma et colore multum inter ſe differant, in plurimis tamen conuenire videntur. *Altera* eſt *Aſiae trans Gangetanae* et *infra Amur fluuium* poſitae *Vulturno*que *obuerſae*, cum Inſulanis et magna parte terrarum *auſtralium*, nuper deteĉtarum: colores fuſci homines, naſo ſimo, oculorum palpebris conniuentibus et in cantho externo ſurſum duĉtis, pilis parcioribus, rigidis. *Tertiam Africa* conſtituit. *Quartam* quidquid *Americae*, praeter ſeptentrionalem plagam, quae priori varietati eſt adiunĉta, reſtat. p. 41.

Praetermittere cogimur, quae de diuerſa in hominibus totius corporis conſtitutione, ſtatura et colore doĉte et eleganter expoſuit: id monentes, cauſſam nigredinis bilis mutatam naturam, tum climatis, ſoli, aërisque potentiam cum vitae genere a Cl. Auĉtore haberi. Perſequitur deinde partium ſingularum membrorumque diuerſitatem, quae in capitis ſceleto, faciei forma, pilorum, pedum, mammarum ſtruĉtura et colore, tum aliarum partium ſaepe arte faĉta mutilatione conſpicitur. p. 42.

Cranii forma aut arti, quae in fingendis puerorum neonatorum capitibus adhibetur, et cuius forma deinde quaſi haereditaria fit, aut vitae generi eſt tribuenda. Vidit Auĉtor cranium, quod Gottingae effoſſum, plurimis in partibus Americano, p. 61.

p. 64. a WINSLOVIO deſcripto *), ſimile erat. Incolae *terrae Labrador* ſymmetricam formam prae ſe ferunt. Mari eſt facies planior, genae rotundae, naſusque parum prominens, non ſimus, corpus quadratum, caputque ſextam totius corporis longitudinis partem explet; feminae proceriores vltra ſeptem capita ſua longitudine aequant, et ſi colorem in fuſcum vergentem demas, elegantis ceteroquin ſunt figurae. Chinenſium capita ſunt oualia, facies planae, oculi anguſti, verſus canthos externos protracti, naſus parui. Incolae inſulae *Mallicolo*, in decimo quinto gradu latitudinis auſtralis ſitae, maxime capitis ſingulari forma a vicinis abhorrent, qua proxime ad ſimiarum figuram accedunt.

Homines ſic dictos albos, quos LINNAEVS pro ſingulari ſpecie habuit, morboſos eſſe demonſtrat**), qui hoc morbo connato modo grauius, modo leuius inuaduntur, in aliis terris rarius, in aliis frequentius, vel per familias propagato, vel vage aliquos occupante. Simili morbo et cuniculi, mures, canes et alia nonnulla animalia infeſtantur.

p. 92. Denique homines penitos omnes ad figmenta recte refert Cl. Auctor: Hiſtoriae enim ſuper iſtis pleraeque relationi aliorum coram exhibitae innituntur, et qui ſe ipſos eiusmodi caudatos homines vidiſſe dicunt, ſuſpectae fidei auctores reperti ſunt. Icones autem omnes ab vna translatae ſunt. MARTINI***) ſuam ex LINNAEI amoenitatibus, hic ex ALDROVANDO, qui ex GESNERO ſumſit: qui ex Germanico deſcriptionis terrae ſanctae libro ſuam deſum-

*) Mém. de l'Acad. des Sc. de Paris 1722. p. 323. tab. 16.

**) Cf. SCHREBERI *Säugthiere* vid. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 44.

***) ad BUFFON. *allgem. Naturgeſch.* Tom. VI. p. 44.

deſumſiſſe dicit, cuius Auctorem BERNHARDVM VON BREYDENBACH fuiſſe vidit Noſter, operaeque pretium duxit, ex prima eius itineris editione *) genuinam iconem reſtituere. Ipſe BREYDENBACH animal anonymum dixit, atque Cl. Auctor Simiae Sileno conuenire putat: veram enim ſimiam eſſe teſtantur halluces a digitis pedum remoti, qui temporis progreſſu incuria pictorum in figuram pedis humani transmutati ſunt. Sic etiam Hottentottarum ventrale cutaneum a priſcis aſſertum recte ad fabulas relegatur.

III.

IO. CHRIST. FABRICII, Hiſtor. Nat. Oecon. et Cameral. Profeſſor Chilonienſ. etc. Genera inſectorum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum et proportionem omnium partium oris, adiecta mantiſſa ſpecierum nuper detectarum. Chilonii, litteris Mich. Frid. Bartſchii 1776. in 8. 21 plagg.

Eorum generum, quae nuper in ſyſtemate entomologiae condidit, characteres amplius Cl. Auctor hic indicat, ſimili fere modo, quo Ill. LINNAEVS in libro *Genera plantarum* inſcripto, characteres plantarum genericos deſcripſit. Recte ait Cl. Auctor, quo conſtantiores ſint hae partes ad diſtinctionem generum aſſumtae, eo maiorem certitudinem et praeſtantiam habere ſyſtema. Atque etſi Ill. LINNAEO inuentionis gloriam circa genera inſectorum concedat: id tamen non ei arridet, quod characteres generum ex quibuslibet partibus inſectorum vndequaque collegit. Inde enim oriri

*) *Reyß in das gelobt Land. Meinz* 1486. *fol.*

confuſiones, et contradictiones characteris ſpecifici cum generico, quae nunquam euitentur, niſi ex omni fere ſpecie proprium condatur genus. LINNAEVM quoque ideo magis habitui, quam characteri confiſum eſſe. Nouam itaque, quam ſuperius indicauimus, methodum ex inſtrumentis cibariis ad determinanda genera introduxit; nam etſi haec adeo ſint minuta, vt plerumque oculo armato colluſtranda ſint, id tamen certitudini nihil repugnare putat, quemadmodum etiam in plantis partes fructificationis ſint minutiſſimae. Deſcribit itaque differentias partium oris, quae characteres ſatis et ſufficienter praebeant. *Antennas* generum characteribus appoſuit: eas tamen parum ad diſtinguenda genera valere; cum characteres pauciores, inconſtantesque praebeant, in eadem ſpecie interdum differant, et quibusdam generibus omnino deſint. *Metamorphoſin* inſectorum triplicem in conſtruendis generibus ſemper conſulendam putat, quae ad genera naturaliora viam monſtrat. Inſecta, quae metamorphoſi differunt, nunquam idem genus, et forte ne vnam quidem claſſem intrabunt: vno excepto *Pulice*. *Laruae* et *Pupae* ſtructura differentes etiam vix vnquam ſub eodem genere militabunt: nam diuerſa iuuentus differentem ſenectutem indicare videtur.

Habitus inſectorum in conſtruendis generibus occulte eſt obſeruandus. Rariſſime enim inſecta habitu differentia idem genus intrabunt. Interim tamen neque metamorphoſi, neque habitui magis adhaerendum eſſe putat, quam characteri. In qua quidem re nos a Cl. Auctore diſſentimus, cum naturae ipſi ſemper maxime ſit adhaerendum. Quaeritur enim: an earum partium conuenientia, cui quis ex hypotheſi characteris potentiam tribuit, re vera characterem, ex lege naturae conſtituat,

nec

nec ne. Itaque LINNAEVM aliosque magis laudandos, quam reprehendendos eſſe ducimus, qui a charactere artificiali ſaepe, ſi natura iubeat, recedant. Neque etiam effectum et ſatis probatum eſt, genera ipſa eſſe opificium naturae, ſed forte tantum ſunt ea in auxilium memoriae inuenta, et ex ſimilitudine ſpecierum abſtracta. Characteres itaque, quos proponit nondum naturales, vti vult Cl. Auctor, iudicare poſſumus: quoniam nimis, vt nobis videtur, characteri ſuo adhaeſit. Factum inde eſt, vt nimis multa genera ſint condita, atque omnino quaedam coniuncta, quae, quantum nobis videtur, plane a ſe inuicem ſint remouenda; id quod in recenſione ſyſtematis ſupra exemplis probauimus.

Laudanda caeterum eſt Cl. Auctoris opera et diligentia in deſcribendis characteribus adhibita, atque omnino fatendum, hoc libro non ſolum ſyſtema ipſius Auctoris egregie illuſtrari, verum etiam ipſam inſectorum cognitionem multo certiorem reddi, ſi iuxta omnes hos characteres inſecta determinentur et deſcribantur.

Icones non addidit, quas ad determinanda genera non valere ait. Nomina ea retinuit, quae in ſyſtemate dedit: addidit tamen, perquam vtiliter ſynonyma LINNAEI, GEOFFROI, SCOPOLI, aliorumque.

In mantiſſa continentur ſpecies, Cl. Auctori ab amicis Anglis, Chilionenſibus, aliisque Germanis communicatae.

Rationes et leges ſyſtematis, quae quidem facile a quolibet entomologo ex ipſo ſyſtemate erui poſſunt, promittit ſeſe in philoſophia entomologica daturum eſſe.

IV.

Syſtematiſches Verzeichniß der Schmetterlinge der Wiener Gegend, herausgegeben von einigen Lehrern am Kaiſ. Kön. Thereſianum. Wien, verlegts Auguſtin Bernardi, 1776. 1 *Alph.* 11 *Bogen,* 3 *Kupfert.*

i. e.

Enumeratio ſyſtematica Lepidopterorum regionis Viennenſis, edita a nonnullis Caeſ. Reg. Thereſiani doctoribus.

Auctores huius ornati et vtilis libri ſunt Cl. DENIS, et Cl. SCHIFFERMÜLLER, in quo quidem elaborando Linnaeano ſyſtemate, tanquam baſi, vſi ſunt, ita tamen, vt relationem ſpecierum et generum magis euoluerent, attendendo ſimul ad oua, vnde proueniant laruae, pupae et denique declaratum lepidopterum. Itaque ſimul tironibus hic offertur liber, ex quo naturam lepidopterorum plane cognoſcere poſſint, et iis phyſicis, qui vulgarium rerum iam gnari ſunt, copioſae, nouae, curatioresue obſeruationes, multaeque nouae, non alibi deſcriptae ſpecies, quarum numerus in genere ſuperat milleſimum et centeſimum, pateſiunt: atque ipſum curatius elaboratum ſyſtema dignum eſt, quod ab omnibus cognoſcatur.

P. 9. Quadruplicem lepidopterorum ſtatum eleganter et neruoſe, ſuis etiam obſeruationibus ditatum, enarrant Auctores, atque ſimul, quae in educandis et colligendis iisdem conſideranda ſint, ſedulo docent.

P. 20. Quoad ordinem naturalem putant Auctores lepidoptera proxime auium claſſem cum inſectis coniungere, ideoque primum locum in claſſe inſe-

ctorum

ctorum mereri, cum etiam coleoptera quibusdam ſpeciebus apteris cum ordine apterorum cohaereant. Sphingi primum locum tribuit, ſecundum Phalaenae et vltimum Papilioni, cum priora genera auibus magis ſint ſimilia, atque ſi ordo Picarum in auium claſſe, in hoc autem *Trochilus* vltimum locum occupet, tranſitum ex auium claſſe in claſſem inſectorum facillimum eſſe.

Nomina Germanica generum et ſpecierum, quae poſtrema plerumque a planta, qua erucae veſcuntur, deſumta ſunt, omnem plauſum merentur: minus vero nobis arridet, quod Pyralides LINN. *Lichtmücke*, Alucitae *Federmücke*, et Tineae *Schaben* nominatae ſint: Facile enim ambiguitas ex idea *Culicis* et *Oniſci* oritur. Melius *Lichtmotten*, *Federmotten* et *Motten* dicerentur.

Multas ob cauſſas ſat graues in ſyſtematica di- p. 27.
viſione Auctores recte ſimul ad laruas ſeu erucas
reſpiciunt. Quod colores lepidopterorum attinet, p. 38.
difficile definiendos, promittunt Auctores, ſe eoſdem in ordine naturali edituros eſſe; quod quidem magnopere optandum eſt, cum maxima confuſio in libris entomologorum quoad colores locum habeat.

Sequitur iam ipſa ſyſtematica nomenclatura, e qua nos praecipuas tantum diuiſiones indicabimus.

Ordo I. Inſectorum. Lepidoptera

Gen. I. *Sphinx*.

a. Laruae acrocephalae. Sphinges angulatae, vt *S. ocellata*.

b. — amblocephalae. — faſciatae, vt *S. conuoluuli*.

c. — maculatae. — ſemifaſciatae. *S. Euphorbiae* et *Galii* *).

 d. Lar-

*) vid. DE GEER Mem. des inſect. Tom. I. tab. 8. f. 9.

Gen. I. *Sphinx.*

d. Laruae opthalmicae. Sphinges caudacutae. *S. Nerii.*

e. — elongatae. — caudiberbes, vt *S. ſtellatarum.*

f. — ſubpiloſae. — hyalinae, vt *S. fuciformis.*

g. — phalaeniformes. — maculatae. *S. filipendulae.*

Gen. II. *Phalaena.*

Fam. I. *Bombyces.*

* Laruae ſedecim pedibus inſtructae.

a. — ſphingiformes. P. B. lunigerae, vt P. B. *Mori.*

b. — verticillatae — pauoniae, — *Pyri*, pavonia maior LINN.

c. — tuberoſae — ſubnudae, P. B. *Morio.*

d. — nodoſae — albidae. — *ſalicis.*

e. — vrſinae — nobiles. — *Caia.*

f. — celeripedes. — luteopedes. — *lubricipeda.*

g. — faſciculatae. — tendipedes. — *pudibunda.*

h. — criſtatae — ſignatae. — *anaſtomoſis.*

i. — collariae — dentatae. — *quercifolia.*

k. — villoſae — centropunctae. — *potatoria.*

l. — piloſae. — tomentoſae, — *laneſtris.*

m. — ſubpiloſae. — capitones, — *oleagina.*

n. — ligniuorae. — albocinctae, — *Coſſus.*

o. — radiciuorae. — lanceolatae — *Humuli.*

p. — noctuiformes. - hiſpidae, — *plumigera*, noua ſpecies.

q. — geometriformes. - eroſae, — *libatrix.*

r. — gibboſae — dorſodentatae — *Camelina.*

** Laruae

**Laruae quatuordecim pedibus.
s. —furcatae. P. B. flexuoſo ſtriatae, vt, P. B. *Fagi.*
t. —cuſpidatae — geometriformes.
***Laruae pedibus vix vllis.
v. —limaciformes. P. B. tortriciformes. P. B. *Teſtudo*, noua ſpecies, cuius larua in quercu robore pumila habitat.

Fam. II. *Noctuae.*
*Erucae quatuordecimpedatae.
a. Larua tentaculata. P. N. ſemipectinata, P. N. *Vlmi*, nov. ſpec.
**Erucae ſedecimpedatae.
b. Laruae bombyciformes. P. N. nubilae —*Pſi.*
c. — fuſiformes — tineiformes — *quadra.*
d. — rhomboideae —pyralidiform. — *Albula* nov. ſp. larua habitat in *mentha aquatica.*
e. — pubeſcentes — variegatae. — *aprilina.*
f. — corticinae — maculatae. —*oxyacanthae*
g. — vndatoſtriatae —familiares. —*pyramidea.*
h. — tenuiſtriatae. —griſeovariae. —*chi.*
i. — variegatae. —cucullatae. — *abſynthii.*
k. — alboſparſae —lignicolores. —*comma.*
l. — albopunctatae. —rectolineatae —*lota.*
m. — albilateres. —atroſignatae. —*litura.*
n. —terricolae —ruſticae — *exclamationis.*
o. —largoſtriatae. —venoſae. —*graminis.*
p. —obliquoſtriatae, —trigonophorae. — *meticuloſa.*
q. —arctoſtriatae —heliophilae —*turca.*

Fam. II. *Noctuae.*

r. Laruae ſcutellatae P.N. badiae, vt P.N. *ſatellitia.*
s. — ochrocephalae — aureolae. — *fuluago.*
t. — laruicidae — vndatae. — *Oo.*
v. — furtiuae — puſillae. — *ſpoliatricula.* (omnes huc pertinentes nouae ſunt ſpecies) huius larva habitat in *Cheirantho incano.*
w. — curuilineatae. — aequiuocae — *dipſacea.*
x. — ciliatae — feſtiuae. — *fraxini.*
y. — pſeudogeometrae — ſubmetallicae — *triplacia.*

*** Erucae duodecimpedatae.

z. Laruae ſemigeometrae — metallicae. — *feſtucae.*
aa. — ſerpentinae — geometriformes. — *luſoria.*

Fam. III. *Geometrae* LINN.

* Erucae duodecimpedatae.

a. Laruae ſeminoctuales. P.G. biſtriatae. P.G. *margaritaria* (*margaritata* LINN.)

** Laruae decempedatae.

b. — ſtoloniformes. P.G. albolineatae. P. G. *papilionaria.*
c. — corticinae. — bombyciformes. — *betularia.*
d. — pedunculares — crenatoſtriatae. — *repandaria.*
e. — ſurculiformes — rectofaſciatae. — *veſpertaria.*
f. — ramiformes — angulatae — *ſambucaria.*
g. — ſtriatae. — puluerulentae. — *defoliaria.* Fn. Suec.
h. — ſtrigillatae. — alternantes. — *punctaria.*

Fam.

Fam. III. *Geometrae.*

i. Laruae rigidae. P. G. vmbroſae. P. G. *furuata.* nov. ſp. larua habitat in *Viburno lantana.*
k. — noctuiformes *). — vndatae. — *brumata.*
l. — rugoſae — mediofaſciatae — *plagiata.*
m. — ſquamoſae — angulatofaſciatae. — *chenopodiata.*
n. — ſignatae. — ſubfaſciatae. — *fluctuata.*
o. — punctatae. — vnicolores. — *chaerophyllata.*
p. — filiformes. — arcuatoſtriatae. — *vibicaria* LINN.

Fam. IV. *Pyralides.* In hac et ſequentibus familiis nondum laruarum diuiſio facta eſt, propter difficultatem, qua inueniuntur et nutriuntur, vt itaque hic multae laruae adhuc incognitae ſint. Subdiuiſiones ſunt ſequentes

a. P. Pyr. longipalpes. e. g. *proboſcidalis.*
b. — breuipalpes — *verticalis.*

Fam. V. *Tortrices.* Laruae ſedecim pedibus inſtruuntur, paruae plerumque virides, ſubpiloſae ſunt. Subdiuiſio earum aliquando fieri poteſt ex diverſa ſtructura habitaculi, quod ſibi ſtruunt. Sunt vero

a. P. T. virides, vt, P. T. *praſinana.*
b. — metallicae, — *lecheana.*
c. — flauae, — *auellana.*
d. — ferrugineae, — *xyloſteana.*
e. — cinereae, — *vddmanniana.*
f. — obſcurae, — *brunnichiana.*

Fam. VI. *Tineae.* Laruae vel 16, 14, vel 8 pedibus incedunt; ſupra terram metamorphoſin ſubeunt.

Fam.

*) vid. REAVM. Mém. tom. II. mém. 9.

Fam. VI. *Tineae.*

a. P. T. bombyciformes. e. g. *graminella*, ſeu Ph. Bomb. *atra* LINN.
b. — direćtipalpes, — *colonella.*
c. — recuruipalpes, — *euonymella.*
d. — impalpes — *crataegella.*

Fam. VII. *Alucitae.* Laruae ſedecimpedatae, tardae, paruae, latae et piloſae ſunt: inſtar Papilionum transmutantur. Decem ſpecies habent Auctores huius familiae, quae tranſitum ex Phalaenis in Papiliones apte ſatisfaciunt.

Gen. III. *Papilio.* Laruae ſedecimpedatae.

* Laruae vulgari forma.

a. — tortriciformes. P. plebeii vrbicolae.
b. — bombyciformes. — heliconii.
c. — variegatae. — Equites.
d. — medioſtriatae. — Danai candidi.
e. — pallidiuentres. — — flaui.
f. — ſubfurcatae. — Nymphales gemmati.
g. — cornutae. — verſicolores, vt P. *Iris.*
h. — ſubſpinoſae. — maculato faſciati. e. g. P. *Populi.*
i. — acutoſpinoſae. — angulati, vt P. *Atalanta.*
k. — colloſpinoſae. — nobiles, e. g. P. *Paphia.*
l. — pſeudoſpinoſae. — variegati, vt P. *Maturna.*

** Laruae ſcolopendriformes.

m. — oblongoſcutatae. — rutili, vt P. *Virgaureae.*
n. — gibboſcutatae. — polyophthalmi, vt P. *Argus.*
o. — depreſſo ſcutatae. — ſubcaudati, vt P. *Rubi.*

p. Laruae

p. Laruae ignotae. P. ambigui. Myrmeleon barbarum LINN. intelligitur. Sub finem libri tamen monetur, melius hos ambiguos a Lepidopteris ſeparari, atque ad Neuroptera referri.

Ingens et certe duplus numerus earum ſpecierum, quae in ſyſtemate Linnaeano reperiuntur, hic nouarum ſpecierum eſt: quorum deſcriptio et vberior hiſtoria vehementer optanda eſt. Praecipue ex eo, quod plurimae laruae, earumque pabulum Auctorum opera detectae ſunt, magna cognitio lepidopterorum cepit augmenta. Copioſiſſimae
etiam ſunt obſeruationes, quibus cognitae ſpecies p. 42.
certius definiuntur, vel earum natura illuſtratur: p. 45.
e quibus nos pauciſſimas tantum exempli loco proponamus.

Laruam *Sphingis Atropos* in Datura Stramonio p. 46.
habitantem ſaepiſſime inuenerunt. *Sphinx Ephi-*
altes LINN. cum eius larua *Medicagine falcata* nu- p. 52.
triatur, *Sphinx falcatae* bene dicitur. Laruae *Sphingis ſtatices* LINN. nunquam in *ſtatice armeria*,
ſed ſemper in *Pruno ſpinoſa* inuentae ſunt. p. 54.

Phalaenas Heram, *Matronulam*, *Dominulam* et
fuliginoſam LINN. ad Bombyces nobiles relatas in- p. 97.
venimus, cum et laruae ſint vrſinae, et pupae folliculo tenui incluſae. *Phal. Bomb. Mendicae* mas p. 115.
a LINNAEO tantum deſcribitur, femina ſemper eſt alba. Laruam *P. Geom. thymiariae* ſemper in
Pruno ſpinoſa et *Crataego oxyacantha* inuenerunt. p. 121.
Phal. Geom. Pantariae feminam non eſſe apteram, vti LINNAEVS ſuſpicatus eſt, contenditur, aut, ſi ita ſit, marem non antennis pectinatis inſtrui. *P. G. vrticata*, *nymphaeata*, *limbata*, *ſtratiolata*, *lemnata* et *cingulata* LINN. ſic quoque *riuulata* et

literata

p. 126. *literata* SCOP. ad Pyralides referuntur. *P. Pomo-*
et 131. *nella* et *Salicella* LINN. ad Tortrices *pomonanae* nomine pertinent.

p. 146. Vtiles annotationes hic traduntur, in quibus icones SCHAEFFERI cum nominibus Linnaeanis comparantur, atque errores LINNAEI in ſynonymia, quae appendicis inſtar in Syſt. nat. ed. XII. inuenitur, commiſſi corriguntur: quas quidem hic commemoraremus lubenter, niſi breuitati ſtudendum eſſet.

p. 169. Dubia multa in definitione Papilionum remouentur, omnique entomologo hae obſeruationes ſunt lectu neceſſariae; nos vnius tantum mentionem faciamus. Icon ROESELII Tom. IV. t. 27. f. 3. 4. quam Linnaeus dubie iuxta *Semelem* commemorat, eſt Pap. *Hermione* LINN. et ROES. tom. III. t. 34. f. 5. 6. nouam ſpeciem, hic P. *Alcyone* dictam ſiſtunt: Sic quoque SCHAEFF. ic. Ratisb. tab. 82. f. 1. 2. ſingularis eſt ſpecies hic *Proſerpina* dicta.

p. 171. P. *Iris* non in Quercu, ſed in Salice vitellina habitare dicitur. Multae nouae ſpecies Papilionum plebeiorum, polyophthalmorum hic vberius deſcribuntur.

p. 187. Sequitur deinde huius ſyſtematici ordinis Lepidopterorum contemplatio, in qua demonſtratur,
p. 193. vnicuique plantarum ſpeciei, vnam, vel plures ſpecies Lepidopterorum datas eſſe, ideoque numerum horum certe aliquando, ſi in iis detegendis operam nauabunt impoſterum naturae ſcrutatores, aequaturum eſſe plantarum numerum: nam fere in omnibus plantis iam laruae lepidopterorum detectae ſunt, atque haec animalcula plantis vel quibusdam earum partibus ſimilia ſunt, atque lepidoptera vnius familiae ſ. ſubdiuiſionis plerum-

que

que veſcuntur plantis naturali in methodo ſibi proximis: ſunt etiam laruae in plantis cryptogamicis, quin imo aquatilibus*). Itaque neceſſarium fore, aiunt, vt Lepidopterorum aliquando tot diuiſiones fiant, quot ſunt vegetabilium, indeque patere, cur ſyſtematica enumeratio, quam ſummo labore fecerunt, adeo etiamnum ſit imperfecta. Interim tamen omnes rei naturalis periti Cll. Auctoribus gratias agent, eosque laudabunt, quod permulta ſane ad curatiorem lepidopterorum methodum obſeruata patefecerint, atque ſine dubio dilucidationes et defenſiones, quas contra anteſyſtematicos proferunt, vti nos, lubenter legent, cum in iis doctrina Auctorum in omni hiſtoria naturali, atque elegans ſcribendi ratio animum legentis valde demulciat.

Iam icones explicantur. In icone, libro prae- p. 236.
poſita, depinguntur 1. *Trochilus mellifugus*, qui tranſitum ex auibus ad Sphinges declarat. 2. *Sphinx Vitis* LINN. 3. *Sphinx Oenotherae*, noua ſpecies, quae ad fam. *e.* cauda barbata pertinet. 4. *Phal. Bomb. Aeſculi*, a LINNAEO ad noctuas refertur ſub ſp. 83. 5. *Papilio Polyxena* ſ. *Hypermneſtra* SCOP. entom. Carn. p. 149. quem vnum Equitem Troem Viennenſem eſſe demonſtratur. 6. *Libellulae puellae varietas.*

In Tab. I. f. 1. ſiſtitur *Sphinx Quercus*, alis angula- p. 244.
tis, primoribus teſtaceis bifaſciatis, poſticis rufis. *Larua* viridis, ſtriis obliquis pallidis, alternis latioribus. Tab. I. a. f. 1. a. laruam f. 1. b. pupam, et tab. I. b. f. 1. ipſum Sphingem habent.

Tab. I.

*) vid. REAVM. Mém. tom. 2. t. 32. f. 1. DE GEER. mém. t. 37. f. 16.

p. 249. Tab. I. a. b. f. 2. *Ph. Bomb. Argentina*, elinguis criſtata, alis deflexis, ſuperioribus dentatis, oliuaceo griſeis, maculis punctisque argenteis. *Larva* nuda, griſeo et fuſco rubeſcenti varia, ſegmentis quarto, decimo et vndecimo tuberculoſo gibba. Habitat in quercu.

p. 252. Tab. I. a. et b. f. 3. *Ph. Noctua Segetum*, ſpirilinguis criſtata, alis incumbentibus, ſuperioribus fuſcis, ſtigmatibus ordinariis lineisque vndulatis obſcurioribus, inferioribus lacteo griſeis. *Mas antennis pectinatis.* *Larua* nuda fuſceſcenti livida, ſtriis pluribus obſoletis, ſegmentis ſingulis punctis 4 nigricantibus, capite biſtriato. Habitat frequens in ſegete ſiliginea, radices inprimis deuorans. Huius ſaepiſſime pernicioſi inſecti *) datur plenior hiſtoria. Laruae hyemem ſub terra in cauis ouatis tranſigunt; verno tempore variarum radicum graminis, foliis *Vrticae*, *Chenopodii*, *Lactucae* veſcuntur; ſub initium Maii in terra metamorphoſin ſubeunt, atque Auguſto declaratae Phalaenae prodeunt. Remedia multa hic ſuadentur, praecipue, vt, ſi neceſſarium ſit, Auguſti tempore, quo hae phalaenae coitum exercent, agri, in quibus reperiuntur, comburantur, tardius ſiligo terrae committatur, atque boum, non equorum, fimus immittatur.

p. 276. Tab. I. a. b. f. 4. *Ph. Geometra Lunaria*, pectinicornis alis eroſis, flaueſcenti rufoque variis, biſtriatis, ſuperioribus macula ad angulum externum ſublunari. *Larua* ramiformis capite depreſſo pedum

*) vid. *Breſslauiſch. Saml. v. Natur- und Medicingeſch.* 1719. Cl. IV. art. VIII. p. 592. Societas oeconomica Petropolitana quaeſtionem propoſuit 1770 de eradicanda hac pernicioſa erucarum ſpecie.

pedum 3tio pari longiore, ſegmentis 7 et 8 tumidis ac tuberoſis. Habitat in *Pyro ſilueſtri, Pruno, Betula, Berberide, Syringa.* Larua multum variat.

Tab. I. a. b. f. 5. *Ph. Pyralis ſalicalis*, palpis exiguis antennis pubeſcentibus, alis cinereo griſeis, ſuperioribus ſtrigis tribus obliquis fuluis. *Larua* 14poda, nuda, tenuis, viridis, linea dorſali ſaturatiore. Habitat in *Salice triandra, viminali* etc.

Tab. I. a. b. f. 6. *Phal. Tortrix fagana*, alis rhombeis, ſuperioribus griſeo purpuraſcentibus, ſtrigis aut maculis ad omnes margines flauis, inferioribus albis, antennis corpore longioribus, apicem verſus craſſiuſculis. *Larua* viridis, capite ſubgloboſo. Habitat in *Fago ſiluatica.*

Tab. I. a. b. f. 7. *Ph. Tinea viciella*, cinereo griſea, antennis pectinatis, alis rotundatis, deflexis, ſemipellucidis. *Larua* oliuaceo nigroque varia, intra cucullum ex paleis transuerſis compoſitum latitans. Habitat in *Vicia, Lathyro* etc. Mas, qui hic depingitur, eſt bombyciformis. Femina nulla eſt; ſed ex pupis quibusdam femininis erucae exeunt, praeter, quod mas coitum cum iis exercuerit. Ante egreſſum erucarum in pupa oua oblonga latitant. Hoc ſingulare phaenomenon verum eſſe iteratae obſeruationes Auctores docuerunt. p. 276.

Tab. I. a. b. f. 8. *P. Alucita pterodactyla* LINN. *Larua*, quae hic primo deſcribitur, eſt ſubpiloſa, viridis, linea dorſi latiore purpurea. Habitat in *Conuoluulo aruenſi.*

Tab. I. a. b. f. 9. *Papilio Proſerpina*, alis dentatis, nigris, faſcia candida, omnibus ſubtus ocello, primoribus ſupra ocello coeco. *Larua* ſubfurcata nuda, lineis longitudinalibus fuſcis, albis, luteis. Habitat in *Anthoxantho odorato, Lolio, Bromo.* p. 299.

V.

VRBAN FRIEDRICH BENEDICT BRÜCKMANNS *Abhandlung von dem Weltauge, oder* lapide mutabili. *Braunſchweig, im Verlage der Fürſtl. Waiſenhaus-Buchhandlung.* 1777. 2 *Bog. in* 4.

i. e.

De lapide mutabili ſ. oculus mundi dicto tractatio. Auctore VRBANO FRIDERICO BENEDICTO BRÜCKMANNO.

Expoſitis iis Auctoribus, qui huius rarioris lapidis meminerunt, Cl. Auctor indicat, cuius indolis ſit, et ad quamnam claſſem hic lapis pertineat. Ex ſolo habitu eundem ad lapides argillaceos induratos, opali duritie pertinere patet. Cum itaque Cl. Auctor et Ill. DE VELTHEIM, Conſiliarius Camerae et fodinarum praefectus, operam da-
p. 6. rent, vt hunc lapidem detegerent, in Muſeo VELTHEIMII reperiebatur *opalus griſeus*, ex inſulis Feroenſibus, qui lapidi ex albo, flaueſcenti argillaceo incluſus erat. Albo flaueſcens hic lapis, opacus, et opalo ſimilis, verum lapidem mutabilem offerebat; cum enim aquae immitteretur, transparens et pellucidus fiebat; aquae deinde exemtus iterum opacus reddebatur. Lapidis color in aqua non eſt vnus idemque, ſed variat; aliud enim fruſtulum flaueſcenti bruno colore, aliud rufo flauo, vt Topazius Braſileenſis, aliud albo flauo, aliud coeruleſcenti albo colore inſignitur. Experimentis conſtabat, lapidem in aquam miſſum grauiorem fieri, ex quo ſequitur, eundem aquam ipſam inſugere.

Simili

Simili ratione etiam Calcedonius Islandicus, Opalus, et lapis piceus, vt et Praſius Sileſiacus extus, cinguntur lamina lapidea bruno flaueſcente, quae etiam in aquam miſſa pellucida fit. Putat Cl. Auctor hos lapides argillaceos materiam ſuppeditare, ex qua Opalus, Calcedonius et Onyx naſcantur, cum tranſitus in eos ſtatim appareat. p. 9. p. 11.

Deſcribit deinde varietates lapidis mutabilis quoad colores, et phaenomena reliqua, e. g. veſicas aëreas ex eo prodire, et quodammodo in aqua moueri, madidum lapidem odorem vappidum argillaceum ſpargere: in omnibus humoribus, etiam in acidis mineralibus pellucidum fieri, neque his, neque alcalinis ſolui. Lapis hic non funditur, ſed in friabilem, opacam maſſam comburitur. Si lapis mutabilis madidus ſoli opponitur, atque oblique inſpicitur, punctum igneum in eo repraeſentatur, quod refractione ortam imaginem ſolis ſiſtit. Forte inde nomen *oculi mundi* accepit. Ex quibus omnibus patet, hunc lapidem eſſe argillaceum, ſubtilioris mixtionis, et forte nihil aliud, quam non ſubtiliter ſatis ſolutum nec plane induratum opalum vel calcedonium.

VI.

Eſſai d'une lithographie de Mločin. Ecrit à Varſovie en 1777. Imprimé à Dresde. 1777. 6½ plagg. 8.

i. e.

Tentamen lithographiae regionis Mločin, ſcriptum Varſouiae.

Auctor huius bene et diligenter conſcripti libelli eſt IOANNES PHILIPPVS DE CAROSI, qui

 amore

amore erga hiſtoriam naturalem inſtigatus, lapides et petrefacta, in littore Viſtulae diſperſa, collegit, annotationibusque catalogum eorum illuſtrauit. Praeterea quoque ad ſtrata telluris attendit, et omnia facta, quae ad praeteritum ſtatum terrae ſpectarent, ſollicite conſiderauit.

Pauca de hiſtoria naturali Poloniae ſcripta ſunt, rarae ſunt collectiones naturalium, praeſertim indigenorum. Abundat Polonia petrefactis marinis, vt et vegetabilibus; deinde lapidibus, ſchiſto, marmore, lapide arenario, creta, terra Tripolitana, ac turfa. Ex quibus omnibus, vt et ex inſigni copia lacuum patet, has productiones et transplantationes ab aqua, et ſine dubio a mari Baltico pendere. Oſtendit deinde Poloniae naturae producta non recte adminiſtrari, et ſuadet, vt hiſtoriae naturali opera detur, et producta naturae diſquirantur, opificia inſtituantur, et ſic agricultura et artes melius colantur.

His praemiſſis regionem, Mlocin dictam, deſcribit, quam ab vna parte *Viſtulae* litus terminat, ab altera vero ſiluae et colles arenacei, et planities ſenſim adſcendens conſtituit. Solum maxima ex parte eſt ſabuloſum, aliis in locis ſterile, aliis vero terra vegetabili et animali mixtum et priori fertilius. Strata telluris ſic ſubſequuntur: 1. Humus. 2. Sabulum flaueſcens, granulis maioribus et minoribus. 3. Sabulum rufum. 4. Sabulum flaveſcens vel ſubrubrum. 5. Argilla lateritia, quae tamen alicubi deeſt, alibi colore et ſubtilitate variat. 6. Sabulum limoſum. 7. Sabulum album, ſubtilius. 8. Arena ſaxoſa (*gravier*). 9. Arena griſea vel flaueſcens. 10. Arena limoſa. 11. Marga argilloſa. 12. Arena griſea. 13. Arena alba mobilis.

Haec

Haec ſtrata vtplurimum adſunt, etſi quibusdam in locis etiam numero et qualitate variant.

Poſt haec de aqua Viſtulae, de plantis circa litora eius naſcentibus, de piſcibus, amphibiis et nonnullis vermibus breuiter diſſerit.

In enumerandis corporibus naturalibus ſecutus eſt Cl. Auctor ſyſtema WALLERII, in terris et lapidibus et in petrefactis LINNAEI. Mineras partitur in ſalia, inflammabilia et metalla. Ex hac enumeratione nos quasdam tantum obſeruationes hic commemoremus. Lapis calcareus vtplurimum poliri poteſt et marmor praebet. Gypſum ſpatoſum hinc inde in paruis fruſtis diſperſum eſt in arenae ſaxoſae ſtrato. In ſilice igniario hic raro petrefacta occurrunt. Lignum inuenit vitriolo mineraliſatum, ſed raro. Praeterea minera vitrioli globoſa, et lithanthrax calcinatus, vti et pyrites, argilla bituminoſa, turfa, minera plumbi aëre deſtructa, et minera ferri calciformis in ea regione reperiuntur. p. 55.

Maior eſt numerus petrefactorum: hic commemorat FOVGTI diſſ. de coralliis Balticis, quae in LINNAEI amoenitatibus inſerta eſt. *Trochiten* deſcribit, cuius articuli maſſa alia lapidea ſine ordine ſecum nexi ſunt, vt mutatum ſtatum a vi externa luculenter demonſtrent. *Chamam plicatam petrefactam* inuenit, teſta in calcedonium mutata, et materia calcarea eam replente. Simili modo *Milleporam celluloſam* partim in calcareum, partim in agatem petrefactam inuenit. Cellulae cryſtallis et materia argillacea repletae erant. Ex his colligit lapides corneos, e. g. calcedonium et alios pro baſi habere terram calcaream acido vitriolico p. 62.

 ſatura-

ſaturatam. Sed ſola haec eſſe nequit, alias gypſum et lapides cornei eſſent vnum idemque.

Chitonem hiſpidum LINN. petrefactum integrum reperit. Ex coralliis petrefactis nos ea tantum indicabimus, quae a Cl. FOVGT non recenſentur. *Tubiporites ſerpens* LINN. *Madreporites labyrinthiformis* LINN. rara ſpecies. *M. Fungites. M. Aſtroites, Pertuſa* LINN. in ſpato calcareo albo.
p. 80. *Spongiae lamelloſae ſphaericae* lamellis perforatis mentionem facit, quae a LINNAEO non commemoratur. *Corallinae Opuntiae* LINN. impreſſiones in lapide calcareo ſe inueniſſe putat; atque *Dendrachatem* exiſtimat eſſe *Corallinam officinalem* LINN. petrefactam: nobis tamen cum WALLERIO et aliis potius certum videtur, figuras arboribus vel muſcis ſimiles in calcedonio vel agate pendere a vaporibus metallicis vel aliis terreſtribus partibus minus ſolutis, in fiſſuris lapidis diſperſis.

Lithophytis ſubiungit lapides figuratos, et catalogum foſſilium, quae HEVCHERVS in Polonia collegit, ex ERNDTELIO ſumtum: vt et nonnulla petrefacta, quae olim *Rczaczynski* KLEINIO miſit.

Sub finem dicit Cl. Auctor, ſe et amicum in eo eſſe occupatos, vt librum elementarem hiſtoriae naturalis in vſum ſcholarum nationalium componant: promittit etiam pleniorem aliquando de hiſtoria naturali Poloniae librum. Quibus inſtitutis nos Auctori, et praeſertim Poloniae, de reſtauratore ſcientiae tam ſollicito et diligenti gratulamur.

VII.

Phoſphoreſcentia adamantum nouis experimentis illuſtrata a MICHAELE DE GROSSER, S. R. I. E. Inferioris Auſtriae nobili prouinciali. Viennae, typis Io. Thom. de Trattnern. 1777. 2 plagg. in 8. tab. aen. in titulo.

Tentaminibus his cauſſas phoſphoreſcentiae figere certius, et adamantum genus determinare ſtudet Noſter, quod phoſphoreſcente facultate polleat. Quibus quidem inſtituendis Cl. Auctori opportunitas erat, cum parens eius adamantibus omnis generis et omnium colorum, et inſigni in his tractandis peritia praeditus erat. Indaganti cauſſam phoſphoreſcentiae HERBERTVS in diſſ. *de igne*, praeiuit, vt Noſtro tantum inquirendum incumberet, ad quam phoſphororum ſpeciem adamantes pertinerent. p. 3.

Ea tantum corpora phoſphoros vocat, quae lucem, diurna multo minorem, nec viſum ſuo fulgore perſtringentem, nec tactum ſenſibili calore afficientem emittunt. Haec vel aëris tantum acceſſu, vel etiam in vacuo fulgent. Ad prius genus lignorum putridorum, et electricitatis corruſcationes, et haud dubie lampyrides, dactyli marini ſ. Pholades, piſces in aqua ſalſa cocti, phoſphoreſcentia maris, et ignes fatui pertinent. Ad alterum phoſphorus Bononienſis CANTONI, BALDVINI et alii huiusmodi, et, vti Noſter experimentis demonſtrat, adamantum phoſphoreſcentia. p. 4. p. 6.

Adamas coloris citrini in tubum vitreum mercurio replendum immiſſus ita, vt ſpatium eſſet aëre vacuum, eundem in hoc vacuo, quem aperto in aëre, fulgorem prae ſe tulit. Idque euenit ſiue

 a di-

a diurna luce, ſiue a calore ſplendorem mutuarit. Conductori electrico cera adfixus adamas, quum ſcintilla ex conductore eliceretur, huius traiectu luxit eodem modo, vt puluis phoſphori Bononienſis.

p. 9. His viſis, primum experimenta, quae ZANOTTVS *) inſtituit, iteranda ſumſit. In hoc experimento enim Cl. Auctor concipere non poterat, quod phoſphorus Bononienſis vterque, et coerulea et rubra luce illuſtratus, colorem eundem et eandem quoque lucis intenſitatem emitteret: ſuſpicabatur igitur, colores non ſatis ſeparatos in pavimentum incidiſſe. Quare apparatum curauit, quo mediante maxima cum cura hoc experimentum repeteretur, et tunc vidit illi phoſphoro, quem rubro in lumine collocauerat, debilem eſſe lucem, quoad colorem ei ſimilem, quae viridium et coeruleorum mixtione habetur; illi contra, qui coeruleo lumine colluſtrabatur, lux multo magis viuida erat, coloris aurei, aut carbonis candentis; luci illi ſimilis, quae fere rubrorum et flauorum mixtione obtinetur. Adamas autem in hoc lumine collocatus nullum fulgoris veſtigium obtulit.

p. 16. Igitur, cum luminis diſperſione experimentum impediri putaret, lentis interuentu radios colligere adamantemque focis imponere inſtituit. Tumque adamas in foco rubrorum radiorum nullam, quae in tenebris diſcerneretur, lucem emiſit; qui tamen in coeruleorum foco, continuato per 5 minuta fulgore, ex albo flaueſcente, luxit.

p. 18. Deinde, ſi phoſphorus, alio ſub apparatu, foco coeruleorum radiorum immittitur, rubri praeſertim flauique coloris intenſionem radiis ex ipſo phoſphoro emiſſis magnopere ipſam ſub operationem

*) vid. Comment. academ. Bonon. T. I.

tionem auxit. In adamante, re eodem modo tentata, intendi flauus color per priſma viſus eſt.

Iam BECCARIAE *) experimenta commemorat, quae vero, cum de alio, quam de Bononienſi phoſphoro agant, ad rem ſuam parum pertinere ait: interim, cum BECCARIAS colligat, lucem a phoſphoris aliam non reddi, niſi illam, quam recens accepere, experimenta eiusdem non in eius, ſed Bononienſi phoſphoro iterauit, viditque dubia eſſe haec experimenta, neque priora iis debilitari. p. 19.

Communia itaque adamas cum phoſphoro habet plura, eaque demonſtrant eſſe easdem in his corporibus phoſphoreſcendi cauſſas, et lucem illabi in adamantem aliam, aliam in tenebris reddi. Diuerſitates, quae ea intercedunt, inferiorem multo fulgoris intenſionem in adamante comprobant, quam in Bononienſi lapide. Cum HERBERTO igitur putat, diuerſas cum diuerſis corporibus heterogeneorum luminis radiorum intercedere adfinitates, alia radiis rubris, alia coeruleis magis adfinia eſſe: quae rubris magis adfinia ſunt, coeruleos aliosque horum acceſſu dimittere, quae vero coeruleis, ea rubros aliosque euibrare. p. 22.

Iam, qui potiſſimum adamantes phoſphoreſcant, perſcrutatur. Diuerſam a FACO experiendi rationem tenuit. Adamantes namque non luci ſolum ſolari expoſuit; ſed inſuper in coeruleorum radiorum foco collocauit. Ex experimentis colligit: adamantes, quo maiores ſint, eo dutius, vt luceant, colluſtrari debere: fruſtra in colore eorum phoſ- p. 24.

 phore-

*) Retulit ea etiam PRIESTLEYVS in libro: *Die Geſchichte und gegenwärtiger Zuſtand der Optik. 2 Abſchnitt.*

phoreſcentiae cauſſas poni, nam omnium colorum quidam lucem emiſerunt, alii nullam: nec a loco natali rem pendere, neque ignis ſola actione phoſphoreſcendi vim oboriri; verum a ſalium interventu eandem pendere: quod expertus eſt, cum adamantes, qui nulla opera ante ad phoſphoreſcentiam adduci poterant, boraci fuſo immitteret, et per horae quadrantem in igne fuſorio retineret: frigefacti enim adamantes coeruleorum radiorum foco impoſiti eleganter in tenebris phoſphoreſcebant. Deinde tamen crudos adamantes tentauit, viditque alios ex iis lucere, alios non. Inde colligit, id quod arte in nonnullis praeſtitit, a natura praeſtari in pluribus, et partes ſalinas ſubtiliſſimas intra adamantem, ſub eiusdem geneſin locatas, continuatumque earum regionum calorem, in quibus adamantes reperiuntur, compluribus illorum vim tribuere, lucem vt ſorbeant, ſorptamque dimittant.

VIII.

Diſſertatio inauguralis zoologico phyſiologica de Chao infuſorio LINNAEI. Auctore MARTINO TERECHOWSKY, Vcrano Ruſſo. Argentorati, d. 23. Iunii, anno 1775. Typis Io. Henr. Heitzii. plagg. 8. in 4.

Elegantiſſime et doctiſſime ſcripta haec diſſertatio multis diligenter et ſollicite a Cl. Auctore inſtitutis obſeruationibus ſe commendat, quibus, vti nos quidem arbitramur, HALLERI aliorumque ſententia certiſſime confirmata eſt, qua nempe animalcula infuſoria ſ. *Chaos infuſorium* LINN. eodem modo, quo reliqua maiora animalia, ex ouis oriri dicuntur.

Poſt prooemium, in quo Cl. Auctor ſuccincte vtilitatem cognitionis naturae demonſtrat, atque Cl. SCHVRERI merita in ſe laudat, in parte prima *verum corpuſculorum infuſoriorum motum* demonſtrat. p. 11. Non enim aliorum oculis cernere contentus fuit; ſed ab ipſa natura, per ſui ipſius experientiam doceri cupiit. Plures itaque cautiſſime inſtituit obſeruationes cum infuſis plantarum plurimarum, et animalium, iisdemque doctus eſt, in omni infuſo, quod ex aqua communi et parte qualibet vegetabilis cuiuscunque, ſiue illa reſoluta putreſcat, ſiue vegetans creſcat, vel ex ſubſtantia quacunque animali in moderato calore per aliquod tempus ſeruatur, reperiri moleculas quasdam, quae non a cauſſa mechanica externa, ſed a vi quadam interna ſibi propria vel ſaltem in infuſo latente, inſtar animalculorum aquaticorum mouentur.

Expoſitis Auctorum diuerſiſſimis opinionibus p. 19. de indole horum corpuſculorum in parte II obſeruata profert, quibus *vera corpuſculorum infuſoriorum animalitas*, quam demonſtrarunt iam multi, comprobatur. Nam haec animalcula non ſunt p. 24. bullulae aëreae, cum, aëre educto, remaneant in aquae guttula; neque a motu inteſtino infuſi pendent, qui plane alia phaenomena ſub microſcopio offert, quam motus ſpontaneus: neque ſunt particulae oleoſae, vel farinaceae, vel ſalinae, per inteſtinum fermentationis motum agitatae; ſi enim ſummus eſt in infuſo putredinis gradus, animalcula pereunt. Sed vera ſunt animalia: moriuntur enim ab acidis mineralibus variisque venenis, eademque fugere adnituntur; intereunt in calore p. 27. eo, in quo ſpiritus thermometri Reaumuriani ad 35 gradus adſcendit; et in frigore eo, quo aqua plane in glaciem vertitur. Quin immo electricitatis

ſcin-

ſcintilla percuſſa, rapide commouentur, aeter-
numque quieſcunt. Motu ſpontaneo, quo multi-
plici gaudent, eadem probantur. Praeterea Cl.
Auctoris obſeruata docent, haec animalcula, ſaltem
p. 31. nonnulla, organo viſus, organis motus externis,
viſceribus internis et immobilibus et mobilibus
inſtrui, atque etiam in aëre, varie modificato ea-
dem fata experiri, quae alia quaecunque animalia
experiuntur.

p. 38. Pars III *de animalculorum infuſoriorum gene-
ratione* agit. Expoſitis bene praecipuorum Aucto-
rum ſententiis de generatione generatim, et ani-
malculorum infuſoriorum, prius ſuas offert ob-
p. 52. ſeruationes, quam de eadem iudicet. Experimenta
vero eiusmodi inſtituit, quae parentum, fetuum,
ſ. ouorum vel in aqua infundenda, vel in ſubſtantiis
macerandis, vel in aëre, aut praeſentiam aut ab-
ſentiam demonſtrent. Plurima ſunt argumenta,
quibus oſtenditur, parentes vel oua in aqua com-
muni prius iam adeſſe, quam ad infuſionem adhi-
beantur. Si enim diuerſiſſimae ſubſtantiae vege-
tabiles et animales aqua ex vno eodemque puteo
hauſta infundebat; plerumque easdem animalium
ſpecies obtinuit; et cum vna eademque ſubſtantia
in aqua diuerſa maceraretur, diuerſa animalculo-
rum genera reperiebantur. Inſecta aërea in aquam
oua ſua ponere falſum eſſe eapropter iam alii do-
cuerunt, quod nulla infuſoria animalcula meta-
morphoſin ſubeant, et a laruis aquaticis ſint diuer-
p. 56. ſiſſima. Denique id, quod in aqua recenti puteali
puriſſima quaedam animalcula infuſoria inuenit,
probat, primordia eorum eſſe in ipſa aqua. Quod
quidem in aqua pura per aliquod tempus in cubi-
culo ſeruata alii et inter hos nuper demum Cl.
MÜLLER *) viderunt.

Prae-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 24.

Praeterea aquam glacialem, coctam et crudam vitris diuerſis puriſſimis excepit, iisque apertis in cubiculo repoſitis, in aqua cruda numeroſa animalcula apparuerunt; ſed nulla in reliquis; cum autem coctae et glaciali aquae cruda affunderetur, pauca in iis animalcula viſa ſunt. Sic quoque ſubſtantias vegetabiles cum aqua cruda, glaciali et cocta, iterum frigefacta infudit, et in infuſione cum aqua cruda quidem animalcula infuſoria, nulla vero in reliquis: cum autem his infuſis aquam crudam affunderet, plura, poſt quosdam dies, animalcula videri poterant. In infuſo animalculis pleno, cum calore et frigore animalcula necaſſet, nulla poſtea animalcula iterum apparuerunt. Herbae decoctae ſi aqua cruda infunderetur, animalcula in infuſo continebantur; ſi vero cocta, nulla. p. 57.

Ex quibus omnibus certiſſime efficitur, parentes, vel oua fetusque in aqua infundenda iam praeeſſe. Ad quamnam animalium claſſem haec animalcula pertineant, vtrum ſint hermaphrodita, an ſexu diſtincta, vtrum ouipara, an viuipara, ſimulque et ſpecies aliis determinare relinquit. p. 60.

IX.

Der Naturforſcher IV. Stück. 17. plagg. tab. aen. 4. *Halle.* 1774. 8. *V. Stück.* 17. plagg. tab. aen. 3. *VI. Stück.* 18. plagg. tab. aen. 8.

i. e.

Naturae ſcrutator. Pars IV. V. et VI *).

Quarta pars has continet diſſertatiunculas: P. IV.

1.) Io. A. E. GOEZE *hiſtoria laruarum, quae inter folii ſubſtantiam viuunt eamque rodunt.* Enarratis p. 1.

*) Praecedentes partes v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 700.

ratis Reaumurianis, Degeerianis et de Riuillianis opinionibus et obſeruatis, ſua proponit, quibus inprimis euincit his laruis nullos omnino eſſe pedes.

p. 33. 2.) I. E. I. WALCH *deſcriptio nonnullorum recenter detectorum conchyliorum.* Deſcribuntur tria conchylia ex muſeo FRIDERICI CAROLI Principis Rudolſtadienſis, qui eadem a BANCKIO et SOLANDRO accepit, ſcilicet Turbo aliquis, qui ad turritos LINNAEI pertinet, Nerita corona et Voluta fuſiformis.

p. 57. 3.) IDEM *de reproductione aſteriarum.* Vidit aſteriam ſtellatam quinque radiis, diuiſo vno radio, ſex accipere radios et hac obſeruatione oblata de vi reproductionis nonnullas quaeſtiones mouet.

p. 67. 4.) I. F. GMELIN *conſideratio muſcarum vegetantium.* Diſputatione de commercio animalia inter et vegetabilia inſtituta, tres ſingulares muſcarum vegetantium ſpecies a HILLIO, TORRVBIA et aliis deſcriptas enumerat. In larua putreſcente papilionis inuenit MÜLLERVS clauariam militarem; in larua cicadae pomiferae HILLIVS clauariam ſoboliferam; denique TORRVBIA, cuius vero obſeruatio imperfecta cenſenda eſt, in putreſcente tenthredine, quemadmodum ex icone apparet, plantam, quae ad lichenes fruticuloſos pertinere videtur. Caeterum aſſumit, has plantulas exoriri ex ſemine in inſecta illapſo.

p. 80. 5.) IDEM *de plantis in agris Sueuiae ſponte creſcentibus, earumque vſu. Commentatio tertia.* Pertractat, quemadmodum priores, vmbellatas et ſtellatas herbas.

6.) I. G. F. MEINECKE *obſeruationum entomologicarum pars altera.* Communicat nobiscum nonnullas obſeruationes de inſectorum ouis eorumque foecundatione atque de coitu Sphingum ocellatarum notat, ſe vidiſſe alium marem poſt coitum exſiccatum protinus mortuum, alium vero peracto coitu bene valuiſſe; ex quibus colligit, marem non ex vno, ſed reiterato coitu interire. Deponuntur oua in veſicam aliquam; oua nondum excluſa mollia ſunt nec prius, quam in ipſo coitu foecundantur, ipſumque ſperma omnem ſuam poteſtatem amittit, ſimulac in liberum venerit aërem. Femina 300 ouis productis moriebatur. p. 111.

7.) C. F. C. KLEEMANN *animaduerſiones de nonnullis erucis et papilionibus.* Reſpondet KÜHNII monitis, in prima huius diarii parte commemoratis. p. 121.

8.) *De colore anomalo albo auium.* Enarrat Cl. WALCH diſputationem inter L. B. ZORN DE PLOBSHEIM et GÜNTHERVM. p. 128.

9.) IDEM deſcripſit et depingere curauit *Limacem album* LINNAEI, qui *Limaci atro* quam maxime affinis cenſetur. p. 136.

10.) IDEM icone et deſcriptione illuſtrat *Phalaenam aliquam alis cinnamomeis.* p. 141.

11.) I. F. GMELIN *de petrefactis animalium Würtembergicis. Commentatio altera.* Gryphitae, Terebratulitae et Pectunculitae deſcribuntur et loca, vbi reperiuntur, accurate notantur. p. 145.

p. 179. 12.) I. S. SCHROETER *de reliquis regionis Vinarienſis conchyliis petrefactis.* Continuat in labore in prima et altera huius diarii parte ſuſcepto et deſcribit Belemnitas, Patellitas, Cochlitas, Turbinitas, Strombitas, Dentalitas, Orthoceratitas et Belemniten, loca, vbi obueniant, haud omittens.

p. 102. 13.) Cl. WALCH *obſeruationum lithologicarum Pars quarta.* Deſcribit Cochlitas in iaſpide, conchylia petrefacta et ligna, quae in vno lapide inueniebantur, et petrefacta arcis *Regenſtein.*

p. 227. 14.) W. H. I. BVCHHOLZ commemorat *ſcoriam, quae in foeni aceruo a fulmine generabatur, atque odorem hepatis ſulphuris prae ſe ferebat.*

Verſiones:

15.) *De plantis inſulae Outahitée:* ex PARKINSONI itinerario.

16.) MARCORELLE *de notatu dignis, quae circa Roquette inueniuntur:* ex Melanges d' hiſt. natur.

Pars V. In quinta parte inueniuntur:

p. 1. 1.) GOEZE *obſeruationes microſcopicae de erucis ſubcutaneis in foliis pyri mali.* Ouulum huius erucae non detexit, viam autem, quae ab ea deſcribitur et excrementa nigri coloris, quae poſt animal relinquuntur, vidit. Arrodit eruca per octo dies folii celluloſam et quidem perpetuo, quemadmodum ex motu capitis cognouit, tandem vero perforat folium atque ſub inferiori ſuperficie haerens folliculo ſericeo obuoluitur. Ex folliculo,

ex

ex quo proprie papilio exoriri debebat, egrediebatur ichneumon, qui ſcilicet papilionem necauerat eiusque locum occupauerat; reiterata vero obſeruatione papilionem prodire vidit. Quae omnia imaginibus egregie illuſtrantur.

2.) GRÜNDLER *de nonnullis Grylli ſpeciebus.* p. 19. Obſeruat maſticationem et coitum *Grylli migratorii* et deſcribit methodum eum capiendi.

3.) WALCH *de aſtroitis.* Diligens et diffuſa p. 23. de origine et claſſibus aſtroitarum commentatio.

4.) GOEZE *de erucis ſubcutaneis, quae viam* p. 62. *ſpiralem abſoluunt.* Harum, quae a modo commemoratis quam maxime differunt, neque REAVMVRIVS, neque DEGEERIVS mentionem fecerunt. Curuatum earum corpus efficit, vt etiam earum viae ſint curuae. Deſcribit atque imaginibus illuſtrat erucam et papilionem, cuius erucam in pyro et malo inuenit.

5.) GRÜNDLER narrat, ſe inueniſſe *in eruca* p. 73. *mortua clauariam,* cuius ſemen ex muſcis, in quibus recondebatur eruca, in ipſam illapſum progerminauerat.

6.) GMELIN *de plantis in agris Sueuiae ſponte* p. 76. *naſcentibus. Commentatio quarta.* Polyandriam et Syngeneſiam ſollicite conſiderat.

7.) SCHROETER *de Patellis regni lapidei.* Tota p. 102. earum hiſtoria diligenter pertractatur, cognitae ad claſſes rediguntur, et imaginibus illuſtrantur.

p. 145. 8.) DE ARENSWALD *hiſtoria petrefactorum Pommeranorum et Megapolitanorum. Pars prima.* Quae petrefacta plerumque ſub ſilicum rotundata figura apparent atque ab inundationibus originem duxiſſe videntur, deſcribuntur, et quidem primum ea, quae in pyrite reperiuntur, ex quibus duo inprimis commemorationem merentur, nimirum caput piſcis in pyrite et eruca in pyrite, de quo vero petrefacto lubenter dubitauimus; deinde ea, quae in lapide calcareo et margaceo deprehenduntur.

p. 169. 9.) I. C. MEINECKE *Obſeruata mineralogica. Pars prima.* Continent, praeter conſiderationem terrarum argillacearum, quae prope *Aſchersleben* et *Alten-Weddi* reperiuntur, et achatis ſtalactitici, deſcriptiones nonnullorum petrefactorum.

p. 184. Verſiones:

10.) PARSON *de ſingulari ſpecie lacertae chameleonis.*

11.) HEWSON *de vaſis lymphaticis auium:* ambae ex *Philoſ. Tranſ.* Vol. 58.

12.) GADD diſſ. *de inſectis, quae piſcatui nocent.* Cui verſioni Cl. BECKMANNVS animaduerſiones quasdam adiecit.

13.) DEGEERIVS *de generatione inſectorum:* ex Opere EI. de inſectis.

P. VI. Sextae parti praemittitur praefatio, in qua narratur, Auctores diarii iconum numerum impoſterum aucturos atque decimae cuique parti indicem ſemper adiuncturos eſſe. Caeterum continet:

1.) S.

1.) S. A. DE ROTTEMBVRG *animaduerſiones ad* HVFNAGELII *tabulas papilionum.* Ediderat HVFNAGELIVS in diario *Berliner Magazin* dicto tabulas papilionum, quibus deſcriptiones deerant, ſed aliis negotiis impeditus ROTTEMBVRGIO ſuum demandauit officium, deſcriptionesque ſuas illi exhibuit, qui quoque illud mandatum opus bene praeſtitit, imo ſuas adnotationes interdum adiecit. p. 1.

2.) I. BECKMANNI *hiſtoria naturalis monoculi polyphemi.* Deſcripto hoc monoculo aliae deſcriptiones et imagines huius animalis recenſentur. p. 35.

3.) GOEZE *deſcriptio Cicadae ſanguinolentae vna cum animaduerſionibus ſuper cicadae genere in vniuerſum.* Omnes et ſingulae huius inſecti partes quam accuratiſſime deſcribuntur et iconibus illuſtrantur; nonnulla quoque ex DEGEERII obſeruationibus deriuantur. p. 41.

4.) KÜHNII *analecta ad inſectorum hiſtoriam. Pars quarta.* Suadet nonnulla remedia pro fugandis *Chryſomelis ſaltatoriis* et *Forficulis;* deſcribit Sphingem, quae ſimilis eſt *Sph. Filipendulae; Papilio paphia* deuorat violam, neque vrticas; *Phalaena purpurea* alitur foliis Groſſulariae. Depingitur eruca piloſa, quae conuenit cum eruca *Phalaenae Gamma* L. et commemoratur chryſalis, in qua recondebantur muſcae. p. 69.

5.) SCHVLZII *aduerſaria ad hiſtoriam variorum inſectorum.* Deſcribuntur ſedulo *Caſſida groſſa, C. bipuſtulata, Phalaena Geometra annulata, Ph. Geom. centumnotata, Silpha ſpecioſa* et *Curculio gemmatus;* quorum omnium icones quoque exhibentur. p. 87.

p. 99. 6.) I. G. F. MEINECKE *obſeruationes entomologicae. Pars tertia.* Indagat cauſas raritatis nonnullorum inſectorum; iconibus et deſcriptionibus illuſtrat Phalaenam noctuam ſpirilinguem dorſo laeuem, quam *Lemuris* nomine inſignit, papilionem et duas alias phalaenas haud vulgares; mentionem facit erucae Phalaenae verſicoloris, quibus denique hiſtoriam Phalaenae Tau adnectit.

p. 123. 7.) WALCH *aduerſaria ad inſectorum hiſtoriam. Pars prima.* Pollicetur Cl. WALCH, ſe deſcriptiones et imagines inſectorum exoticorum, quae in Merianeis, Roeſelianis, Knorrianis et aliis celeberrimis collectionibus non deprehenduntur, editurum eſſe atque inchoat ſuum propoſitum cum deſcriptione *Papilionis Danai Obrini*, *Equitis Capucini* et *Danai ſimplicis.*

p. 132. 8.) GMELIN *de plantis in agris Sueuiae ſponte creſcentibus. Pars quinta.* Diligentiſſimo huic tractatui, conſiderans leguminoſas, cruciatas et cryptogamicas herbas, finem imponit.

p. 165. 9.) WALCH *obſeruationum lithologicarum pars quinta.* Continet deſcriptiones Neritae ſingularis, Orthoceratitae Maſtricenſis, Pholaditae circa Petropolin reperti, Encrini Langiani, petrefactae ſine dubio Teſtudinis imbricatae, et denique Belemnitae ſingularis magnitudinis.

p. 190. 10.) ESPER *de prototypo globoſorum corporum in ſchiſto vitriolico.* Fortaſſe pilae marinae hisce globoſis corporibus originem praebent, quae in praefectura Baruthina *Lobenſtein* reperiuntur, quoad colorem cum ardeſia conueniunt, manus tingunt

atque

atque vix non ſemper accuratam rotundam figuram referunt

11.) I. C. MEINECKE *obſeruationum mineralogicarum pars ſecunda.* Refutatur primum opinio eorum, qui autumant, lapides quosdam pluuia molleſcere. Obſeruat calculos equinos veſicales, ponderis vnius et dimidiae librae, qui in medio nucleum rubrum habent. Petrefacta in varia matrice inueniuntur, partim quia ipſa corpora, quae incruſtantur, matricem mutant, partim quia aliae particulae ſenſim accedunt. p. 205.

Verſiones: p. 216.

12.) IO. BAPT. DE COVOLO *de nonnullorum florum irritabilitate:* ex Ital. ſermone translata.

13.) BERGII *deſcriptio Crotonis ſpicati:* ex *Phil. Tranſ.* Vol. 58.

14. et 15.) *Epiſtolae duae* ex diario Gallico *Mercure de France.*

16.) DE TRESSAN *de nonnullis hiſtoriae naturalis obiectis:* ex *Mélanges d'hiſt. natur.*

X.

Chymie experimentale et raiſonnée par Mr. BAUME', Maitre Apothicaire de Paris cet. T. I. à Paris, chez Franc. Didot le jeune. 1773. 8. 1 Alph. plagg. 8.

i. e.

Chemia experimentalis et rationalis. Auctore Cl. BAUME'. Vol. I.

Inſtitutis quibusdam circa optimam docendae diſcendaeque chemiae methodum diſquiſitionibus, et generatim adumbrata huius libri ratione, Cl. Auctor de inſtrumentis furnisque inprimis chemicis nonnulla praefatur, quae quidem latius recenſere noſtri inſtituti ratio vetat. Non poſſumus tamen
p. 85. facere, quin memoriam iniiciamus furni, a Cl. BAUME' reperti, quem eo, quod camino multo ampliore, quam plurimi furni, inſtructus ſit, his quoque multo praeſtantiorem eſſe teſtatur. In
p. 99. tractatione de vaſis, quanti errores ex eorum perverſo delectu oriri poſſint, egregie monet, et ſimul multa lectu digniſſima de vaſorum generibus et finibus, de materiis, ex quibus, et de opificibus, a qui-
p. 118. bus fabreſiant, proponit. Nonnulla quoque noua lutorum genera ſuppellectilis chemicae enumerationi adiungit, eorumque vim diuerſam in conglu-
p. 147. tinandis vaſis expertus ipſe docet. Omnibus iſtis circa finem prolegomenorum breue chemicorum vocabulorum promptuarium additur, non quidem omnes, vulgatiſſimos tamen artis illius terminos complectens.

Librum

Librum ipſum Cl. Auctor a generali chemiae p. 1.
eiusque obiectorum contemplatione orditur. Se- p. 6.
cundum eius ſententiam ſoli regno animali et ve-
getabili inflammabilis natura contigit, cuius omne
corpus minerale plane expers eſt, quamdiu partes
alienae nondum acceſſerunt. Ignis itaque materiam
non niſi ex animalibus vel plantis haurire poteſt
quodcunque minerale corpus, cum ſola corpora
organica illud aſſeruandi munus nacta ſint. Prae-
terea etiam, quae ineſt mineralibus particula in-
flammabilis, illa oleoſam exuit indolem qua pri-
dem vtebatur, et ſicca euadit. Analyſeos chemi- p. 8.
cae duas ſpecies cum reliquis Auctoribus aſſumit,
alteram, quae per ignem, alteram, quae per men-
ſtrua fiat; compoſitionem vero affinitati corporum p. 11.
maxime inniti perhibet. Affinitatem vero omnem
in octo genera diſpeſcit. Ex his primum compre- p. 23.
hendit affinitatem cohaeſionis, alterum aggregatio- p. 28.
nem, tertium mixtionem inter duo corpora, quar- p. 30.
tum commixtionem trium corporum ſibi aequali p. 32.
modo affinium, quintum coniunctionem corporum p. 33.
duorum tertii cuiusdam auxilio procreatam (ſ. or-
tam), ſextum affinitatem trium corporum, qua de- p. 34.
ſtructio ſimul et noua compoſitio efficitur, ſepti- p. 35.
mum reciprocam et octauum denique eam affini- p. 36.
tatem complectitur, qua inter quatuor corpora
commixta duae decompoſitiones totidemque no-
vae miſcelae contingunt.

Repudiatis, quae PARACELSVS et BECCHE- p. 39.
RVS in chemiam introduxerunt, elementis, Cl. Au-
ctor phyſicis elementis aëri, aquae, terrae et
igni iura ſua in chemiam vindicat, STAHLII hac p. 43.
in re veſtigia ſecutus.

p. 47. Ignis ſecundum illius ſententiam non modo
caloris, verum etiam ſaporis, odoris et lucis ipſius
prima cauſa eſt, quamuis multa corpora ſine calore
p. 54. luceant. Dilatatio, cuius cauſa ignis eſt, orditur
quaſi particularum ſeparationem vehementiori igne
abſoluendam. Fluida proinde corpora, in perpe-
tua quaſi fuſione conſtituta ſunt. Attamen, cuius
capacia ſunt, calor non in grauitatis ſpecificae, ſed
p. 57. in fixitatis ratione eſt. Ignis non minus grauitate
gaudet, quam alia corpora, licet ea, quibus ſeſe in-
ſinuat corpora non tam attingere, quam eorum
interſtitiis liber inhaerere Cl. Auctori videatur.
Quodſi vero intimius cum particulis corporum
iungitur, tunc augetur eorum pondus, teſtante
p. 58. metallorum calcinatorum exemplo. Motus ignis
tam rapidus eſt atque velox, vt radii, ſpeculo ar-
dente in focum collecti, ne vehementiſſimo quidem
vento diſturbari vel intercipi ſeſe patiantur. Quam-
vis autem, metallis in calcem abeuntibus, pondus
abſolutum inſigniter ſaepe augeatur, paria tamen
volumina calces metallicae et metalli eiusdem ge-
neris non ita ſe habent. Cum enim calces metalli-
cae diſtendantur ſimul ignis virtute, et metallum
contra in minori ſpatio plus maſſae contineat, cauſa
intelligitur, cur metallum calcis metallicae par vo-
lumen pondere ſuperet.

p. 64. Aër, quo minus ignearum particularum ha-
bet, eo purior cenſendus eſt. Inde cognoſcitur,
cur tempore hiberno, et poſt pluuias puriſſimus
ſit. Quod vero corpora, multo grauioribus flui-
dis peruia (e. g. chartam, corium etc.) non pene-
tret, hoc ideo ita contingit, quoniam poros hu-
mectare nequit, ſicuti et aqua per chartam, oleo
p. 67. illinitam, percolari recuſat. Corpora varia non
aliter forſan ingreditur, niſi peregrinis particulis
inuolutus; hoc autem munus, vt alia elementa,
ſic

ſic aërem quoque immutandi ſolis organicis corporibus delatum fuit.

Ignis aëris volumen auget, imminuta eius denſitate. Vehementiſſimo tamen ignis ardore ſi in ſpatium terdecies vel quaterdecies naturali amplius effuſus fuit, vlterius ſe extendi non patitur. Aëris contra in purum ignem efficacia (l. poteſtas) nulla eſt, quandoquidem corpora in vacuo conſtituta aeque, ac in aëre libero, ab igne funduntur et in vitrum vertuntur. Ignis vero, qui materie combuſtibili alitur, aëris adiumento carere nequit. An vero vnquam aër cum igne puro ita coniungatur, vt ſecundarium quaſi inde principium naſcatur, adhuc ignoramus. Aqua pura triplicem formam induere conſueuit. Siue enim liquida eſt, ſiue ſolida, ſiue denique in vapores reſoluta. Eam comprimi non poſſe apparuit luculentiſſime experimento in Academia Florentina inſtituto. Globos aureos aqua intus repletos, torcularique ſubiectos, aqua penetrabat potius, quam vt comprimi ſeſe pateretur. Aëris id temperamentum experta, quod decem gradibus a congelatione diſtet, minimum ſpatium aqua replet. Dum feruet, volumen eiusdem vna parte triceſima et ſecunda augetur, et calore ſuo octogenos vel binos et octogenos thermometri Reaumuriani gradus aequat. Papiniana machina concluſa longe vehementioris caloris capax eſt, rutilat adeo atque candet, in vaſis ex metallo ſat craſſo cuſis igni expoſita. Quo rarior e contrario aër eſt aquam ambiens, eo celerius illa feruet. p. 68. p. 70. p. 72.

Quod aqua fluida non vltra definitum quendam gradum, (qui dimidius eſt a congelatione), algeat, ſequenti tentamine efficitur. Glaciei duae partes cum vna ſalis communis parte mixtae, frigus duodeuiginti aut viginti gradibus, conglacia- p. 74.

 tionis

tionis gradu maius producunt. Veruntamen ſi huic miſcelae aqua pura vitro contenta immergitur, atque dein tum glaciei ſalſae, tum aquae thermometrum immittitur, in illo quidem frigoris antea commemoratus gradus, in hoc vero, dimidius ſub congelationis puncto gradus conſtanter indicatur, donec aqua in glaciem prorſus abierit. Fluida au-
p. 76. tem congelationis neſcia ſtatim ab initio mixtam cum ſale glaciem frigore ſuo imitantur.

Glacies perinde ac ſalia certas cryſtallorum formas oſtendit. Spicula nempe illius ſub angulo ſemper ſexaginta vel centum et viginti graduum ſeſe decuſſant, dummodo frigus modum non exceſſerit. Sub ipſa congelatione aqua intumeſcit, atque adeo duriſſima corpora, quibus coërcetur, diſplodit. Videtur Cl. Auctori haec voluminis extenſio fuſionis initium eſſe; quapropter etiam frigore ſat graui, ſiquidem illud arte poſſet produci, hoc euenturum eſſe ſuſpicatur, vt duriſſima omnino corpora, quaſi ignis ardore fuſa, colliquarentur. Ferri exemplo hanc opinionem ornare ſtudet, quod vehementi frigore tentatum, volumine ſenſim augetur, fragileque redditur. Cuncta autem, quibus congelata aqua a liquida differt, leuitatem maiorem et alia, ſoli mutatae particularum connexioni tribuit.

p. 80. Aqua pluuia ex vaporibus collecta, ſemper aliquam ſelenitis particulam continet. Ipſi aquae vapores per paruum Aeolipilae orificium prorumpentes, ſi mediam flammam penetrant, mox in aëre diſſoluuntur, vnde fit, quod applicata eiusmodi machina, lampadis fuſoriae vim, aucta aëris elaſticitate, mirum in modum intendat. Spatium, quod vapores occupant, omni in eos reſoluta aqua, quatuordecies millies eo maius eſt, quod aqua antea

tea replerat. Hinc ſi aqua ſubito poſſet in vapores conuerti, vim pulueris pyrii tribus et ſexaginta vicibus ſuperaret.

Aër calidus plus aquae in ſe poteſt recipere, quam frigidus. Poſteaquam vero refrigeratus fuit, aliquam aquae partem iterum deponit. Experimentis a LE ROI inſtitutis hoc conſtitit. Aqua ex aëre ambiente frigido ad acida mineralia vel ſalia lixivioſa depoſita, ea, licet aër denuo incaluerit, non iterum derelinquit, arctiore quippe affinitate illis quam aëri iuncta. Caeterum ex hac aëris et aquae intima coniunctione principium aliquod corporum ſecundarium naſcitur, multum in chemicorum laboribus pollens. p. 87.

Terra vitreſcibilis ſecundum Cl. Auctoris ſententiam princeps terra et elementaris eſt. Lapides a terris non differunt. Ex terris enim oriuntur, nexa inter particulas ſingulas cohaeſione, et in terras, ſublata hac cohaeſione, dehiſcunt. Proinde illud phyſicis conſtitutum inter lapides terrasque diſcrimen ad chemicos nihil pertinet; nec chemico dignam eſſe Cl. Auctor cenſet diſtinctionem a POTTIO inter terram vitreſcibilem, argillaceam, calcaream et gypſeam, et a STAHLIO inter vitreſcibilem et calcaream conſtitutam, cum ex omnibus hiſce terris ſola vitreſcibilis pura, reliquae commixtae ſint aliis particulis. p. 92.

In terrae purae vitreſcibilis tractatione duplex forma notanda eſt. Mox enim ſolidas lapidum vel cryſtalliſatorum vel rudium maſſas, mox arenas diuerſae indolis haec terra praebet. Arena telluris interiores adytos, vt veroſimile eſt, explens, terram puriſſimam ſiſtit, quatenus particulis metallicis et inflammabilibus nondum inquinata fuit. p. 101. p. 103.

p. 105. Terra elementaris vitreſcibilis a ſummo ignis
gradu mutari neſcia, omnibus reliquis elementis
ponderoſior duriorque eſt. Lapides ex hac terra
propemodum pura conflati, ſi diffringuntur, lae-
vem, aequalem et vitri ſimilem fracturae ſuperfi-
ciem offerunt. Quantumuis autem haec terra
pura, absque additamento igni expoſita, immutabi-
lis ſit, vitreſcibilis tamen terrae nomen ideo vel
maxime meretur, quoniam inter reliquas terras
parciſſima materia indiget, quae fuſionem adiuuet.

Lapidum, quos hominum libido pretioſos eſſe
voluit, puriſſimus olim *adamas* habebatur. Re-
centiorum vero tentaminibus, quae Noſter hoc
loco repetit, conſtare viſum eſt, adamantem hanc
p. 107. laudis partem neutiquam mereri. Complures certe
huius generis lapides, Imperatoris FRANCISCI, et
magni Florentiae Ducis iuſſu, ſiue igni fuſorio, ſiue
vitri fuſorii foco traditi, ab initio quidem coruſco
illo ſplendore et duritie omni orbati laminis fati-
ſcebant, bullas in ſuperficie iactabant, tandemque
in auras auolabant: cum e contrario rubinorum
fulgidus color ab igne fuſorio nihil, a ſolari ardore
parum pateretur, niſi quod a poſteriore, diſpa-
rente ſimul aliqua coloris parte ita emollirentur,
vt ſigilli etiam impreſſam formam acciperent. Erat
tamen absque ponderis iactura iſta fuſio, quam ada-
mas, ponderis adeo parum tenax vt auolaret,
ne additis quidem ſalibus alcalinis, experiebatur.
p. 108. Eadem experimenta medicus quidam D'ARCET
nouo ſtudio ſtabiliuit et auxit; in quo tamen hoc
Cl. Auctor monet, quod adamantis naturam in
vaſis clauſis tentaturus, maſſa porcellanea nondum
cocta adamantes obduxerit, atque ſic concluſos igni
fortiſſimo tradiderit. Fieri enim non poterat, quin
ignis vehementia, quae in maſſa porcellanea adhuc
cruda

cruda continentur aquae acidique vitriolici particulae, in vapores redigerentur. Inde autem neceſſario aliqua atmoſphaerae ſpecies adamantibus circumfuſa naſcebatur, quae efficiebat, vt illi, perinde ac ſi vaſi, aëre pleno, inditi fuiſſent, auolarent, exhalatis multis particulis in interſtitia maſſae nondum in vitrum conuerſae. Experimento itaque perperam inſtituto, fides D'ARCETO non habenda erat, adamantes in vaſis etiam clauſis volatiles eſſe contendenti. Alio etiam euentu LAVOISERII, MACQVERI et CADETI tentamina vtebantur. Iſti enim adamantes vndique carbonum puluere ſepultos, vaſisque exacte clauſis immerſos, licet per duas integras horas igne vehementiſſimo torquerentur, nihil de pondere et pelluciditate ſua perdidiſſe didicerunt. His itaque et aliis aliorum chemicorum conaminibus conſtitit, adamantem ſemper eo magis igni reſiſtere, quo ab aëris acceſſu remotior eſt, eo plus vero de pondere et nitore perdere, quo cementum ipſum inuoluens aëre plenius eſt. Caeterum inter Braſilianos et Orientales diſcrimen nullum eſt. Cum denique in apertis vaſis ignem paſſus adamas non modo priſtino ſplendore et duritie priuetur, verum etiam flamma tenuis micans euaneſcat, Cl. Auctor hunc lapidem inter ſubſtantias metallicas inflammabiles et terreas medium fere locum occupare exiſtimat. p. 115.

Ex gemmis pretioſis coloratis, MITOVARDO auctore, rubinus ab igne plane non mutatur. Amethyſtus colore perdito glaciem imitabatur. Sapphirus coloris iacturam patiebatur, perinde ac ſmaragdus et granatus Orientalis opacitatem. p. 117.

Natura, vt elementa inter ſe coniungeret, corporum organicorum miniſterio vſa eſt. Praecipue vegetabilibus hoc munus traditum fuit, quae omnium p. 121.

nium elementorum aequalem fere portionem nacta ſunt. Ignis tamen in his corporibus plurimum valet, ex quibus etiam alia corpora, quicquid habent inflammabilis materiei, haurire videntur. Ipſa animalia vitalem corporis auram ex igne elementari in vegetabilibus abundante, et ex his ipſis corporibus omne nutritionis praeſidium repetunt. Sic inter ſempiternas ortus et deſtructionis corporum organicorum viciſſitudines, eadem ſemper materiae
p. 123. inflammabilis copia manet. BVFFONIO autem in eo ſuffragatur Noſter, quod primis telluris temporibus, cum ſuperficies eiusdem nondum firma ſatis atque denſa eſſet, aqua repetitis vicibus continentem terram perruperit, et multam inflammabilem materiam ſecum in intima terrae penetralia abripuerit, donec aucta corporum organicorum multitudine ex his putredine deſtructis terra relinqueretur, quae poſtea aquis agitata et in argillam commutata, tellurem ſatis durabili cruſta obduceret. Videtur autem terra elementaris in plantis primam pati mutationem, quae deinde ab animalibus, praeſertim iis, quae maria incolunt, teſtaceis, etc. deuoratae, terrae calcareae naſcendae occaſionem et materiem praebent.

p. 125. Phlogiſton ſeu principium inflammabile in corporibus animalibus et vegetabilibus maxima in quantitate praeſens oleoſam naturam habet. In corporibus vero mineralibus et inorganicis, ſi aliqua huius phlogiſti pars adeſt, ea neutiquam indigena eſt, ſed ex organicis corporibus acceſſit, depoſita olei priſtina ſpecie. Hinc intelligitur, cur ſola corpora organica ad ignem alendum ſint idonea. Sub ipſa horum combuſtione ignis elementaris ſeſe euoluit, atque in auras diſſipatur.

Vt modus intelligatur, quo elementa inter ſe poſſint combinari, Cl. Auctor moleculas ſinguli elementi ſingulas iis virtutibus pollere aſſumit, quibus aggregatum inde ortum vel totum elementum ſeſe manifeſtet. Singulum itaque elementum in corpore ideo conſuetis effectis deſtituitur, quoniam moleculae eius a ſe inuicem aliorum elementorum interuentu ſegregantur, et reſpectu reliquorum ſolitariae quaſi ſunt. Aër in vegetabilibus contentus octingenties ipſorum volumen ſuperat. Aqua plerumque pars plantae eſt dimidia. Ignis et terrae rationes non facile eruendae ſunt, cum aliae plantae plus aliae minorem copiam horum elementorum contineant. p. 134. p. 136.

Oleum ex vegetabilibus deſtillatione obtentum, repetita ſaepius deſtillatione in carbonem, aquam et aërem diſſoluitur. Carbo iſte omnem fere ignem continet, qui plantae antea adhaeſerat, atque phlogiſti nomen omnino meretur. Conſtat autem igne puro elementari et terra vitreſcibili; eoque purius eſt, quo parcior ſalium copia ei admixta eſt. Tale ex oleo animali iteratis vicibus rectificato obtinetur. Caeterum omnino terreſtrium et ignearum particularum diuerſa inter ſe proportio eſt, et in puriſſimo quidem phlogiſto ea, quae plurimum ignis elementaris, pauciſſimum terrae habeat. Ipſi vapores carbonibus ardentibus euoluti, nihil aliud ſunt, quam phlogiſton diſſolutum. Vt vero vtriusque partis conſtitutiuae tum ignis tum terrae copiam cognoſcamus et experiamur, optima via eſt, ſi carbo primum ponderatus in vaſe alto et aperto comburatur, et dein terreſtres reliquiae denuo ad lancem exigantur. Quanquam enim (quod impediri nequit) absque combuſtione aliqua phlogiſti pars in auras abigitur, p. 144. p. 149.

poterit

poterit tamen cum quadam veroſimilitudine ignis in corpore aliqua copia, ex comparatis inter ſe carbonum integrorum et combuſtorum ponderibus, definiri.

p. 152. Non modo per ignem, verum etiam per aquam identidem allidentem corpora varia organica in carbonum naturam tranſeunt. Eadem ratione materiae oleoſae terra humida exceptae, et arbores aqua primum inundatae, dein terra obrutae mutantur, et lithanthracibus vulgo ſic dictis originem praebent. Scilicet putredine, quam in aqua organica corpora ſubeunt, aquoſae et aëreae illorum particulae excluduntur, quo fit, vt igneum principium cum nulla amplius, quam cum terrea portione coniunctionem inire poſſit. Ex puro carbone, ſi aër et aqua denuo acceſſit, oleum reſtitui poteſt. Patet hoc ex coerulei Berolinenſis deſtillatione, largam olei copiam praebente.

p. 155. In phlogiſto odorum, colorum et opacitatis corporum ratio eſt. Per ſe neque calet, neque friget, nec absque corporis alicuius vere iam igniti contactu ſuam efficaciam prodit. Ab aëris acceſſu remotum inter omnia corpora ignis patientiſſimum adeoque fixiſſimum eſt; vnde illius in reſtituendis calcibus metallicis virtus intelligitur. Facillime enim, fuſione adiutum in corpora alia phlogiſto deſtituta tranſit, eamque ob cauſam vitris colorem et opacitatem conciliat, metalla autem priſtino ſplendori et conſiſtentiae (l. duritiei) reddit. Ille tamen tranſitus ſine ipſius phlogiſti inflammatione contingit.

p. 157. In omnibus corporibus eadem eſt phlogiſti indoles; nec tamen illud cum omnibus corporibus vnionem inire ſolet, absque alius principii interuentu. Aquae e. g. per ſe miſceri reſpuit. Eo

fixius

fixius autem eſt phlogiſton, quo maior terrae copia ipſi ineſt; quo minor e contrario haec, eo volatilius illud. Quapropter etiam ſi multus ignis elementaris cum pauca terra mixtus eſt, phlogiſton citius in auras abripitur maiusque inde damnum animalium ſanitati, corrupta aëris elaſticitate imminet. Phlogiſti enim aliqua portio, in vapores abſumta, aquoſas particulas, aëri innatantes, in ſe reſorbet, ſimulque aëris elaterem infringit. Spiritus vini flagrantis vapores non ita noxii ſunt, cum ſemper ex eo vna cum phlogiſto aliqua aëris et aquae particula auolet. Vaporum autem phlogiſticorum, qui ex prunis vel oleo vel adipe flamma conſumto ſurgunt, nocendi potentia, aqua ſimul in eodem conclaui euaporata, domari poteſt. Idem contingit, ſi ad carbones ardentes liber aëris acceſſus per fornacem aut caminum patet. p. 160.

Terrae calcareae officinas in regno animali natura diſpoſuit. Animalcula marina, teſtaceis domiciliis innidulantia, ex vegetabili regno alimentum ſibi petentia terram vitreſcibilem in eo contentam cum aqua mediante quadam mucilaginea ſubſtantia iamiam in animalem naturam mutata, commiſcent. Mortuorum animalium teſtaceorum reſidua domicilia per putredinem materia mucilaginea animali orbata, in aliam naturam conuertuntur. Remanet enim terra principio phlogiſtico et aqua iuncta. Quae terrae calcareae origo ex ea quoque mutatione intelligitur, quam oſtrearum teſtae in cumulos coaceruatae pati conſueuerunt. Dum nempe animalis particula putreſcit, foetor prorumpit; terra remanens in diuerſos ſenſim colores abiens tandem albeſcit, retenta tamen aliqua inflammabilis materiei portione, cuius exitum terrae abundantia impediuit (vid. p. 152.). Aër autem p. 162.

eo certius terrae admiſcetur, cum nullum animale corpus eo deſtitui chemica experientia doceat.

p. 165. Omnis calcarea terra ab animalibus et inprimis a conchis proficiſcitur. Nemo dubitat mare olim repetitis vicibus terram inundaſſe, cum fere vbique, ſi profunde ſatis foderis, animalium marinorum veſtigia deprehendantur. Atque haec ipſa aquae ſedimenta nunc adhuc calcareae terrae originem praebent, ita vt mox ipſa illorum forma adhuc compareat, mox rudius vel ſubtilius contrita in lapides calcareos et marmora vel adeo in cryſtallos ſpathoſas abeant. Ipſa iuga montium calcareorum et acerui conchyliorum eiusdem generis ſaepenumero ſub terra reperti, in mari antea, congeſta forte in vnum locum magna horum animalculorum caterua, orti eſſe videntur.

p. 167. Terrae calcareae formae variae: 1) *Lapides informes*, *marmora*, *lapides colatorii.* 2) *Spatha calcarea cryſtalliſata.* 3) *Stalactitae.* 4) *Friabi-*
p. 169. *les maſſae*, *creta* cet. Terra ex combuſtis vegetabilibus reſidua vitreſcibilis naturae eſt, quae combuſtione oſſium obtinetur, inter calcaream et vi-
p. 170. treſcibilem media eſt. Deſtillatione ſuper vehementiſſimo igne inſtituta, ex calcarea terra praeter aërem aliqua liquoris aquoſi tenuis, nonnihil aduſti copia elicitur. Poſt deſtillationem non modo dimidiam ponderis partem, verum etiam de volumine aliquid maſſa calcarea perdidiſſe obſeruatur, aucta ſimul eiusdem duritie; vt verbo rem complectamur, in calcem viuam terra tranſiit. Notum eſt, eam vulgo mediante peculiari fornacum apparatu parari, neque tunc de lapidum puritate adeo multum quaeri. Illi tamen non minus ac puriſſimi lapides calcarei, exſiccati pariter ac recens effoſſi aliquam aquae portionem ſub deſtillatione

plorant,

plorant, vnde aquae in conſtituenda terra calcarea efficacia cognoſcitur.

Magna eſt terrae calcareae et aëris erga ſe mutua propenſio. Ipſa terra calcarea quo magis aëre exhauſta eſt, eo propius ad vitreſcibilis terrae indolem accedit. Natura ignium ſubterraneorum (l. *Vulcanorum*) ope calcaream terram in vitreſcibilem commutare ſolet, arguentibus hoc conchis in ſilicum formas conuerſis. p. 173.

Tam largam aquae copiam terra calcarea plerumque continet, ne vllam amplius ſibi admiſceri patiatur. Nihilominus tamen in aqua ſolui poteſt; quae ſolutio iterum ſub ipſa euaporatione terram abſumtam deponit. p. 174.

Calx viua aëri expoſita, ſenſim ſenſimque huius elementi humiditate penetratur, ita vt calcis particulae a ſe inuicem dehiſcant, eiusque volumen longe vaſtius euadat. Calx iſta ab aëre extincta pondere augetur; nec tamen, etſi quam plurimum aquae reſorpſit, id rurſus pondus aequat, quod ante vſtionem habuerat. Hac enim factum eſt, vt multae particulae terreſtres in vitreſcibilem naturam nunc vergant, adeoque aquae connubium reſpuant. Aliae contra minorem vim ignis expertae longius a ſe inuicem diſtare, ac propterea omnem fere aquam in ſe recipere videntur, qua nunc calx viua onuſta eſt. Hinc, vt calx extincta nunquam tantam aquae copiam in ſe contineat, nec pondus illud attingat, quod viua habuerat, accidit. p. 176.

Calx viua aquae immerſa vehementer incaleſcit, ita vt ipſius aquae aliqua pars in vapores redigatur, omnes liquores, ne mercurio quidem excepto, in ebullitionem inde rapiantur, atque adeo materiae combuſtibiles flammam ab hoc calore p. 177

concipiant. Secedentibus ſimul a ſe inuicem calcis particulis ſtrepitus inſignis auditur. Sedato vero deinceps motu interno, maſſa aliqua remanet, quam
p. 179. vulgo calcem extinctam vocant. Calx extincta, ſi aqua penitus imbuta fuerit, huius ſub calcinatione tenacior eſt, quam antea ſub prima vſtione fuerat. Vnica autem calcinatione omnem calcareae lapidis maſſam in calcem viuam conuertere nemini adhuc licuit. Quin potius vſtae calcis maxima pars priſtinam indolem conſeruat, adeoque ex illa nihil ſalini (vt in aquae calcis paratione contingit) ad aquam accedit. Cremor calcis ei, qua calx extincta fuit, aquae innatans, ſalinae omnino naturae eſt. Nonnihil ſaporis habet, et magna aquae copia ſolui poteſt.

p. 181. Donec calx vſta opaca eſt et albida, ſemper aliquantum aquae adhuc continet. Quamprimum vero haec omnis expulſa fuit calcinatione, in vitrum pellucens calx omnis commutatur. Tunc vero in vitreſcibilem terram abiiſſe clarum eſt, cui mutationi antea aqua pertinaciter inhaerens ſeſe oppoſuerat. Sub ipſa vſtione ignis vehementia phlogiſti et aquae eam particulam, quae diſſipata nondum fuerat, inter ſe coniungit. Hinc alcalina ſubſtantia oritur, quae poſtea ſub calcis extinctione ab aqua excipitur. Cuius inſigniorem copiam cum conchae et teſtae ouorum in ſtatu naturali continere ſoleant, ratio patet, cur ex his melior acriorque calx, quam ex aliis terris calcareis parari queat.

p. 182. Quamuis calcis grauitas abſoluta calcinatione imminuatur, ſpecifica tamen augetur, cum calcis viuae fruſtum, ſi cum alio aequalis voluminis crudae calcis fruſto illud comparaueris, pondere excedat.

Quod

Quod viua calx cum aqua vehementer inca- p. 183.
leſcat, et ex aëre humores attrahat, Cl Auctori ideo contingere videtur, quoniam multae ignis particulae ſeſe calci inſinuauerint, non liberae illae quidem, ſed fixae quaſi, et quadantenus cum reliquis calcis particulis combinatae Quam ſententiam vt eo ſpecioſius ornaret, metallorum ignobilium exempla addidit, quae etiam ſimili vſtione in calces conuerſa maius pondus nanciſcuntur, quamuis ſimul volumine creſcant. Illae autem calces minorem partium conſtituentium iacturam paſſae, phlogiſtique tenaciores, hanc ipſam ob cauſam auidius igneas partes abſumunt atque ita conſtanter retinent, vt ab aqua affuſa neutiquam ferueant. Idem vero in calce Cl. Auctor expertus eſt, nimirum hoc, quod addita ſub vſtione inflammabili materie calx poſtea ab affuſa aqua nullum calorem contraxerit. Sapor, p. 186.
quem aqua cum calce communicat, ſalinae alicuius et quidem alcalinae materiei praeſentiam ſatis luculenter teſtatur. In cuius origine explicanda STAHLII ſententiam Noſter in eo ſequitur, quod calcis ſub vſtione diuiſioni ſubtiliſſimae iunctam eiusdem cum aqua commixtionem aſſumat; hoc vero in magno illo chemico reprehendit, quod phlogiſti et ignis puri in geneſi ſalium deſcribenda nullam rationem habuerit. Quodſi praeter diuiſionem particularum nihil calci vſtae contingeret, illam quidem aquam ſolueret, nec vero alium ſaporem, quam fatuum illum cretae cum aqua coctae, adipiſceretur. At vero, vti omnes rerum ſapores ita etiam (ſecundum Noſtri ſententiam) hic ſapor ſub vſtione calcis prouenìens ex ignis proſapia eſt. Atque erat profecto iam ante extinctionem in calce viua illud ſalinum principium; quod poſtea in aqua calcis ſeſe declarat. Ignis enim vehementia intimius inter ſe calcis par-

ticulas aquoſas et inflammabiles miſcuerat. Hinc intelligitur, cur materiei calcareae multo phlogiſto aqua et aëre ſcatentes e. g. teſtae concharum, ſi vſtae fuerint et poſtea aqua extinctae, inſigniorem longe ſalinae materiei copiam, quam aliae terrae calcareae, praebeant.

p. 191. Aqua conſtantius terrae calcareae tunc adhaeret, ſi ſub forma ſalis latitat. Propterea etiam ex calce ſemel extincta calcinatione denuo aquam expellere operoſus labor eſt, quo plerumque tota miſcela calcarea deſtruitur.

p. 192. Terra calcarea in coniunctionem cum vitreſcibili admodum procliuis eſt. Inſignis huius miſcelae vſus in architectura eſt, cum caementum (*Möertel*) ex calce et arena fiat. Cum materies calcis ſalina plurimum ad caementi vtilitatem faciat, cauendum, ne aquae nimia copia calx viua extinguatur, nec abundans forte aqua et ſalinis partibus foeta prodigatur. Optimum vero caementum eſt, quod ex aequalibus calcis extinctae et arenae (et quidem ſubtilioris vel glareae) partibus paratur. Cl. Auctor hac occaſione caementi alicuius firmiſſimi mentionem iniicit, quod apud Lotharingos ex calce nigra argillacea, et arena tenui pariter argillacea fiat.

p. 194. Calx viua cum glaciei duplici parte commixta frigus vnius et dimidii gradus efficit, loci, vbi miſcela iſta collocabatur, temperatura congelationis gradum attingente. Terra calcarea aequali carbonum olei cornu cerui portioni addita atque dein, bene clauſo crucibulo, ignem fortem experta, nigreſcebat, ſaporemque calce viua vulgari longe acriorem obtinebat. Quae maſſa, poſteaquam bis denuo phlogiſto obnupta et repetitis vicibus calcinata fuiſſet, manifeſta alcalini ſalis indicia prae ſe ferebat;

bat; ita vt cum acidis efferueſceret, et liquores coeruleos vegetabiles colore viridi tingeret. Nunquam tamen, abundante licet addito phlogiſto, omnis terra calcarea alcalini ſalis naturam aſſequitur. Semper enim aquae illi firmiter adhaerentis magna copia diſſipatur, antequam cum phlogiſto (cuius non minor quantitas aufugit) ignis vehementia combinari poſſit. Quo fit, vt aliqua calcis pars in vitreſcibilem terram abeat.

Ex omnibus haſtenus enarratis experimentis p. 196. Cl. Auſtor coniicit, ſaporem aquae calcis viuae portioni cuidam fixi ſalis lixiuioſi inter calcinandum ſuborti tribuendum eſſe; deinde terras vitreſcibiles aqueo principio plane carere, adeoque per ſe ad ſalis formationem ineptas eſſe; denique ipſam naturam tum ignis ſubterranei, tum aquae marinae miniſterio in immenſae ſalis alcalini copiae produſtione vti.

Terra vitreſcibilis, vtut per ſe vehementiſ- p. 197. ſimo igne fundi nequeat, terra tamen calcarea adiuta ideo colliquatur, quoniam ſub ipſa vſtione materies ſalina alcalina progignitur. Terra calcarea cum aequali arenae portione fortiſſimo igne tentata, non fundebatur quidem, ſed in calcem viuam mutabatur. Quae aëri libero expoſita cum humorem ex aëre attraxiſſet, ignem denuo experta fundebatur, ita vt nunc maſſam ſpongioſam ſemipellucidam nec amplius in aëre bibulam ſiſteret. Cl. Auſtor ſalino principio fuſionem iſtam praecipue adiuuari atque perfici exiſtimat.

Omnis ſalium natura, commixtis inter ſe ter- p. 200. ra, aqua et phlogiſto, abſoluitur. Hinc declarari poteſt, cur eo plus alcalini ſalis calcarea terra largiatur, quo maior phlogiſti copia addita fuerat. Eſt autem id phlogiſton, quod in calce viua ſub

vſtione delituit, omnium puriſſimum; proinde etiam facile aufugit, et quod ex calcis viuae aqua terra decidat, abſentiae illius tribuendum eſt; cum contra terra in hac aqua ſoluta maneat, quamprimum ſpiritus vini tantillum ei inſtillaueris. Ingreditur vero ſalis cuiusuis miſcelam praeter ea, quae iamiam enarrauimus, aëris quoque particula. In harum partium conſtituentium diuerſa inter ſe proportione omnis verſatur ſalium a ſe inuicem diſcrepantia. Atque hoc etiam ſalia gignendi munus animalibus delatum fuit, marinis inprimis teſtaceis gypſum et ſal marinum procreantibus.

p. 205. Caeterum longe maior terrae vis alcalina quam acida ſalia ingreditur. Haec enim formam ſolidam reſpuunt, atque operoſo demum labore coacta atque condenſata ab exiguo tamen caloris gradu rurſus liqueſcunt. Phlogiſton, quod acida ex aliis corporibus auide arripiunt, ex alcalinis ſalibus lubentius in alia corpora tranſit. In illis autem longe purius eſt, quam in his, ideoque alcalia longe diutius ignem absque eo, vt auolent, patiuntur, quam quidem acida.

p. 208. Ignis acidis inhaerens a puro igne non multum abludit, teſtante hoc intenſiſſimo acidorum omnium ſapore. Eo liberior autem ille acidorum ignis eſt, quo leuiora ſunt, quibus coërcetur, vincula, aquoſa nempe ſubſtantia. In iis autem ſalibus, vbi ignis terra multa inuoluitur, ſapor nullus, certe exiguus, animaduertitur. Terra enim virtutem ignis ſapores excitandi deleri, omnium optime carbonum exemplo cognoſcimus, qui, multum licet ignem continentes, omnium tamen corporum inſipidiſſima ſunt.

p. 212. STAHLII aliorumque chemicorum de vniverſali acido eoque vitriolico, opinionem Cl. Au-

ctor

ctor reiecit, ideo, quod non minor ſit copia ſalis acidum continentium corporum, quam eorum, in quibus vitriolicum latet, neque etiam veſtigia acidi cuiusdam inter ſalinum commune et vitriolicum intermedii, ex quibus huius in illud transmutatio declarari poſſet. In eo tamen vitriolicum et ſalis communis acidum conuenire putat, quod in iisdem quaſi incunabulis, in aqua ſcilicet marina procreentur atque perficiantur, vtroque nempe ex organicis corporibus egreſſo.

An acidum vitriolicum proxime et per ſe cum p. 216.
igne puro miſceri poſſit, dubium adhuc eſt. Igne enim adeo iam ſaturatum eſt, vt ignorentur adminicula, quibus maior eius copia huic acido vniri queat. Hoc ipſum effici, vt, quamprimum aër acceſſerit, colorem obſcuriorem illud contrahat, turbante ſcilicet aëre intimam ignis cum reliquis partibus acidi vitriolici coniunctionem. Quapropter etiam, ſi hoc acidum vaſi vitreo in tenuiſſimum et capillare fere collum deſinenti inditum lento igni imponeretur, hoc forſitan euenturum eſſe Cl. Auctor exiſtimat, vt acidi miſcela prorſus dirimeretur, aqua tantum et terra ſuperſtite.

Cum aqua commiſceri ita auidum eſt acidum p. 218.
vitriolicum, vt eius drachmae duae libero aëri expoſitae poſt quinque dies tantam humorum copiam ex aëre attraxerint, vt nunc vnius vnciae et quinquaginta quatuor granorum pondus aequarent. Cum glacie autem ab initio quidem vitriolicum acidum perinde ac cum aqua ita incaleſcit, vt liquor thermometri Reaumuriani triginta ſubito gradus tranſcendiſſe viſus fuerit; deinde vero miſcela denuo refrigeratur, ita vt interdum thermometrum vehementius tunc frigus, quam antea fuerat, indicet. In terram vitreſcibilem puram mechanica ratione

diuiſam atque contuſam, nulla eſt acidi vitriolici potentia.

p. 229. Quamuis pruna iniecta oleum vitrioli fuſco colore ſtatim inquinet, fumumque denſum ſulphureum excitet, a carbone tamen extincta nulla mutatio huic acido accedit, ne tunc quidem, ſi cum ea digeratur; ſi tamen deſtillatorio igne vſus fueris, praſinum fere colorem liquor inde contrahit, qui tamen in refrigerato rurſus euaneſcit. Si deſtillatio ipſa fuerit adhibita, acidum ſulphureum adſcendet, relicto in fundo vaſis ſedimento albo terreo. Hoc acido adhuc nonnullo imbutum, et aqua dilutum Cl. Auctori poſt aliquod tempus cryſtallos aluminoſas offerebat; in ipſo vero acido concentrato poſt aliquot menſes cryſtalli tartari vitriolati conſpiciebantur. Talis autem inter acidum vitriolicum et puluerem carbonum igne tentatum erat proportio, vt illius libra, huius ſemuncia vaſi inderetur. Nam cum tres libras acidi vitriolici cum ſex vnciis pulueris carbonum commixtas deſtillaret, fuluus color, ſulphureus odor multumque leuiſſimi carbonum pulueris in acido ad recipulum deſtillante apparebat. Collum retortae puluere carbonum ſulphurato penitus ferme excludebatur, ita tamen, vt plurima huius pulueris ab initio admixti copia in retortae fundo remaneret. Ea autem perinde ac is puluis, qui inter acidi iam transgreſſi repetitas deſtillationes ſubſidebat, maſſam nigram denſamque aegre accendendam et ſulphureos odores ſpargentem praebebat. Sulphur iſtud iam ante, quam quarta pars acidi elicita fuiſſet, na-
p. 232. ſcebatur. Eadem propemodum ratio erat eorum, quae ſub deſtillatione acidi vitriolici cum alia quacunque materia inflammabili ex regno vegetabili
p. 236. petito, eueniunt. Aqua, ſi forte inflammabili materiei

teriei admixta eſt, acidi efficaciam auget, et vinculum quaſi inter vtrumque eſt.

Sulphuris manu foti ſtridorem ab electrica eius indole Cl. Auctor repetit. Quod vero idem ſuper igne primum liquatum ſpiſſiusque deinde factum aquae infuſum lenteſcat et rubeat, id propterea contingere autumat, quod aqua aliquam acidi copiam ex ſulphure extrahat, adeoque phlogiſton prae acido tunc praeualeat. p. 238

Flores ſulphuris, ſulphur lotum, cum glacie. Cunctis hiſce miſcelis nihil efficitur, neque vllam mutationem ſulphur patitur. Ob phlogiſton ipſi admixtum, non ita, vt vulgo putant, ſincerrimum, vitra ſub fuſione denigrare ſolet. p. 245.

Cum calce viua et aqua mixtum ſulphur hepar ſulphuris terreſtre praebet. Soluitur autem mediante alcalina illa ſubſtantia calci viuae adhaerente. Liquor iſte, exacte licet clauſis vitris aſſervatus, mox deſtruitur phlogiſtique iacturam patitur. Aqua remanens abſque colore et ſapore fere omni eſt, interdum vero ſedimentum ex ſelenite et tartaro vitriolato mixtum deponit. Haec ſalia quoque ab hepatis ſulphuris calcarei lenta calcinatione relinquuntur. Acidum vitrioli liquori inſtillatum, ſulphur de ſua cum calce coniunctione exturbat. Sulphur cum oleo vitrioli coctum funditur, eique inſtar olei innatat, refrigeratum deinceps virideſcit. Ipſum menſtruum odore ſulphureo inficitur, atque, affuſo alcalino liquore, ſulphuris portiunculam deponit. Alias vias, quibus ſulphur per acidum vitriolicum deſtruitur, SEELIVS propoſuit. p. 247. p. 250.

Cum terra calcarea acidum vitriolicum ſelenitem ſiue gypſum procreat. Vt vero acidum gypſo poſſit ſaturari, aqua prius diluendum eſt. Neutiquam vero omnes terrae calcareae acido vitriolico p. 253. p. 255.

triolico aeque facile nubunt. Sunt enim, quas temporis mora aquae ſuae aliqua parte orbauit, longe difficilius acido ſolubiles, atque ſi ſoluuntur, ſelenitem, inter gypſum et alumen quaſi intermedium offerunt. Puriores quoque terrae calcareae, vt marmor album, ſpathum calcareum etc. aegre diſſoluuntur; omnium vero difficillime ouorum concharumque teſtae et corallia. Calx viua autem, aqua et cremor calcis hoc ſingulare habent, quod cum acido vitrioli ſelenitem pellucidum in cryſtallos longe maiores compactum et in aqua ſolubiliorem progignant. Quod vero in plerisque lapidibus calcareis ferreae particulae lateant, id praecipitatio ochrae ex ſaturatis ſolutionibus, et color violaceus, quem adſperſum gallarum infuſum illis
p. 257. conciliat, manifeſto arguit. Aqua calcis ex ſolutione lapidum calcareorum puriorum vitriolata nihil deturbat. Quibus vero vitreſcibilis terra adhaeret, vt plurimae terrae calcareae et teſtae ouorum, eae ſedimentum demittunt in aluminoſas cryſtallos nonnunquam abiens. Nullus vero calcareus lapis, alius in acido vitrioli ſolutas particulas ex ſua ſolutione exturbat. Solutiones calcis crudae cryſtallos arenularum magnitudine deponunt, quae vero cum viua calce fiunt, ex iis aciculae emergunt. Vſtione omnes iſtae ſelenitis ſpecies in gypſum conuertuntur et ſub deſtillatione tantillum aquae ſapore deſtitutae praebent.

p. 261. Gypſum vſtum cum aqua parum incaleſcit, ſed tumidam ſatis maſſam conſtituit, quae exſiccando durior euadit. Aliqua tamen aquae particula exſiccato etiam adhaeret; quae cum in locis frigidis et humidis euaporare nequeat, gypſum indies magis extendit, donec omnis maſſa exactiſſime condenſata atque intus cryſtallis quaſi diſtincta fuerit. Nimio igne multum de eo, quod gypſum continet,

tinet,

tinet, acido prodigitur, ita vt in calcis viuae indolem magis magisque illud vergat. Igne nullo gypſum per ſe fundi poteſt, niſi ſolari; atque hoc etiam ſub ea demum conditione, vt vitri ardentis focus in id lapidis gypſei latus, quod fractum laminas conniuentes habet, incidat; qua cautione adhibita, in vitrum ſpadiceum opacum conuertitur.

Aëris efficacia gypſum argillae tandem ſpeciem induere Cl. Auctor exiſtimat. Quemadmodum enim terram gypſeam omni acido vitriolico orbatam iteratis calcinationibus et lauationibus primum quidem in calcem viuam, dein vero in nudam propemodum terram vitreſcibilem conuerti expertus eſt, quae dein acido vitriolico tractata aluminoſas cryſtallos pareret; ita naturam, vtpote longe potentiorem hoc poſſe efficere putat, vt aquoſo elemento adiuta et abſque acidi vitriolici profligatione gypſum in alumen et argillam transformet. In agro Montismartyrienſi tota regio fodinis gypſi vicina ſolum habet terra gypſea conſtans, quae longa aetate imbrium aquis macerata ad argillaceam naturam quam proxime accedit. Cum vero gypſi longe plurima quantitas ſub mare lateat, in hac etiam officina plurimam argillae, micae, talci, asbeſti, amianti et ſteatitis copiam fieri Cl. Auctori veroſimile videtur. p. 265.

Aquae vnciis octo gypſi grana octo ſoluuntur, ſi vero coctionem adhibueris, plus ſoluitur. Aquae puteales Pariſinae per alueum gypſoſum fluunt, eaque terra ſaturantur. Gypſum cum terra vitreſcibili a vehementi igne non funditur quidem at certe in maſſam friabilem compingitur. Cum phlogiſto calcinatum hepar ſulphuris progignit, ex quo per acidum praecipitato ſulphure calx renaſcitur. p. 269.

Gypſum

p. 273. Gypſum in acido vitriolico tenui coctum opacum redditur, acido aquam cryſtalliſationis abſumente. Eiusdem acidi ſeu concentrationis drachma vna, octo vnciis aquae affuſa, hoc efficitur, vt nunc dicta aquae copia triginta gypſi grana ſolvere poſſit, cum efferueſcentia, ſi calida, absque efferueſcentia, ſi frigida aqua fuerit.

p. 274. Acidi nitroſi proprietates ex Cl. Auctore repetere inutile atque taedioſum foret, cum experimenta huc ſpectantia chemicis iam ſatis nota eſſe debeant. Ex colore autem huius acidi con-
p. 281. centrationis rutilo eiusdemque cum carbonibus candentibus atque oleis vehementiſſima deflagratione colligitur, multum phlogiſti ei admixtum eſſe, quod propemodum ignis puri indo-
p. 284. lem habeat. Terras calcareas acidum nitroſum facilius, quam vitriolicum ſoluit. Inprimis vero eorum teſtae ſub ipſa diſſolutione mirum in modum intumeſcunt ob mucilaginis et aeris in iisdem abundantiam. Aquae calcis duodecim vnciae, drachma vna acidi nitroſi mediae concentrationis ſaturabantur. Omnes vero calcis in hoc acido ſolutiones amaro et acuto ſapore nobilitantur. Neque aliis terris calcareis, neque aqua calcis affuſa ſtatim dirimuntur, praeter ſolutionem cum teſtis ouorum paratam, ex qua ſtatim, quemadmodum ex aliis ſolutionibus nitroſo calcareis poſt aliquod tempus cryſtalli planiuſculae, ſali ſedatiuo ſimiles, terramque aluminoſae terrae aemulam continentes, affuſa calcis aqua, deiiciuntur. Caeterum etſi terrae calcareae acido nitroſo facillime nubunt, eius tamen non ita tenaces ſunt, ac vitriolici acidi. Quod ſi enim nitrum calcareum, calcinatur, acidum facili negotio, relicta calce viua expelli poteſt. Idem aëri expoſitum ideo tam facile deliqueſcere Noſtro videtur,

detur, quod phlogiſton in acido nitroſo abundans eius cum terra calcarea intimam coniunctionem impediat.

Acidum nitri concentratum cum pauco oleo vitrioli mixtum ad accendenda olea aptius euadit. Hoc etiam ſingulare eſt, quod acidum nitroſum depurando vitriolico inflammabilibus particulis inquinato egregie defungatur. Idem acidum valde dilutum gypſo ſoluendo conuenit, quae tamen ſolutio in cryſtallos redacta nullum acidi nitroſi veſtigium oſtendit. p. 289.

Acidum ſalis reliqua acida volatilitate longe ſuperat. Minus auide vero ac illa humores ex aëre attrahit, vtpote multa aqua iamiam mixtum. Cum aqua et glacie inſigne frigus excitat. Etſi vero corpora combuſtibilia vehementer arrodit, non tamen conſtat: an cum phlogiſto puro ſulphur aliquod producat. Hoc certum eſt, ardentes carbones ab hoc acido extingui, neque olea ab eo accendi. Forſitan hoc contigeret, ſi ſatis concentrari poſſet ſalis acidum. p. 293.

Teſtae concharum, acido ſalis immerſae, perinde ac in acido nitri valde intumeſcunt. Calx viua cum illo plus, quam cum nitroſo acido incaleſcit. Octo vnciae aquae calcis triginta guttis ſpiritus ſalis communis absque efferueſcentia ſatiabantur. Poſt aliquot dies flaua terreſtris materia ex miſcela fundum petebat, quae poſtea albeſceret, innatante liquore primum inſipido, poſtea vero acri amariuſculo. Ex ſolutionibus ſalino calcareis aliae, affuſa aqua calcis, ſtatim, aliae tempore aliquo praeterlapſo, aliae denique nullum prorſus ſedimentum deponebant. Cryſtalli ex his ſolutionibus formatae humiditatem aëris facile attrahunt, et licet ignem paſſae partem aliquam ſui acidi explodant, multum tamen eiusdem retinent. Reſiduum p. 298.

cum

cum aqua vehementer incaleſcit. Iſta aqua denuo euaporata calcareum ſal commune praebet, quod ſub deſtillatione, acidi admodum tenax eſt, adeo, vt ipſae terrae calcareae crudae hoc acido ſolutae, absque acidi ſui diſploſione in viuam calcem abeant.

p. 309. Centum *aceti vini deſtillati* congii (*Pintes*) gelu iterato concentrata, quatuor aut quinque generoſi acidi congios largiuntur. Cum glacie mixtum exiguum frigus producit. Terrae calcareae eo facile ſoluuntur. Quae inde enaſcuntur cryſtalli, nitidiſſimae ſunt, ariſtatae vel floſculoſae. Deſtillatione in partes ſuas conſtitutiuas reſoluuntur. Qualis ſit natura mixti cum acido nitri vel ſalis communis vel ſulphure aceti, adhuc ignoratur.

p. 317. *Alcali fixum vegetabile* ab ipſa natura mox ignis, mox (et frequentius omnino) aquae adminiculo producitur. Veroſimile eſt illud iisdem partibus conſtitutiuis abſolui, quibus acida conſtant. Plus tamen materiae terreſtris et pauciorem ignem in ſinu ſuo concludit. Odor ſaporque vrinoſus, quem linguae admotum ſpargit, ſecundum Auctoris Noſtri ſententiam ab eo proficiſcitur, quod vehementer linguae ſubſtantiam afficiat, ex eaque alcali volatile proliciat. Ignis patientiſſimum eſt hoc ſal lixiuum longeque fixius, ac ipſa acida; adeo vt tunc demum, quando ab aëre non prorſus remotum eſt, ignisque illud proxime aggreditur, in vapores albos denſos, neruos ſingulari ratione hebetantes, abſumatur. In crucibulo tecto ſuper igne in maſſam viridiuſculam duram, ſed fragilem liquatur, cuius color phlogiſti alicui parti euolutae tribuendus eſt. Alcali bene exſiccatum, ſi aqua irrigatur, calorem ſexaginta graduum producit.

p. 321. Cum ſal lixiuum terra abundet, non difficile eſt, hanc ab illo ſeparare. Iteratis enim vicibus aqua ſolutum, ſemper aliquam terrae albae partem demit-

demittit. Quod quidem adeo contingere videtur, quoniam eius miſcela non ita arcta eſt, atque acidorum ſalium. Poſſet forſitan calcinationum et ſolutionum iteratis viciſſitudinibus eo perueniri, vt omne ſal, relictis aquoſis terreisque particulis, dirimeretur. Idem in aqua calcis contingit, quae, addito quodam inflammabili, e. g. ſpiritu vini, a deſtructione defenditur. Alcali purum in cryſtallos nunquam abit, niſi in vaſis clauſis calcinatum, quandoquidem tunc, iuxta Noſtri ſententiam, plus phlogiſti ipſi admixtum naſcendi ſalis lixiui mineralis occaſionem ſuppeditat.

Alcali fixum glaciei intertritum frigus decem gradibus auget. Idem cum abundante terrae vitreſcibilis aut arenae quantitate ſuper igne fuſum, vitra varii generis largitur. Quando vero alcali arenam ſuperponderat, miſcela hinc producta alcalinarum qualitatum particeps adhuc eſt, atque in *liquorem ſilicum* ad aërem diſſoluitur. In eo ipſo acrior adhuc ſapor eſt, quam in ipſo alcali puro, forſan ob particularum phlogiſticarum admixtionem. Aqua dilutus et percolatus, ſemper aliquam terrae portiunculam in filtro relinquit. Per acida ille longe efficacius deſtruitur, ita vt, demerſa terra vitreſcibili, acidum ſali lixiuo iungatur. Terra iſta denuo cum acido vitriolico digeſta atque ſoluta, poſt euaporationem cryſtallos vere aluminoſas ſiſtit. Eiusdem nitroſa ſolutio acidula eſt, in aëre libero euaporata, in mucilaginem transparentem coit, et ab aqua calcis dirimitur. Cum acido ſalis ſpicula parua cryſtallorum naſcuntur. p. 325.

Alumen Cl. Auctori ſelenites quaſi calcarea baſi eſſe videtur. Vltra dimidiam ſui ponderis partem ab aqua habet ſibi admixta; hinc etiam ſub calcinatione admodum turgeſcit. Eae tamen aluminis ſpecies, quae ex mineris antea vſtis praeparatae p. 332.

fuerunt, ab igne non ita tumeſcunt. Idem in alumine, ex calcinato ſolutione et cryſtalliſatione reſtituto, obſeruamus. Sub deſtillatione aluminis nihil praeter liquorem parum aceſcentem aſſurgit, neque vehementiſſimo adeo igne fortius acidum extorqueri poteſt. Inflammabilibus vero corporibus ſi alumen coniunxeris, ab igne certe deſtruitur. Remanet vero terra aluminoſa, alba, refractaria, figulino operi idonea, in igne ſtrepens. Sed quando ita tentamen inſtitutum fuit, vt ſulphur ex aluminis acido et phlogiſto adiuncto ortum remaneat, naſcitur inde pyrophorus ad liberum aërem inflammari ſolitus. Huius naturam cum SUVIGNY Cl. Auctor ita explicat, vt aliquam acidi vitriolici particulam nondum in ſulphur conuerſam ab humiditate ex aëre reſorpta ita incaleſcere ſtatuat, vt illud ipſum, quod iam ſulphur factum eſt, inde accendatur.

p. 342. Terra aluminoſa ex alumine per calcareas quoque terras, aquam calcis et calcem viuam ſeparari poteſt, ſiquidem aluminis ſolutioni aquoſae in calido loco conſtitutae adſpergantur. Ne tamen calcareae vel ſeleniticae particulae terram aluminis inquinent, opus eſt, calcis non puluerem, ſed fruſtula iniicere. Vberiorem huius terrae copiam obtinebis, ſi cum ſale lixiuioſo illam ex aluminoſa ſolutione praecipitaueris. Pertinax vero illa admodum eſt in retinendis humoribus, adeo, vt tres menſes vix ſufficiant ad illam in aëre libero exſiccandam. Facile praeterea particulis coloratis tingitur, ita, vt mox ſordide albicet, mox badium corneumue colorem induat. Humiditas eiusdem in igne perit; candida relinquitur terra et dura, neutiquam vero in vitrum conuerſa.

p. 349. Cum ſolutionem aluminis aquoſam Cl. Auctor, repetitis vicibus, terra aluminoſa impraegnaret, mixtum-

mixtumque liquorem coqueret, vidit ab initio terram iſtam cum efferueſcentia ſolui. Humor filtratus, aquam duriorem ſapore imitatus, ſyrupum violarum colore viridi tingebat. Poſteaquam vero, affuſo ſale lixiuioſo, multum terrae aluminoſae deturbatum fuerat, in filtro remanens terra aqua indiſſolubilis, omnes argillae characteres prae ſe ferre ipſi viſa eſt. In eo tamen ab argillis in rerum natura vulgo occurrentibus diſcrepabat, quod tam affabre fingi non poſſet, et per alcalia facilius deſtrueretur. Liquor innatans in aëre libero euaporatus, paucas cryſtallos ſquamoſas propemodum micaceas inſipidasque largiebatur. Caeterum quo ſiccior terra aluminoſa eſt, eo difficilius ab acido vitriolico diſſoluitur. Cum acido nitroſo cryſtallos praebet polyedras ſtypticas. Multo efficacius eſt in hac terra diſſoluenda acidum ſalis, cum quo quippe admodum efferueſcit, et ſolutionem mucilagineam ſiſtit. Ea vt percolari poſſit, aqua diluenda eſt; euaporata deinceps cryſtallos ſapore adſtringente praeditas progignit. Ab aceto vini difficilius haec terra ſoluitur.

Argilla communis nihil aliud eſt ſecundum p. 353.
Noſtrum Auctorem, quam terra aluminoſa parco acido vitriolico ſoluta, multisque particulis terrae vitreſcibilis nondum ſolutae interſperſa. Putat autem maximam argillae copiam, ſub mari ex gypſo in puluerem contrito oriri. Coloratae argillae plus acidi vitriolici nactae lentiores quoque tenaciores et tactu pinguiores ſunt, quam albae. Aptitudo iſta, qua facile tractari atque fingi ſeſe patiuntur, iſtaque tactus in illis mollities ab intima particularum ſubtiliſſime contritarum coniunctione oritur.

Igni expoſitae terrae argillaceae purae per ſe p. 358
quidem non funduntur, at condenſantur ſatisque dureſcunt ita, vt ex chalybe etiam ſcintillas tunc

eliciant. Coloratae partibus animalibus aut vegetabilibus albeſcunt, colorem tamen, protracto diutius igne recuperant. Quod vero omnes argillae de volumine ſuo et grauitate abſoluta, aliquid in igne perdunt, id Cl. Auctori partim ab euaporatione humiditatis, partim a particularum coarctatione proficiſci videtur. Multum praeterea ad hanc voluminis imminutionem facit acidi vitriolici admixtio, quo quippe ſeparato difficillimum eſt, magnoque demum ignis diſpendio conſtat, argillas indurari. Conſtantiſſime autem hoc acidum argillis adhaeret ita, vt ne vehementiſſimo quidem igne abigatur; certe exigua admodum huius acidi particula eſt, quae odores ſulphureos circa figulorum et laterariorum officinas excitat.

p. 361. Aëris et reliquorum elementorum efficacia terrae argillaceae ſenſim deſtruuntur, acido, quod iis adhaeſerat cum phlogiſticis particulis in ſulphur coëunte, quod dein metallicis ſubſtantiis mixtum varia pyritum genera conſtituit. Forſitan etiam ex terrae vitreſcibilis et phlogiſti coniunctione metalla prodeunt. Succeſſu temporis, dum albeſcunt argillae, micarum, talci, ſteatitis et amianthi varias ſpecies inde oriri Cl. Auctor exiſtimat, pro diverſa phlogiſti admixtione.

p. 363. Argilla, licet ſalinae indolis ſit, inter omnia tamen ſalia difficillime aqua ſoluitur. Extrahitur tamen aliquid coctione, quod, ſi liquor ſpontaneam euaporationem ſubierit, micoſas cryſtallos praebet. Omnes etiam maiorum amnium aquae nonnihil argillae admixtum habent, plus recipiunt, ſi cum argilla coquuntur. Affuſo alcalino liquore ex ſolutione iſta terra candidiſſima aluminoſae terrae aemula deiicitur. Illud ipſum vero, quod innatat, fluidum poſt euaporationem inſtitutam tartarum vitriolatum relinquit.

A phlo-

A phlogiſto argilla ſuper igne habita decomponitur, difficilius tamen alumine. Cum terra calcarea ſuper igne funditur, quod partim acido vitriolico, partim ſalinae alcalinae materiei ſub ipſa calcis vſtione ortae tribuendum eſt. Neque enim terra aluminoſa ſiue argillacea cum calce, neque terra vitreſcibilis cum eadem funditur, niſi illi miſcelae acidum vitriolicum ſeu potius alumen, huic vero ſubſtantia alcalina addita fuerit. Opus praeterea eſt quodam, vt Cl. Auctor dicit, *fuſibilitatis principio*, cuius neceſſitatem et exiſtentiam experimentis aliquot comprobare annititur, naturam vero ſe neſcire fatetur. Cum acido vitriolico commixta argilla ex aliqua parte ſoluebatur; ſolutio euaporata in cryſtallos partim micaceas, partim vero aluminoſas coaleſcebat. Extracta ſcilicet fuerat ſubtiliſſima argillae terra, relicta rudiore, nec ita bene, vt antea fingenda argilla. Acido nitroſo poſt aliquot demum annos ſoluta reperiebatur, ita tamen, vt hic etiam tantillum arenae indiſſolubilis relinqueretur. Acido ſalis et aqua regia longe maior copia ſoluitur. Acetum deſtillatum vero illam plane non aggreditur. Alcalia fixa terram ſubtilem albam ex decocto argillae deturbant. Argilla cum aequali portione ſalis lixiui et aqua decocta, primum quidem, donec alcalino ſale adhuc commixta eſſet, ab aqua, qua lauabatur, filtratione ſecedebat. Quamprimum vero omne alcali per lotionem abſumtum fuerat, argilla vna cum aqua per filtrum defluebat, et fere ſoluta eſſe videbatur. Argillam denique cum alcali et phlogiſto igni traditam acidum vitriolicum deſerebat, phlogiſto nubens. Inde ortum ſulphur et hepar ſulphuris. p. 366.

Alcali fixum mirum in modum inflammabilia corpora mutat. Alia enim dureſcunt, vt carnes, alia emolliuntur et in gelatinam abeunt, vt lana, ſeri- p. 385.

ſericum, cornu etc. Animalia corpora in genere oleo ſuo priuare eaque prorſus penetrare ſolet. Carbones huic ſali additi cumque eo ignis vehementia fuſi penitus diſſoluuntur. Quo plus carbonum lixiuo ſali additum fuit, eo facilius illud in aëre libero deliqueſcit, eoque citius ſuper igne vaporibus abſumitur. Promta quoque et expedita eſt ſalis alcalini cum oleis commixtio, vnde ſapo oritur. Poteſt adeo mediante oleo, vti STARKEIVS monuit, alcali volatile reddi. Terrae calcareae cum alcali ignis vehementia confundi poſſunt. Orbantur hac ratione ſua aqua, aëre et materia inflammabili, ita, vt terra tantum vitreſcibilis remaneat. Calce viua vero addita, ſalia alcalina cauſtica fiunt.

p. 389. Tartarus vitriolatus. Hepar ſulphuris via humida et ſicca paratum. Mutationes, quas vtrumque in igne, aëre libero, aqua, cum phlogiſto et acidis patitur. Poteſt etiam hepar ſulphuris cum partibus tribus ſalis lixiui exſiccati et duabus tartari vitriolati ita parari, vt huic miſcelae ſuper igne colliquatae pulueris carbonum et tartari vitriolati partes ſingulae adiiciantur atque deinceps haec omnia fundantur. Huius ſolutio aquoſa ob abundans phlogiſton virideſcit, atque perinde, ac vulgare ſulphuris hepar, facile deſtruitur ita, vt phlogiſto fugato, tartarus vitriolatus remaneat. Inde conſtat, via ſicca quidem maiorem eſſe inter acidum vitriolicum et phlogiſton affinitatem, via humida vero alcali facilius cum eo copulari. Ex acido ſulphureo et ſale lixiuo tartari vitriolati ſpecies progignitur, quae STAHLIO ſal ſulphureum dicitur atque a tartaro vitriolato ſola paucae materiei inflammabilis admixtione abludit. Sal iſtud ab affuſo acido vitriolico deſtruitur.

Gypſum

Gypſum aqua feruida ſolutum ab alcalino ſale dirimitur, ſecedente acido vitriolico a terra calcarea, et ad alcali accedente. Idem accidit nitro calcareo, ſi alcali fixum vegetabile eius ſolutioni adſperſeris. p. 406.

Nitrum, ex alcali vegetabili et acido nitroſo conſtans facile ſuper igne funditur. Sulphur ei inter fundendum adiicere inutile eſt. Diutius protracto igne maxima pars acidi auolat; quod remanet, alcaleſcit. Quin adeo, ſi vehementiſſimus ignis adhibitus fuit, omne nitrum abigitur. In vaſis clauſis vero vix aliqua acidi portiuncula transcendit; nitrum fere non mutatum remanet. Aquae et glaciei frigus nitro non admodum atque tunc demum euidenter augetur, ſi admixtum ſal commune eſt. p. 410.

Cum inflammabilibus corporibus nitrum ignitum ingentem calorem excitat ita, vt ipſa corpora alias difficulter fundenda inde colliquentur. Inde *pulueris fuſorii* (*poudre de fuſion*) natura cognoſcitur, qui tribus vnciis nitri in puluerem triti ſulphuris et ſcobis ligneae ſingulorum vncia vna conſtat. Additis carbonibus, nitrum cum detonatione ita deſtruitur, vt alcali tantum relinquatur, quod *nitrum fixum* vulgo aut *alcaheſt* HELMONTII, ſi iam ad aërem colliquatum eſt, appellatur. Attamen ſemper nonnihil integri nitri huic alcalino ſali adhuc inhaeret. Dum nitrum cum phlogiſto detonat, acidum eius derelicto alcalino ſale, phlogiſton amplectitur cumque eo phoſphorum aut ſulphur nitroſum conſtituit. Opus vero ſemper eſt ad hoc ſulphur producendum, vt acidum nitroſum ſiue bene concentratum ſit, ſiue baſi fuſibili adhaereat. Quando enim acidum nitroſum liberum aquoſum eſt, vel cum terra quadam coniunctum, parum vel prorſus non cum inflammabili ſubſtantia detonare p. 416.

conſueuit. Neque etiam detonatio contingit, niſi alterutrum, ſiue phlogiſton ſiue nitrum ignitum antea fuerit. Quod ſi in vaſe retorto tubulato in magnum excipulum deſinente inſtituta fuit, liquor tranſire ſolet, non tam acidae, quam potius alcalinae indolis. Hoc ipſo euentu id probari putat Cl. Auctor, quod nitroſum acidum ſub detonatione plane deſtruatur, quandoquidem nullum eiusdem veſtigium hac operatione peracta inuenitur.

p. 423. Terras calcareas nitrum in vitra conuertit. Acidum vitriolicum ex illo nitroſum acidum expellit atque ſegregat. Videtur autem ſub ipſa deſtillatione nitrum, dum acidum vitriolicum illud penetrat, fundi, atque tunc vapores illos elaſticos in ſpiritus nitri paratione ſatis conſuetas producere. Opus proinde eſt, conglutinata vaſa interdum aperire, licet per hanc ipſam aperturam ſexta propemodum pars nitroſi acidi auolet. Multa alia artificia et cautelae in hac deſtillatione maxime neceſſariae ab Auctore noſtro per hanc occaſionem enumerantur. Si limaturam martis maſſae deſtillandae adieceris, concentratius adhuc acidum obtinebis, ſubinde tamen leuius. Rutilus concentrati acidi nitroſi color, abreptis ex acido vitriolico particulis phlogiſticis, tribuendus eſt, forſitan etiam phlogiſto illius ipſi ſubſtantiae inhaerenti. *Sal de duobus* ſ. *tartarus vitriolatus* in fundo vaſis deſtillatorii relictus ab affuſo acido nitroſo communi denuo decomponitur ita, vt calefacta iſta ſolutio poſteaque refrigerium paſſa cryſtallos nitroſas pareat. Cl. Auctor hanc rem ita explicat, vt phlogiſton, in alcalino ſale contentum, inter hoc ſal et acidum vitriolicum quaſi diuidi contendat, dum tartarus vitriolatus naſcitur. Quando enim tartarus vitriolatus calcinatus aqua ſoluitur, amiſſae alicuius particulae phlogiſticae manifeſtum indicium eſt in ter-

reſtri

reſtri praecipitato, fundum ex hac ſolutione petente. Cum vero acidum nitroſum auidiſſime phlogiſton arripiat, huius ipſius adminiculo cum alcalina parte tartari vitriolati iungitur. Hinc removetur vitriolicum acidum, vtpote phlogiſto non ita, ac nitroſum affine. Denuo tamen acidum vitriolicum hac ratione ſeparatum, nitroſum a coniunctione ſua cum lixiuo ſale expellit. Nitrum dum haec patitur, in arbuſculas excreſcit, quae mox ab ingruente acido vitriolico eradicantur. Iſtas deſtructionum viciſſitudines Cl. Auctor ei, quam tunc experitur acidum vitriolicum, phlogiſti priuationi, huiusque acidi fixitati maiori tribuit. Poteſt etiam oleum vitrioli phlogiſticis particulis fetum depurari, ſi nitro infunditur cumque eo digeritur. Semper tamen aliquam tartari vitriolati et nitroſi acidi portionem in ſinu ſuo tunc retinet. Ex ſulphure p. 443.
nitri adminiculo acidum vitriolicum elicitur, ſiquidem ex vaſe retorto ferreo tubulato acidum ex detonante cum nitro ſulphure euolutum, tranſire in recipulum magnum curaueris. Aliquantulum ſulphuris in hac operatione ſublimatur, antequam nitro poſſit deſtrui; plurimum tamen in partes ſuas conſtitutiuas reſoluitur. Hac occaſione a Cl. Auctore apparatus ad deſtillationem iſtam in Anglia et Belgio adhiberi ſolitus deſcribitur. Melius adhuc res tota procedit, ſi carbones miſcelae comburendae adduntur. Quodſi absque hoc additamento detonatio peracta fuit, in excipulo mixtus ex ſulphureo et nitroſo acido liquor reperitur. Remanet ſpecies aliqua tartari vitriolati nomen *ſalis polychreſti* GLASERI nacta.

Puluis pyrius, vti notum eſt, ex nitro, ſul- p. 453.
phure et carbonibus intime inter ſe mixtis conſtat. Optimus eſt, qui ex nitro ab omni ſalis communis admixtione libero, carbonibus ex vegetabili regno

 petitis

petitis atque bene vſtis, et ſulphure, quantum fieri poteſt puriſſimo paratur. Ad disquiſitionem eiusdem et efficaciae definitionem inſtituendam, puluere pyrio non granulato (*grenée*) ſed trito vtendum eſt; granulatus enim, ea, quam ſemper continet, aquae quantitate experimentorum fidem fallit, et partes conſtitutiuas neque bene inter ſe mixtas, neque aequaliter diſtributas habet. Hinc omne pulueris pyrii boni parandi artificium in ſiccitate, quantum poteſt fieri, maxima cernitur. Quae reliqua ſunt, omnia ad pulueris optimi virtutes ſpectant, cui tractationi tabulam etiam Cl. Auctor adiunxit, qua diuerſa puluerum genera iuxta inſtrumenti alicuius ab Equite D' ARCY inuenta, et icone hic illuſtrata, indicia inter ſe inuicem reſpectu ad vim exploſionis habita, comparantur. Vberiori harum rerum enarratione ſuperſedemus, quippe ad noſtram rem plane nihil faciente.

p. 479. Inter omnes pulueres pyrios longe violentiſſima actio eſt *pulueris* ſic dicti *fulminantis*. Id paratur ex tribus vnciis nitri exſiccati, duabus ſalis tartari ſicciſſimi et vna vncia florum ſulphuris. Cum vehementiſſimo ſtrepitu detonat, ſi calefactum modo fuerit. Similis puluerem fulminantem parandi ratio eſt, ſi hepar ſulphuris vel cremor tartari cum nitro commiſcentur.

XI.

XI.

CARL FRIEDRICH WENZEL *Lehre von der Verwandſchaft der Körper. Dresden, bey Gotthelf Auguſt Gerlach,* 1777. 8. *Alph.* 1. *Bogg.* 8.

i. e.

Doctrina de corporum affinitate, Auctore CAROLO FRIDERICO WENZELIO.

Vt hanc de corporum affinitate doctrinam, qua profecto nulla totius chemiae pars praeſtantior cenſenda eſt, ſibi Cl. Auctor ſumeret excolendam, cauſamque et legem huius corporum proprietatis diſquireret, variumque affinitatis gradum, quem corpora exſerunt, ſollicite exponeret, amicis quibusdam Doctiſſimi WENZELII gratum habendum eſt, quippe qui, quem ſuis tantum vſibus dicauerat tractatum, digniſſimum eſſe, qui imprimeretur, publicique fieret iuris, faſſi ſunt. Neque poterit profecto ab vllo chemiae perito huiusmodi laboris vtilitas in dubium vocari, cum, quam neceſſarius ille ſit, quippe cui vix non omnes chemicae praeparationes velut firmiſſimo innitatur fundamento, nemini incognitum eſſe poſſe, credamus. Gratiſſimi eapropter fuerunt chemicis GEOFFROYI, MARHERRI, BERGMANNI, aliorumque ad corporum affinitatem cognoſcendam ſuſcepti labores, neque vllum eſt dubium, quin WENZELII liber, in quo ſumma vbique *ακϱιβεια* apparet, ſimilem doctorum hominum experiatur plauſum. Vt autem appareat, qua ratione Cl. Auctor in laboribus ſuſcipiendis ſit vſus, quaedam excerpamus ſpecimina.

Tribus partibus tota abſoluitur materies, quarum prima *generalem cauſam, legemque affinitatis* corpo-

corporum exponit; ſecunda in ſedecim ſectionibus *acidi vitriolici*, *acidi nitroſi*, *acidi ſalis*, *aquae regiae*, *aceti vini*, *acidi phoſphorei*, *ſucci citri*, *aëris fixi* et *pinguis acidi*, *tartari*, *ſalis acetoſellae*, *ſalis ſuccini*, *ſalis vrinae*, *ſalis ſedatiui*, *arſenici*, *ſulphuris* et *alcalinorum menſtruorum* diuerſas affinitates contemplatur, quibus in decima ſeptima et octaua ſectione experimenta *de ſalium in ſpiritu vini* et *aqua deſtillata ſolutione* ſubnectuntur; tertia tandem pars quibusdam exemplis docet, *qua ratione doctrina de*
p. 8. *corporum affinitate in chemia applicari queat.*

Cauſam cohaeſionis duorum corporum a forma partium aggregati et mixti repetit Cl. Auctor, cum neque Newtoniana attractionis lex, neque alia cauſa Ipſi huic phaenomeno explicando videatur ſufficere. Profert deinde quaedam experimenta, quibus hanc de cohaeſionis cauſa ſententiam roborare annititur, quorum examen, niſi inſtituti noſtri ratione impediremur, lubenter ſuſciperemus, fatemur enim, nos adeo felices non eſſe, vt omnes corporum cohaerendorum modos ex hac cauſa explicare audeamus. Ceterum vellemus, vt Cl. Auctor enarraſſet et remouere ſtuduiſſet ea argumenta, quae a phyſicis huic opinioni opponuntur, quippe in quibus magna ad perſuadendum ineſt
p. 26. vis. Lex, cui affinitas obſequatur, neque in corporum quoad denſitatem, aut raritatem conuenientia, neque in diuerſa, quam menſtruum recipit, quantitate, ſed in celeritate, qua menſtruum in ſoluendum corpus agit, poſita eſt; etenim, quo citius aliquod menſtruum cum quodam corpore coniungitur, eo maior affinitatis gradus eſſe deprehenditur. Omittimus illud experimentum, quo hanc aſſertionem Noſter demonſtrat, et progredimur ad quasdam experientias, quarum explicationes multis difficultatibus implicitas eſſe putarunt

chemici.

chemici. Scilicet affinitas alcali ſalis aduerſus vitrioli acidum maior eſſe aſſumitur, ea, quae eſt inter idem acidum et calcaream terram, et tamen haec ipſa calcarea terra ex ſalis acido tartari vitriolati ope tanquam ſelenites deiicitur; neque ex mixtione gypſi cum ſale communi ignis ope GLAVBERI mirabile ſal producitur: ſed ſalua manet res, occurrunt enim in his operationibus diuerſae coniunctiones, acidi nempe vitriolici cum alcali, acidi ſalis cum alcali, acidi vitriolici cum terra calcarea et acidi ſalis cum eadem terra, quae conſiderari omnino in explicandis illis euentibus debent, hoc enim facto apparet, affinitatem acidi vitrioli cum alcali qualibet alia harum coniunctionum eſſe intimiorem, minorem tamen reliquis ſimul ſumtis. p. 32.
In aliis coniunctionibus efficiendis magna igni debetur vis; ſic ſedatiuum ſal cum cubico nitro deſtillatum nitroſum acidum expellit, cumque minerali alcali coniunctionem init, ſi autem expulſum acidum remanenti in retorto vaſe boraci rurſus admiſcetur, ſeparatio ſedatiui ſalis ab alcali et noua nitri cubici generatio contingit. p. 38.
Experimentum Cl. BAVME', quo vitrioli acidum ope nitroſi a tartaro vitriolato ſeparatur, eodem modo Cl. Auctor explicat. p. 39.
Calx viua et minium alcali volatile ammoniaci ſalis ſeparant, fixumque ammoniacum ſal vel ſaturnum corneum generant; ex ſolutione autem horum productorum in aqua ammoniaci ſalis ſpiritus et calcem et ſaturnum rurſus ſeparat: ſcilicet acidi ſalis cum calcarea terra et cauſtici cum volatili alcali ſimul ſumtae coniunctiones ſuperant volatilis alcali aduerſus ſalis acidum affinitatem. p. 40.
Ad quaeſtionem, cur quaedam metalla a nonnullis acidis quodammodo dilutis haud recipiantur, niſi aliud in iisdem metallum iam ſolutum haereat, reſpondet Cl. Auctor, quod hac ratione menſtruum p. 46.

cum

cum ſoluto metallo ſimul agat in ſoluendum ſoluto quodammodo affine, etenim niſi inter haec duo metalla quaedam eſſet affinitas, nulla vnquam contingeret ſolutio.

Progredimur ad alteram libri partem, in qua, vt diximus, ipſi affinitatis corporum gradus exponuntur. Silentio autem inuoluimus varias, quibus ad obtinendum ſuum ſcopum Noſter vſus eſt, enchireſes, cum ſatis largam materiem diuerſorum affinitatis graduum annotatio nobis praebeat. Ac
p. 53. *vitriolicum* quidem *acidum*, concentratiſſimum modo ſit, inflammabile principium lubentiſſime in ſe recipit, verumque cum eo conſtituit ſulphur. Quanquam autem ſumma gaudet phlogiſton aduerſus hoc acidum affinitate, a nullo tamen corpore, ſi alumen, zinci vitriolum et ſal amarum Sedlicenſe exceperis, acidum ſeparare poteſt, propterea quod ipſum neogenitum ſulphur magnam habet erga illa corpora affinitatem. Primus poſt inflammabile principium locus vtrique fixo alcali debetur, quippe quae vitriolicum acidum, vbicunque illud inuenerint, ab adhaerente corpore ſeparant, ſibique vniunt. Secundum locum volatile alcali, tertium calcarea terra, magneſia, cobalti terra et ebur calcinatum, quartum zincum, quintum ferrum, ſextum plumbum, ſeptimum ſtannum, octauum cuprum, nonum indigo, decimum aluminis terra, vndecimum wiſmuthum, duodecimum mercurius viuus, decimum tertium argentum et decimum quartum camphora occupant; arſenici enim et antimonii reguli, praeter phlogiſti extractionem, nullam patiuntur a vitrioli acido mutationem.

p. 93. *Nitroſi acidi* affinitates ſunt cum inflammabili principio; cum fixis et volatili alcali, cum terra calcarea, magneſia, cobalti terra, ebore vſto, zinco, ferro, plumbo, ſtanno, cupro, terra aluminis,

minis, wiſmutho, mercurio viuo, argento et camphora. Arſenici et antimonii reguli neque ab hoc acido corroduntur.

Salis acidum ſibi vtrumque fixum alcali, volatile alcali, terram calcaream, magneſiam, cobalti terram, calcinatum ebur, zincum, ferrum, plumbum, ſtannum, cuprum, aluminis terram, wiſmuthum, antimonii regulum, arſenici regulum, hydrargyrum, argentum et camphoram vnit. Inflammabile principium nullam cum hoc acido habet affinitatem; indigo autem admodum exigua pars ab eo recipitur. p. 124.

Aqua regia, ex tribus ſpiritus nitri partibus et vna ſpiritus ſalis parata, coniungitur cum vtroque fixo alcali, cum volatili alcali, terra calcarea, magneſia, cobalti terra, ebore vſto, zinco, ferro, plumbo, ſtanno, cupro, aluminis terra, wiſmutho, antimonii regulo, arſenici regulo, hydrargyro, auro, et platina, argentum autem prorſus reſpuit. Subiunxit Cl. Auctor his tentaminibus cum regia aqua inſtitutis alia cum *menſtruis ex acidi vitriolici cum ſalino et nitroſo commixtione* ortis, quorum alterum ſtannum, wiſmuthum et antimonii regulum, alterum eundem antimonii regulum ſoluit, plura enim cum iisdem experimenta haud inſtituit. p. 161. p. 179.

Acetum vini concentratum vtrumque fixum alcali, volatile alcali, terram calcaream, magneſiam, cobalti terram, ebur vſtum, zincum, ferrum, plumbum, ſtannum, cuprum, terram aluminis, wiſmuthum, antimonii regulum, hydrargyrum et argentum recipit, arſenici autem reguli ſolutionem recuſat. p. 184.

A *phoſphori acido* inflammabile principium, vtrumque fixum alcali, volatile alcali, terra calcarea, magneſia, cobalti terra, ebur vſtum, zincum, ferrum, plumbum, ſtannum, cuprum, terra alu- p. 210.

minis,

minis, wiſmuthum, regulus antimonii, arſenicum album, hydrargyrum et argentum ſoluitur.

p. 243. *Citri ſuccus* vtrumque fixum alcali, volatile alcali, terram calcaream, magneſiam, cobalti terram, ebur vſtum, zincum, ferrum, plumbum, cuprum, terram aluminis, hydrargyrum et argentum recipit; ſtanni autem, wiſmuthi, reguli antimonii atque arſenici ſolutionem recuſat: etſi enim metalla haec citri ſucco ſuperfuſa arroſa quodammodo videbantur, ponderis tamen nullam experti erant iacturam.

p. 253. Accedit Noſter in octaua tractatione ad *fixi aëris, acidique pinguis* affinitates exponendas, qua in re ita verſatus eſt, vt, experimentorum quorundam vi motus, BLAKII de fixo aëre ſententiam ſenſuum teſtimonio niti, atque adeo omni dubio eſſe maiorem, ſtatuat. Tantum tamen abeſt, vt omnia phaenomena, quae metallorum calces, terraque calcarea produnt, ex abſente, vel praeſente fixo aëre ſe explicare poſſe, Cl. Auctor arbitretur, vt ſibi potius habeat perſuaſiſſimum, corporibus hisce, dum calcinantur, materiam quandam igneam inſinuari, quae euentuum quorundam cauſa ſit. Ceterum *pinguis acidi* nomen, quod Cl. Auctor huic materiae dedit, nobis nulla ratione arridet, cum neque illas proprietates, quas MEYERVS ſuo pingui acido tribuebat, poſſideat, neque talis materies eſſe poſſit, in qua acidum cum phlogiſto mixtum inueniatur; nos aeque obſcurum quidem, confuſioni tamen minus obnoxium terminum *igneae materiae* aptiorem iudicaſſemus. Quae aduerſus b. ERXLEBEN hoc loco Cl. Auctor monet, nobis placent.

p. 291. *Cryſtalli tartari*, de quibus nona tractatio exponit, vtrique fixo alcali, volatili alcali, terrae calcareae, magneſiae, ebori calcinato, zinco, ferro, plum-

plumbo, ſtanno, cupro, terrae aluminis, wiſmutho, antimonii regulo, mercurio viuo et argento affines ſunt, eodemque modo *acetoſellae* et *ſuccini* *ſalis* affinitatis ſcalae ſe habent; *vrinae* autem *ſal* in eo ab illis differt, quod wiſmuthum nulla ratione ſoluit. p. 312. p. 326. p. 340.

Sedatiuum ſal cum vtrisque fixis et volatili alcali media ſalia profert, cum terris vero abſorbentibus atque metallis veram haud init coniunctionem, ſoluta enim haec in menſtruis corpora boracis ope cum ſedatiuo ſale ſimul deiiciuntur. p. 353.

Arſenici albi et *Reguli arſenicalis* affinitates Cl. Auctor in decima quarta tractatione conſiderat. Et *Semimetallum* quidem cum ferro, cupro, ſtanno, plumbo, argento, regulo antimonii, wiſmutho, zinco, auro et hydrargyro, *arſenicum* autem *album* cum minerali et vegetabili fixo alcali, cum terra calcarea, ebore vſto, ferro, cupro, plumbo, argento, zinco et volatili alcali commiſcuit variaque obtinuit producta. p. 364.

Sulphur commune cum vtroque fixo alcali, terra calcarea, ferro, cupro, ſtanno, plumbo, argento, antimonii regulo, wiſmutho, mercurio viuo, arſenico et volatili alcali Cl. Auctor commiſcuit, magneſia enim, aluminis terra, ebur vſtum, aurum et zincum a ſulphure nulla ratione recipiebantur. p. 382.

Alcalina menſtrua, varia tamen hic non repetenda ratione, magneſiam, cobalti terram, ebur vſtum, zincum, ferrum, plumbum, ſtannum, cuprum, aluminis terram, wiſmuthum, antimonii regulum, mercurium viuum, argentum et aurum ſoluunt. *Hepatis ſulphuris* affinitates Noſter propterea definire non eſt auſus, quod, etſi multa eam ob rem inſtituerat experimenta, varium tamen ſemper eſt expertus euentum. p. 403. p. 426.

p. 482. Progredimur ad decimam ſeptimam tractationem, in qua *ſalium in ſpiritu vini ſolutionem* Noſter expendit. Spectant huc Saturni ſaccharum, benzoës ſal, nitrum flammans, mercurius ſublimatus corroſiuus, ſal ſuccini, terra foliata tartari cryſtalliſata, ſal ſedatiuum HOMBERGI et alia; ſolutionem autem in hoc liquore prorſus reſpuunt borax, cryſtalli tartari, alumen, vitriolum martis, veneris et zinci, tartarus vitriolatus, ſal mirabile GLAVBERI etc.

p. 440. *Salium in aqua ſolubilium* catalogum Cl. Auctor
p. 446. in duodeuiceſima tractatione exhibet, eamque, quam aqua recipit, quantitatem definit; et in vltima tandem huius partis tractatione copiam aquae cryſtalliſationis, quam nonnulla ſalia, dum ita calcinantur, vt eorum natura haud mutetur, amittunt, annotat.

p. 449. Exempla, quibus Cl. Auctor doctrinae de corporum affinitatibus praeſtantiam et neceſſitatem in ſuſcipiendis chemicis laboribus demonſtrare annititur, digna profecto ſunt, quae commemoremus. Ac primum quidem *de argenti ex luna cornea per ſpiritum ſulphuris* BEGVINI *ſeparatione* agit, ſimulque ad eam quaeſtionem, *qua ratione ſulphur ab argento facile et ſine eiusdem conſpurcatione poſſit ſeparari*, reſpondet. Diſputat deinceps *de ſpiritus* MINDERERI, *florum viridis aeris*, *ſalis ammoniaci* et *pyrii pulueris* praeparationibus, methodosque tradit, quibus haec producta faciliori modo et cum ſumtuum imminutione poſſint parari. Caeterum chemiae cultores ad ipſum librum euoluendum amandamus, certiſſime enim nos ſumus perſuaſi, haud vllum, quem temporis eidem perlegendo impenſi poeniteat, futurum eſſe.

XII.

XII.

Diſſ. de labyrinthi auris contentis. Auctore PHILIPPO FRIDERICO MECKELIO. Argentorati. 1777. 4. c. f. 7. plagg.

Perſecutus eſt et confirmauit in hac diſſertatione Cl. Auctor Cottunniana obſeruata *), quibus demonſtratur in organo auditus et in primis in labyrintho contineri aquulam. Enarrata huius humoris litteraria hiſtoria, atque anatomica adminiſtratione, quae ad inueſtigandum labyrinthum quam accuratiſſima eſſe debet, atque facilius in fetus oſſibus, quam in adulti hominis oſſea compage ſuccedit deſcripta; proponit varia argumenta, quae aquulam, in labyrintho contentam, probant.

Expoſuit menſe Ianuario gelu et libero aëri oſſa temporum varia et aperto labyrintho vidit non ſolum veſtibulum, verum quoque ora canalium ſemicircularium et cochleae ſeptum vtrumque glacie repletum. Dein in anguſtiſſimis animalium canalibus circularibus inuenit aquulam limpidiſſimam, in leporis vero organo potius rubicundam, ſimulque diuerſa adminiſtrata anatomica ſectione demonſtrat integrum labyrinthum eſſe aquula repletum. Idem in auium labyrintho obſeruauit. Quibus obſeruationibus alias zootomicas inſperſit; animaduertens tum minimorum oſſiculorum figuram et canalium ſemicircularium in variis animantibus miram ſubtilitatem, tum auium tympani membranam extrorſum conuexam, introrſum concauam et ſimilia. Poſtea annititur Noſter demonſtrare nullum omnino labyrintho ineſſe aërem, partim ex eo, quoniam labyrinthus ſub aqua demum apertus et agitatus nullas emittit aëreas bullulas,

p. 15. p. 17. p. 21. p. 24.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 538.

lulas, partim quia nullum ſpatium datur, per quod
aër in labyrinthum venire poſſet, affirmans ſe mer-
curio repleuiſſe labyrinthum, neque quicquam
exiiſſe.

p. 26. Poſtea ortu humoris in labyrintho reperiundi
cognito, qui cum aqueo oculi humore compara-
tur, demonſtratoque eodem in viuis animantibus,
eiusdem naturam, quam gelatinoſo aquoſam in-
venit, perſcrutatur et functiones oſtendit. Dis-
p. 33. quirit mox praeter aquulam, et reliquas in laby-
rintho contentas partes et quidem primum dupli-
caturam aliquam perioſtei, quae veſtibulum in duas
cauitates diuidit, inter cuius laminas neruoſae ſunt
fibrae, quamque *veſtibuli ſeptum neruoſo membra-
naceum* appellat; dein vero neruos labyrinthi. Cor-
p. 38. rigit VALSALVAM et VIEVSSENIVM atque monet
horum virorum zonas canalium ſemicircularium at-
que cochleae eſſe nihil aliud, niſi perioſteum. Con-
tendit canales ſemicirculares, quamdiu aquula re-
pleti ſint, interne mera neruorum pulpa inueſtiri;
ſic quoque repugnat Cl. COTTVNNIO, qui ſe in
cochlea ramulos neruoſos vidiſſe perhibet.

p. 42. Neruorum igitur acuſticorum ortu et pro-
greſſu declarato, animaduertit aquula labyrinthi
fieri ſonum ſemper ita, vt ea ipſa ab impulſu ſta-
pedis moueatur in ſpatio aliquo, quod abunde duo
illa *diuerticula* largiantur, quae a COTTVNNIO iam
inuenta et aquaeductus dicta, iterum in maceratis
p. 45. oſſibus mercurio detexit. Perſequitur itaque ho-
rum diuerticulorum, initia et fines; quorum alte-
rum, *veſtibuli diuerticuli* nomine inſignitum, a po-
ſteriori et ſuperiori veſtibuli parte ſuboritur et in
veſtibulo aperitur, alterum *cochleae*, quod a ſcala
tympani cochleae incipiens ſenſim in tubam exten-
p. 49. ditur. In fetu horum conicae figurae diuerticu-
lorum

lorum modo adſunt rudimenta. Porro mercurialibus iniectionibus in labyrinthos recentes inuenit, haec diuerticula eſſe caua et poſterius aperta, veſtibulique diuerticulum terminari in cranii baſi in cauum aliquod membranaceum, quod *aquulae receptaculum* non ſolum mercuriali iniectione, verum quoque repletione glaciei, cum plura oſſa temporum gelu exponeret, cognouit. Denique, notatis diuerticulorum vaſis lymphaticis, quae cum venis connectuntur, breuiter ex antea monitis, quomodo auditus fiat, explicat. p. 50. p. 52.

XIII.

Diſſ. de faſcia lata. Praeſide ADOLPHO MVRRAY. Reſp. *Erico Thurling*. Vpſaliae. 1777. 4. 4½ plagg.

Diſtributa eſt haec diſputatio in duas ſectiones, quarum prima de ligamentorum, tendinum et aponeuroſium generatione in vniuerſum agit, altera vero faſciam latam modo delineat. Itaque primum tum ex litteraria hiſtoria, tum ex rei ipſius natura demonſtrat Cl. Auctor, differentiam inter aponeuroſin, ligamentum et tendinem eſſe determinatu difficillimam; diſputans potiſſimum contra eos, qui tendines a muſculis productos putant vel tendines in fibras muſculoſas mutari credunt. Aduerſus quorum opinionem varia exagitat argumenta, a diuerſitate denſitatis et coloris harum partium deſumta, nec defuiſſe contendit anatomicos, qui fibras tendineas a muſculoſis ſepararent. Tendines infantum non breuiores, potius longiores ſunt; tendines et ligamenta oſſeſcunt, muſculi nunquam; muſculi irritabilitate et contractilitate afficiuntur, tendines nequaquam; tendines in me- p. 5. p. 8.

ram reſoluuntur celluloſam telam, quod praeter
HALLERVM quoque MOSCATI experimentis de-
monſtrauit.

p. 10. Chemica autem muſculorum et tendinum
analyſis a Celeb. BERGMANNO ſuſcepta ſpem noſtri
Auctoris fefellit; cum appareret, muſculos et ten-
dines in aequali quantitate easdem praebere terras.
p. 11. Attamen egregie pergit ſuam ſententiam defende-
re, dum addit quaedam obſeruata, quibus conſtat,
interdum tendines reperiri, quorum ex muſculis
ortus difficulter probatur, aliasque eſſe aponeuro-
ſes, in quibus fibrarum directio plane diſcreparet
a fibrarum muſcularium via, quod valere aſſerit de
aponeuroſi ſupraſpinati, trapezii et aliorum muſ-
p. 13. culorum. Ex quibus colligitur. tendines, aponeu-
roſes et ligamenta ortum ducere ex celluloſa varie
compreſſa vel trita.

p. 17. In altera huius diſſertationis parte diligenter
et accurate deſcriptas legimus faſciae latae origi-
nes a ſuperiore glutei magni portione, tenſore fa-
ſciae ipſius et muſculis cruris, vti et progreſſum
p. 19. et finem huius latae expanſionis. Mox diſquirit
Cl. Auctor ſtrata inprimis tria, directionem fibra-
rum in iisdem et diſſepimenta, quae inter femoris
p. 23. et cruris muſculos locum occupant. Nominat octo
inter femoris muſculos, primum inter gluteum
magnum et medium; ſecundum inter gluteum me-
dium et tenſorem faſciae; tertium inter faſciae la-
tae tenſorem et ſartorium muſculum; quartum
ſartorium obuoluit; quintum ſupra pectineum et
portionem tricipitis primam ſe expandit, ſextum
attingit caput primum et ſecundum tricipitis, ſepti-
mum ad tricipitis capita et gracilem abit, octauum
denique inter caput bicipitis breue et vaſtum ex-
p. 27. ternum poſitum eſt. Poſtea deſcribit faſciae latae
decur-

decurſum per genu ad crus et notat haec inprimis diſſepimenta; primum, quod ab interioribus oritur et proprios pedis muſculos inueſtit; ſecundum inter ſoleum et peroneum longum; tertium inter peroneum longum et medium; quartum inter peroneum longum et extenſorem digitorum longum et denique quintum inter tibialem anticum et extenſorem quatuor digitorum. Quibus de vſu faſciae latae et de accurata diſſepimentorum in arte chirurgica cognitione nonnulla breuiter ſubiunxit. p. 32.

XIV.

D. FRIEDR. CHRIST. STÖLLERS, *der höchſtſeligen Frau Herzogin zu Sachſen - Querfurth und Weißenfels geweſenen Leibarztes und verpflichteten Stadtphyſicus zu Langenſalza, Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äuſſern Heilkunſt, mit phyſiologiſchen, anatomiſchen und praktiſchen Anmerkungen, nebſt Kupfern. Gotha, bey C. W. Ettinger.* 1777. 159 *Seitt.* 8. *nebſt* 3 *Kupfert.*

i. e.

FRIEDR. CHRIST. STÖLLERI obſeruationes medico chirurgicae, annotationibus phyſiologicis, anatomicis atque practicis comitatae.

Obſ. I. *Diabetis hiſtoria.* Oriebatur morbus in homine doloribus colicis atque mictu cruento ſaepius laborante, vomituritionibus, aluo obſtructa, febriculisque vagis aegrotante. Quibus ſignis cum in pubis regione dolores iungebantur acutiſſimi, ad calculorum renum veſicaeque vrinariae praeſentiam concludit Cl. Auctor, atque remedia emollientia, opiata, leniter purgantia, bechica p. 8.

oppoſuit, donec ex lactei ſedimenti copia veram morbi ſtabilire potuit diagnoſin. Sedimentum vrinae, lacti craſſiori analogae, poſt 24 horas demum petiit fundum, atque tres lotii emiſſi partes conſtituit; per octo dierum ſpatium in vaſe clauſo aſſeruata vrina, odoris vrinoſi nihil oſtendit; acido affuſo ſedimentum citius ſeparatum eſt; recens lotium a calore non eſt coagulatum. Subſtituit eapropter optimo cum ſucceſſu remediis antea dictis, leniora purgantia moxque roborantia fortiora, quorum vſu ſanitas amiſſa recuperata eſt. Expoſito morbi decurſu, de diabetis notione Cl. Auctor diſſerit. Recenſet ſigna, quibus morbus hic a congeneribus excretionibus dignoſci poſſit. Poſuit vero characterem morbi in copia chyli ſtatim a morbi initio cum proportionata vrinae quantitate exeunte, atque in ſitis defectu, qui febris lentae vehementiſſimae celeriter ortae eſt cauſa. Poſſet quoque *tabes chyluritica*, vel *marcor cum hectica ex perditione chyli*, vti Cl. Auctor putat, appellari morbus. Sub finem huius ſectionis de eximio vſu corticis Peruuiani in diabete eſt locutus.

p. 25. Obſ. II. *Prolapſus inueteratus vaginae vteri, cui lapides eximiae magnitudinis inhaerebant, qui feliciter tollebatur.* Laborauit aegrota per 18 annos hoc malo, quod poſt partum ex negligentia obſtetricis erat ortum. Incontinentia vrinae, quam procreabat prolapſus, erodebat ita ſuperiorem, anteriorem et poſteriorem vaginae partem, vt haemorrhagiae inde ortae pro catameniis, non rite fluentibus, ab aegrota haberentur. Acceſſerunt dein alui obſtructae, febriſque lentae incommoda, quibus ſuperſtites vires prorſus frangebantur. Cl. Auctor aduocatus, clyſmatibus et epithematibus emollientibus eſt vſus, dein cum lapides ſenſerat

ſerat, inciſionem fecit, et vulſella duos calcareos calculos extraxit. Tertius eiusdem quidem naturae, multo maior tamen, exibat paucis horis poſt, cum vrinam mitteret aegrota. Iam fotus adhibebantur ex herbis emollientibus et diſcutientibus et ſale ammoniaco cum aqua et aceto coctis; atque potio ex chinae cortice et nitro cum aqua et melle parata. Sequenti die ita emollita erat propendens vagina, vt facili negotio in priſtinum locum reponi potuerit. Iam enematibus vterinis vſus eſt Noſter, ex cortice Peruuiano, floribus chamomillae, herba rutae, myrrha et ſale ammoniaco, ex aqua et aceto coctis cum mellis ad melius purgandam emolliendamque vaginae retropulſae ſuperficiem. Roborandi cauſa poſtea aliis enematibus vterinis ex radicibus chinae et tormentillae, cortice granatorum, myrrha et aqua ferria confectis, eſt vſus. Peſſariorum ob debilitatem vaginae, locus erat nullus, quibus embolus ex equiſeto linteis implicato ſubſtituebatur. Iam de ortu calculorum diſſerit, quem ab vrina, in prolapſu ſtagnante, deriuat. Putat quoque ex hoc morbo vim antiſepticam vrinae, quem PRINGLIVS aſſumſit, apparere.

Obſ. III. *Excreſcentia lapidea dentis.* Vetulae, p. 63. cui vnicus ſupererat dens molaris maxillae inferioris, proueniebat in eodem proceſſus calcareus, flauicans, laeuis, compactus, qui, donec dens ipſe elaberetur, in ore remanſit. Materies iſta tartaro dentium non annumeranda videtur, haec enim ſpiritu nitri mandata neque efferueſcentiam, neque ſolutionem eſt paſſa, ſed ſolum mollior reddita; videturque Noſtro in alueolis ſecreta, quoniam radices dentis eadem materia inductae cernebantur. Putat eapropter excreſcentiam iſtam ex eadem cum dentibus materie fuiſſe compoſitam, ex iisdem

 quoque

quoque vaſis fuiſſe ſecretam, ex quibus dentium maſſa antea fuerit ſeparata, eosque dentes, quos ſerotine prouentos deſcripſerunt obſeruatores, ex ſimili fonte fuiſſe ortos.

p. 71. Obſ. IV. *De ſecundinis quinquies remanentibus.* Reperiebatur in eo placentae inferiori loco, quo vtero firmius adhaeſerat, corpus tendineum flauum, ſuperius trifidum, inferius quadrifidum, quod vſque ad funiculum vmbilicalem, ipſi oppoſitum, in ſubſtantiam placentae penetrabat. Partus fetus ipſius facile eueniebat, ante partum fere a medio grauiditatis termino doloribus cruciabatur puerpera in dextro abdominis latere; moleſtiſſimis. Iam de ortu et adhaeſione ſecundinarum diſſeruit, dein originem corporis illius tendinei explicauit, tandemque naturam non ſemper ſecundinas expellere docuit.

p. 85. Obſ. V. *Hydrophobia celeriter orta citoque ſuppreſſa.* In puero 15 annorum a nimia primarum viarum ſaburra, oriebantur quaeuis ſymptomata, quae morſum venenatarum beſtiarum ſequi conſueuerunt, remittebant tamen emeſi excitata, aluoque ſatis purgata. Morbus per paucarum horarum durabat ſpatium, et ſomno profundo atque diaphoreſi larga finiebatur.

p. 101. Obſ. VI. *Aneuryſma ſpurium arteriae pharyngeae in latere ſiniſtro lethale.* Purpura, quae in tertio morbi die accedebat, nihil iuuabat, et poſt aliquot dies rurſus tollebatur.

p. 111. Obſ. VII. *De paralyſi linguae, dextri brachii atque pedis, poſt praegreſſam febrem rheumaticam atque icterum.* Puer nouem annorum corpore de-

bili

bili praeditus, iſtero ſaepius laborans, rheumatica febre et paralyſi partium nominatarum afficiebatur; tandem vero ſanabatur. Vſus eſt Cl. Auctor inter plura, quae omnia commemorare nequimus, moſcho artificiali MARGGRAFII, qui ex olei ſuccini ℥j et acidi nitri concentrati ℥jjj ß paratur eumque moſcho naturali ſubſtitui poſſe ratur.

Obſ. VIII. *De tinea ope cicutae ſanata.* Puella 18 annorum, a prima pueritia tinea laborauerat, quae ea aetate, qua menſes plerumque oriri ſolent, periodica reddebatur. Redibat enim nouilunii tempore et ad plenilunium vſque durabat. Hanc methodo Stoerkiana, cicuta ſanauit Cl. Auctor non ſolum ita, vt tinea ſupprimeretur, verum quoque, vt menſes in poſterum iuſto tempore fluerent. p. 137.

Obſ. IX. *De variolis.* Femina, quae puerperii calamitates ſaepius feliciter erat paſſa, neque tamen variolis laborauerat, edidit aliquando partum, mortuum quidem, veris tamen variolis obſeſſum. Poſt octo annos autem ipſa variolis confluentibus eſt affecta. p. 145.

Vltimo de *remediis* agitur, quae Cl. Auctoris attentionem laudemque meruerunt. p. 146.

1) Extractum *aconiti napellus*, eiusque gr. 2 – 8 cum ſalis ſedatiui gr. 10 – 20 poſt praegreſſas euacuationes aluinas, cum ptiſana purgante ſaepius ſumta in arthritide, atque in curatione morbi venerei per exſtinctionem admodum probantur.

2) *Tinctura cantharidum* cum anatica parte ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis in paralyſi perquam vtilis Noſtro fuit, ſi quidem eadem nuchae, ſpinae dorſi, partibusque affectis illinitur, eadem quoque interne atque externe in vrinae incontinentia

nentia cum fructu propinatur. Paranda vero eſt ex ſpiritus vini atque aquae communis aequalibus partibus, vel quod idem eſt ex ſpiritu frumenti non rectificato, ob ſal cantharidum glutine animali obuolutum, quod in ſolo ſpiritu minus commode ſolui poſſe, Noſtro videtur.

3) *Mercurii ſublimati corroſiui* vires internas aeque ac externas in morbis venereis contra quorundam huius remedii obtrectatorum dubia commendat.

4) Solutionem *vitri antimoniati* vinoſam in variolis, vermibus, catarrhis ſuffocatiuis, tuſſi conuulſiua, atque retropreſſa materia morbifica commendat.

XV.

Societatis medicae Haunienſis collectanea, cum figuris aeri inciſis Volum. II. Hauniae. Impenſis Friderici Chriſtiani Pelt. MDCCLXXV. 4. c. fig. aen. pagg. 335. praeter elenchum.

Inſtituti huius iam alibi*) habita ratione, contentorum in hoc volumine ſummam hic commemorabimus.

1) *De fortuitis curationibus obſeruationes.* Au-
p. 1. ctore SALOM. THEOPHILO DE MEZA. Obſ. I. de impetigine rebelli pomorum eſu curata. Videtur hic morbus ab abundantia bilis, quae hoc acido
p. 4. domata eſt, ortus eſſe. Obſ. II. de tuſſi conuulſiua febri hectica comite per ceraſa auide comeſta ſanata, et de hydropico aſcitico, per primas et vrinarum vias ſponte effluentibus aquis curato, ope venaeſectionis.

2) *De*

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 233.

2) *De contumaci et diuturna alui obſtructione in aegra motibus hyſtericis grauioribus ſimul afflictata.* Auctore A. ASKOW. Febris et motus hyſterici alternabant. Febre ſanata, hyſterici motus compeſcebantur cortice Peruuiano et radice valerianae, et obſtructio ſanabatur raſura ligni quaſſiae et puluere foliorum ſennae ſine ſtipitibus ana drachmam vnam in infuſo. Quo infuſo ſepoſito, aluus ſemper clauſa erat. p. 9.

3) *Exemplum communicatiuae conuulſionum indolis.* Narrat hiſtorias nonnullas Noſter, ex quibus probatur potentia conuulſionum communicatiua ſ. ſuae ſpeciei morbum in aliis praeſentibus excitandi. Quia modo conuulſis adſtantes, nec alii hoc morbo corripiebantur, item ſocietatem cum conuulſis et quidem immediate ſequebatur, vt effectus ſuam cauſam, tertio quia conuulſiones in variis noſtris aegrotis tantum ſeſe inuicem referebant: probabilitas enim propagationis ex aliis rationibus increſcit, ſi filia ſit ſimilis ſuſpectae matri. Haud ſolum autem ſufficit, vti monet Noſter, commercium cum conuulſis *), ſed etiam opus eſt quadam neruorum ad motum facilitate, ob quam haec potentia communicatiua non in omnes adſtantes cadit. p. 14.

4) *De tumoribus inſolitis in duobus fetubus obſeruatis, quorum vnus partum impediuit, alter vero nullum partui obſtaculum fecit.* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Erat ille tumor, qui partum impediuit, inter crura, quo compreſſo atque ita rupto, fetus extrahebatur per biduum viuens, qui poſtea examinatus ingentem ſaccum inter femora gerebat, ortum habentem ex elongatione integumentorum vniuer- p. 23.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 699.

vniuerſalium corporis a tergo verſus anteriora ita protractorum, vt orificium ani in facie anteriori corporis prope vuluam conſpiceretur. Capiebat hic ſaccus libras quatuor et praeterea, exceptis hydatitibus paruis, nihil obſeruatu dignum aderat. Os ſacrum vero ad angulum rectum verſus poſteriora curuatum caudae inſtar prominebat. Alter tumor, qui partui non offecit, erat inter crura poſterius a lumbis propendens capitis magnitudinem ſuperabat, ex quo ingens meconii copia effluebat ideoque partui nullum fecit obſtaculum.

p. 28. 5) *Epiſtola de variolis ad D.* FABRICIVM. Auctore I. EICHEL. Communicat hic Noſter ſuam variolis medendi methodum, quae plerumque cum SYDENHAMII methodo conuenit. Ad genus confluentium haec variolarum ſpecies, quam Noſter obſeruauit, erat referenda, cum fere omnes, iisdem etſi paucioribus laborantes, vexarentur ſaliuatione. Num vomitu ſimul varioloſum miaſma eiiciatur? Dolorificae et vrentis cutis ſenſationes cortice Pe-
p. 37. ruuiano intenduntur. Dolore capitis et delirio
et 66. ſimul praeſentibus, allium plantis pedis applicat Noſter. Ad oculos defendendos nihil adhibuit. Bis vidit variolas oculo inſidentes, quarum vna cum lacte et croco ſaepe elota prorſus diſcutiebatur, altera in cornea leuem cicatricem vix notabilem relinquebat. Cibus ex regno animali non prius eſt permittendus, quam ſiti et febre euaneſcentibus et aegris ipſis id cibi genus poſtulantibus. Deſidenti tumore manuum laxans mercuriale, inprimis pilulae ROSENSTEINII, omni quarto die exhiberi oportet.

p. 70. 6) *De fonticuli effectu in affectio hypochondriaco obſeruatio.* Auctore Cl. DE MEZA. Videntur omnia phaeno-

phaenomena enumerata et phthiſica et hypochondriaca vni fonti, miaſmati nempe acri cuidam bilioſo, quo nerui ad ſpaſmos irritabantur, fibraeque muſculares ſtringebantur tribuenda. Cui enim via per fonticulum patefacta, prorſus reſtituebatur aeger ſanitati.

7) *Tympanitis cum ileo lethali.* Abdomine aperto ventriculus adeo magnus apparebat, vt totam fere regionem ſupravmbilicalem impleret et admodum antrorſum promineret; ieiunum valde expanſum, ileum valde contractum, inflammatum, nigreſcens; colon transuerſum ſcybalis duris repletum et dislocatum et valuula BAVHINI iuſto laxior erant. In hoc morbo reſpicit Noſter ad relaxationem ſuperioris et conſtrictionem inferioris tubi inteſtinalis et inde repetit duplicem indicationem: relaxata et expanſa ad maius robur et minorem diametrum, conſtricta et anguſtata ad minus robur et maiorem diametrum redigere. Priori eligenda ſunt aqua frigida, tonum elaſticum partium, quas primo attingit, reſtituens, ſenſim tamen incaleſcens vimque adſtrictis nocendi perdens; remedia volatilia e. gr. caſtoreum, aſa foetida, camphora et theriaca ANDROMACHI, quae Noſter hic in pilulis adhibuit, et carminatiua; alimenta haud nimis ſolida, larga, aut flatulentae indolis. Poſteriori indicationi ſeruiunt enemata emollientia. p. 73.

8) *Obſeruatio de febre putrida petechiali a foetore piſcium ſalitorum putrefactorum.* Auctore Cl. V. B. AASKOW. Petechiae, quae ab initio morbi huius apparuerunt, minime pro criticis habentur a Noſtro, nec regimini, nec remediis calidis poſſunt tribui. In vno aegro miliaria Noſter obſeruauit, quae anguſtiae domicilii eiusque calori, non renovato p. 82.

vato aëri cet. adſcribit Noſter. Vt ſolent febres putridae, circa diem decimum tertium vel ſeptimum vel vigeſimum diarrhoea, moderato ſudore et vrina hypoſtatica ſoluebatur hic morbus.

p. 91. 9) *Obſeruatio de variolis ſecunda vice idem ſubiectum infeſtantibus.* Habet hoc exemplum profecto magnam veriſimilitudinem, quoniam ſoror variolis quoque iam ſimul correpta cum hac aegra ob metum ſimilis euentus, inſitionem variolarum fruſtra bis eſt paſſa ita, vt ne inciſa pars quidem ruberet. Praeterea tentauit infectionem illius inoculatae, per aditum ad ſororem, altera vice iam variolis laborantem, ſed eodem euentu. Exinde colligit Noſter veras fuiſſe variolas, quibus ambae ante octo annos decubuerunt, ac poſſe variolas idem ſubiectum bis infeſtare, et diſſerit quaedam de benignitate variolarum inſitarum.

p. 100. 10) *Apoplectici ſanati hiſtoria.* Auctore IO. CLEMENTE TODE. Huius apoplexiae cauſa videtur podagra retropreſſa nolebatque prorſus cedere, adhibitis conſuetis remediis. Quapropter arteriotomiam in tempore dextro Noſter curabat, qua facta, clyſmatum et laxantium ope et continuato arnicae et camphorae vſu actiones animales liberabantur et aeger bene conualuit.

p. 107. 11) *Obſeruationes circa maniam.* Auctore IO. HENR. SCHOENHEYDER. Inter omnia remedia, quibus hic ſolent vti, laudat Noſter mixturam camphoratam LOCHERI, compoſitam ex camphorae ʒ ß, ſacch. Canar. mucilag. gumm. Arabic. ana ʒj tritis c. acet. calid. ℥ß. aq. Flor. Sambuc. ℥vj. Syr. Fl. pap. rhoead. ℥j. Detur per partes. Pariter

Cl.

Cl. Auctor valde ſalutares effectus ex harengo ſalito in hoc morbo vidit.

12) *De naeuo materno nulla arte medicabili obſeruatio.* Plurimis cauſticis adhibitis remediis et ſuppuratione ſat valida excitata, nihilominus hic naeuus in fronte, quae erat capillata, ſubſtitit. p. 112.

13) *Obſeruatio de taenia ope ſtanni raſi expulſa.* Auctore SIBBERN. Compoſuit Noſter ſtanni binas drachmas cum drachma dimidia radicis ialappae ope mellis in bolum redactas et dedit hoc ſingulis vicibus. Tribus doſibus deglutitis, taeniam ferme octo triginta vlnarum aluo excluſit aegra. Quam cum ſpiritui vini immittere vellet, ex errore in acetum cereuiſiae immiſit Noſter, quo facto poſt horam taeniam antea albiſſimam profundo nigrore ſuffuſam vidit. Refert itaque acetum inter anthelmintica per coniecturam et pericula ideo eſſe inſtituenda operae pretium ducit. Senis capſulam lentis vidit Noſter in ſegmento poſteriori opacam, in anteriore vero pellucidiſſimam. Segmentum illud variis oſſificationis punctis, in vtraque ſuperficie prominentibus, diſtinctum erat. p. 116.

14) *De hydrope ouarii obſeruatio.* Auctore H. CALLISEN. Aegrota moriebatur et, inciſis muſculis abdominalibus, ſaccus occurrebat praegrandis et totam cauitatem occupans, qui erat ouarium dextrum, nullibi in toto ambitu nexum, ſed ligamentis tubaeque vteri quaſi tenuiſſimo petiolo adhaerens. Praeterea omnia abdominis contenta praeter ventriculum et inteſtina contracta bene ſeſe habebant. Saccus viginti libras puris in vnica continebat cauea, fere dimidii pollicis craſſitudinis erat, vlceribus variae magnitudinis, tumoribus ſtea- p. 120.

tomatoſis ac hydatidibus paruo adhaerentibus petiolo, quorum maximi ouum gallinaceum fere aequabant, vbique in interna ſuperficie refertus erat. Reliqua ſana. Pro aſcite hic morbus habitus eſt, quocum magnam alebat ſimilitudinem. Poſt paracenteſin, quae aliquoties eſt facta aegra adeo valuit, vt plura milliaria equitaret. Diagnoſis et curatio huius morbi magna ambiguitate non ſunt deſtituta. Vnica curationis ſpes forſan in tumoris increſcentis exſtirpatione ſecundum artem peragenda poſita eſt, nec notiones anatomicae, caſtrationes quadrupedum feminarum cet. huic operationi officiunt.

p. 127. 15) *Animaduerſiones de correctione vteri et fetus in partu.* Auctore M. SAXTORPH. Demonſtrat Cl. Auctor partim inſufficientiam huius operationis in plurimis partibus, partim ſtatum, in quo talis correctio locum habeat. Huius correctionis difficultate et inutilitate conſideratis in ſtatu vteri obliquo, ad eum ſtatum vteri progreditur, quo correctio fetus auxilium promittit. Atque hoc fieri poteſt in ſtatu vteri recto. Id quod primo Noſter demonſtrat, dein exemplis illuſtrat.

p. 146. 16) *De vitioſa vtriusque oculi pupilla obſervatio.* Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Icone monſtrata eſt haec monſtroſitas. Legit et humiliora melius, quam altiora, animaduertit, aeger.

p. 149. 17) *Cataphora inſuetae durationis.* Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Erat ſomnus per ſeptem haud interruptas ſeptimanas et interea nihil ingerebatur; linteum vero humectatum omni hora ſecunda diei et noctis querelam obmurmurantis labiis et collo apponebatur.

Vomitus

Vomitus a motu chronicus ſanatus. Auctore EODEM. A motu corporis hic vomitus excitabatur, quiete ceſſabat, ſumtisque alimentis miteſcebat. Sedatus eſt anima rhei cum liquore minerali anodyno HOFFMANNI et infuſo theiformi ex meliſſa et mentha. p. 152.

18) *Tentamina electrica in animalibus inſtituta Particula I.* Auctore P. C. ABILDGAARD. Ad tres quaeſtiones hic Cl. Auctor reſpondit ita comparatas: An rarefactio aëris eodem modo, quo fit ſub antlia pneumatica, occidit? An ruptura neruorum aut vaſorum ſanguiferorum? An a neruorum violenta concuſſione, ſyncope et inde mors? Ad has quaeſtiones ſoluendas experimenta inſtituit, quorum continuationem cum concluſionibus proxime pollicetur. p. 157.

19) *Obſeruationes nonnullae de vſu medico florum arnicae.* Auctore V. B. AASKOW. Adhibuit Noſter hoc remedium in apoplexia et febribus intermittentibus bono cum effectu. Cl. COLLIN aliique *) in affectibus neruorum hoc remedium laudauerunt, et cum intermittentium cauſa proxima in neruoſo ſyſtemate a multis quaeratur, hoc remedium his febribus forſan proderit. p. 162.

20) *De abſceſſu poſt febrem acutam lethali.* Auctore BARTH. IVNGE. Erat abſceſſus hic in thorace et fluctuatio non poterat externe ſentiri. Quapropter eam infidam et incertam Noſter iudicat ad aperiendos tumores metaſtaſi factos. Itaque p. 170.

 cito

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 138. ib. decad. IIda Suppl. p. 479. ib. Vol. XXI. p. 143. et 514.

cito citius eiusmodi tumores aperiendos eſſe ſuadet, etiamſi fluctuatio non percipiatur.

p. 176. 21) NICOLAVS FRIBORG *caſum duplicem de mania cum et ſine opio curata enarrat.* Ibi, vbi opio vſus eſt Noſter, omnia ſymptomata celerrime diſparuerunt, e contrario in altero caſu tardiſſime. Quapropter Noſter opio, quod ſi rite hoc in morbo adhibetur, vim ſpecificam fibrationem neruorum ſenſoriorum vitioſam compeſcendi tribuit, id quod mediate tantum efficiunt alia, licet laudabilia in hoc morbo remedia.

p. 183. Addit hic Noſter *aphoniae* a ſuppreſſis menſtruis ortum ducentis exemplum. Cui camphorata, pediluuium tepidum et linimentum volatile externe ita profuerunt, vt loquela prorſus reſtitueretur.

p. 185. 22) *De variis formationis calli impedimentis.* Auctore H. CALLISEN. Haec ſunt minus accurata fracturae vnio, fortior compreſſio faſciarum circa fracturam cet. De callo fractarum patellarum proxime Noſter aget. In viuis nempe ſemper motus quidam obſcurus inter fragmenta patellae adfuit et in mortuis ne minimum veri calli veſtigium Noſter reperit.

p. 194. 23) *De pareſi metaſtatica brachii ſiniſtri a gonorrhoea.* Auctore IOANNE WILHELMO GVILBRAND. Imprudenter ſuppreſſa gonorrhoea, pa-
p. 203. ralyſis orta et, ea reuocata, haec ſublata eſt. Ob pudorem aegri, qui morbum primum reticuit, haec paralyſis aliis atque aliis remediis tentata et a variis medicis et chirurgis tractata eſt fruſtra. Noſter vero coniecit, virus venereum metaſtatice eſſe delatum et paralyſin effeciſſe. Id quod vere ſic ſe

habuiſſe

habuiſſe, adhibita antiuenerea medendi methodo, qua brachii motus reſtituebatur, luculenter probatum eſt.

24) *Hiſtoria febris putridae ex dilacerata et relicta poſt abortum in vtero placenta ortae.* Auctore IOSEPHO GERSON. Ex huius feminae abortum ſaepe ſaepius paſſae exemplo patet, placentam, ſponte in abortu non ſolutam, ipſi naturae eſſe committendam. Nam hic placentae extractionem ſequebantur haemorrhagiae et ipſius placentae dilacerationes. Item elucet, ex relictis in vtero placentae arte extractae fruſtis, febrem putridam per reſorptionem oriri, quae vix antiſepticis iisque optimis domari poſſit, vltimoque loco apparet ex hoc exemplo, iniectiones vterinas ex lacte cet. praecipuum hic eſſe remedium, quippe quo putrida materia ſubito euacuatur, dum eo vterus ad contractionem inuitatur atque ita relicta placentae pars facilius expellitur. p. 204.

25) *De febri putrida in Dioeceſi Ripenſi epidemice graſſante ab anno* 1770 *ad* 1774. Auctore FRIDSCH. Etiamſi nulli aetati nullique ſexui pepercit haec epidemia, tamen plures feminae quam mares hac febre corripiebantur, eaque cum aetate vires et incrementa capiebat. Infantes et pueri facilius emergebant, quam puberes adultique et rurſus hi melius, quam viri. Senes omnium peſſime afficiebantur ab hac febre. Vomitoria optimum praebebant effectum in hac febre putrida. p. 213.

26) *Obſeruationes ad genera quaedam rariora exoticarum plantarum cum genere nouo Rolandrae.* Auctore CHR. FRIIS. ROTTBOEL. Deſcripſit Cl. ROTTBOEL plantas a ROLANDRO in Surinamia col- p. 245.

 lectas;

lectas; prima earum eſt *Alpinia racemoſa* LINN. quam ob characteris conuenientiam *Amomis* annumerandam eſſe cenſuit, eamque *Amomum Alpinia* denominauit. Exhibita deſcriptione generica, in qua parum diſcrepantiae ab *Amomi* Linneani generica definitione reperimus, genitalium ſtructuram eſt admiratus. Inſidet nimirum ſtylo flaccidiſſimo ponderoſum ſtigma, quod cum ſuſtineri nequiret a ſtylo, pro fulcimento data eſt anthera craſſa, cuius in furcula ſuperiore ſtigma ita reconditum eſt, vt pollinis vim euitare nequeat. Definiuit dein Thaliae characterem generis, quem in LINNAEI ſcriptis adhuc mancum fuiſſe neminem fugit. Eſt vero *Thaliae rachis* ad angulos flexuoſa, quorum cubitis adhaerent flores ſeſſiles, *gluma* perſiſtens biflora, biualuis, valuulis lanceolatis, acutis, concauis, inaequalibus, *perianthium* conſtat ex ſquamis tribus minimis, ouatis, ciliatis, perſiſtentibus, germen coronantibus, *nectarium* petaliforme, minoribus duobus petalis oppoſitum, lanceolatum, acuminatum, concauum, *filamentum* vnicum ſubulatum nectario inſertum, *anthera* clauata, *germen* turbinatum, calyce coronatum, *ſtylus* filiformis, inflexus, *ſtigma* foliaceum, inflexum. *Anacardium occidentale* neque ad decandriam neque enneandriam, ſed ad polygamiam pertinere Noſtro videtur, propterea quod flores hermaphroditos aeque ac maſculos ſolum in diuerſis inuenit ſpeciminibus. Florum hermaphroditorum *perianthium* cernitur concauum, coloratum, ſubuilloſum, *filamenta* 8 – 10 ad baſin connexa; horum vnum reliquis craſſius, atque $\frac{1}{3}$ parte longius, lobo grandiori germinis reſpondens; cui anthera magna, triquetra, fertilis, decidua inſidet; caeteris *antherae* minores, effoetae, perſiſtentes, *germen* obliquum, reniforme, lobo altero maiore ſuperius poſito, *ſtylus* vnicus e ſinu germinis, ſubulatus,

latus,

latus, corollae aequalis, *ſtigma* paruum, ſubrotundum, depreſſum, concauum. Reliqua, vt in LINNAEO. Flores vero maſculi germine vel deſtituuntur, vel abortiente reperiuntur praediti. *Haematoxyli* characterem poſtea deſcripſit, eſt vero *perianthium* compreſſum, coloratum, *tubo* breuiſſimo, vrceolato, carnoſo, perſiſtente, *laciniis* obouatis, deciduis praeditum, *filamenta* medietate inferiore interius barbata, *antherae* lunulatae, *germen* oblongo lanceolatum, compreſſum, *ſtylus* flexuoſus, *pericarpium* vt in *Fraxino* calycis tubo inſiſtens; reliquae partes cum LINNAEI adumbratione conueniunt. *Pedalii* character hunc excipit, ſunt vero *calyx* et *corolla*, vt LINNAEVS ipſas deſcriptas tradidit. *Filamenta* vero pilis glanduliferis ad baſin ſunt obſita, inflexa, *antherae* cordatae. Latet quoque filamenti quinti rudimentum intra ſtamina duo breuiora, cum anthera ſimplici minima coloris aurantiaci, *ſtigma* bifidum, cuius lacinia ſuperior margine et apice eſt reflexa, inferior reuoluta. Odor Moſchi, dum floret, fortiſſimus. *Rolandra*, nouum herbae genus, vltima eſt, cuius partes nobis delineauit Cl. Auctor. Pertinet haec ad ſyngeneſiam polygamiam ſegregatam, olimque ſub *Echinopis fruticoſi* denominatione a LINNAEO in prima ſpecierum editione eſt deſcripta, poſtea vero omiſſa. Differt ab *Echinope*, cui multum conuenit, *perianthio proprio* duplici infero atque ſupero, *limbo corollae* quadripartito, *ſtaminibus* quatuor. Inſigniuit vero Noſter plantam *Rolandrae argenteae* nomine characteresque ſpeciei in caule arboreſcente, foliis oblongo lanceolatis, capitulis axillaribus ſeſſilibus quaerendum eſſe cenſet. *Amomi* atque *Thaliae* formae iconibus traditae ſunt.

 27) *De*

p. 259. 27) *De affectu ſpaſmodico refractario obſeruatio.* Auctore SALOMONE THEOPHILO DE MEZA. Satis copioſa licet remedia antiſpaſmodica, inter quae viſcum quernum, vt MEAD vult, ob inutilitatem non adhibuit Noſter, anthelmintica, antivenerea cet. huic iuueni ſedecim annorum ſunt data, neque tamen morbus ceſſauit. Quaeſtiones ideo quaedam a Noſtro hic communicantur: Eſtne hic morbus protopathicus, an deuteropathicus? An ex ſpermatis confectione prouenit, vnde variae ſolent fieri mutationes in corpore circa pubertatis tempus? Eſtne credibile, morbum aliquando vel ſponte vel arte ceſſaturum corpore iuſtum adepto robur vltimumque incrementum? An non interim cauterii vſus ſuadendus, vt lymphae ſeu humoris nutritii forſan abundantia pro parte minueretur?

p. 265. 28) *Alcali volatilis vſus externus.* Auctore PETRO CHRISTIANO ABILDGAARD. Eſt puluis ſalis ammoniaci et ſalis alcali fixi, qua mixtione ſenſim volatile ſalis ammoniaci ſoluitur et exhalat. Optimum reſoluens in tumoribus oedematoſis calidis a Noſtro laudatur et in fluxibus rheumaticis, etiam in rheumatiſmis hoc remedium cum camphora ſuadetur. Forma ſicca, qua hic puluis adhibetur, a Noſtro hic praefertur humidis epithematibus, linimentis cet. Iudicatur a Cl. Auctore hoc remedium penetrantiſſimum reſoluens quoad fluida, et efficaciſſimum ſtimulans quoad ſolida, roborante tamen vi, quod alia reſoluentia ſtimulantia habent, deſtitutum eſt et ideo addit Noſter aromaticum tonicum quoddam.

p. 270. 29) *De variis ſub partu occurrentibus impedimentis, quae ſuturas cranii eiusque fontanellas tangi prohibent.* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Haec impe-

impedimenta partim ſunt *ordinaria*, partim *inconſueta*. Illa ſunt integumentorum capitis nimius tumor, abundantia nimia liquoris amnii, nimia altitudo retracti orificii vteri vel minor eius apertura, ſitus ipſe peruerſus capitis; haec ſunt defectus oſſium mobilium cranii, vti icones monſtrant, nimia vel minor oſſificatio cranii, tumor integumentorum capitis praeternaturalis, vti hic icon ſpectatur, in qua loco naſi magnum ſuper faciem ad os vſque propendet marſupium.

30) *De ſpontanea vteri ſub partu ruptura obſeruatio.* Auctore IOANNE HELM. Fetu et puerpera mortuis, in latere dextro colli vteri et in parte ſuperiore vaginae eius ſpectabatur ruptura magna. p. 283.

31) *Schema inſolentis morbi, quod hiſce quoque collectaneis inſerendum obtulit* Auctor CHRISTIANVS IOANNES BERGER. Erat profecto multis ſymptomatibus ſtipatus hic morbus, vt digeſtione laeſa, febre periodica, viis vrinariis laeſis, teſticulo indurato, flatuum per penem emiſſione cet. quorum vnum alterum excipiebat, interdum coniunctim quaedam aderant. Aeger vero leniſſimis remediis ſanitati prorſus eſt reſtitutus. p. 289.

32) *De iſchuria ex vtero retroflexo.* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Examinando partes pelui contentas mortua grauida, Noſter fundum vteri, in poſteriori peluis parte retroflexum, tumorem in vagina quendam formaſſe: orificium autem alte ſupra pubem vna cum vaginae pariete anteriori attractum veſicamque vrinariam flaccidam iuſto ampliorem et in poſtica ſuperficie disruptam vrinaeque copiam inſignem implere intus abdomen vidit. Fruſtra quoque in cadauere tentauit, tumo- p. 299.

 rem

rem eleuare et retrudere. Hanc retroflexionem vteri non modo inique eradicationi placentae, ſed etiam nimiae peluis amplitudini Noſter adſcribit, quippe qua fit, vt vrinae profluuium non ſolum impediatur, ſed catheteris quoque inutilis euadat vſus.

p. 309. 33) *De opio phthiſeos prophylactico.* Auctore SALOMONE THEOPHILO DE MEZA. Arcere opium phthiſin ſuo et ſuorum aegrorum exemplo Cl. Auctor probat. Omnibus itaque iuuenibus, qui tuſſi ſicca laborant, venaeſectione praemiſſa leue exhibet catharticum, diaetam ſuadet temperatam et pilulas de cynogloſſa vel aliud opiatum bis de die ſeu hora ſomni ita praebet, vt qualibet vice granum dimidium opii aeger ſumat, donec tuſſis ceſſet. Sic ſibi ipſi Noſter conſuluit multisque aliis, et debilitatem pulmonum, quam Noſter ab vſu opii largitur, cortice Peruuiano correxit. Phthiſi autem praeſente, omnem hanc methodum medendi reiicit.

p. 318. 34) *De paraphroſyne febrili ſeu ſynocho delirioſo obſeruatio.* Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Plurimum hic praeſtitit camphora cum acidis mixta.

p. 322. 35) *Hiſtoria febris verminoſae.* Auctore BARTHOLDO IVNGE. Nullis ferme remediis compeſci poterat haec febris, donec in cauſam verminoſam *) inquireretur. Lumbricis enim expulſis, aeger ſanitati prorſus reſtituebatur.

p. 326. 36) *De diſruptione colli vteri et vaginae lethali obſeruatio.* Auctore IOANNE PHILIPPO ROGERT.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 212.

gert. Erat primipara, cuius diſſecto cadauere, contractus cum vicinis inteſtinis concretus et in ſuperficie poſteriori gangraenoſus vterus in pelui minore latebat; huius orificii externi colli et vaginae ambientis disrupti fiſtuloſa apertura, duos pollices longa, communicationem inter abdominis et vaginae cauum in dextro latere effecit. Reliqua fere omnia gangraena erant tacta. Disruptionem hanc potius dilatationi violentae orificii, quam vteri retropreſſioni verſus diaphragma tribuit, alias, collo illaeſo, vagina a ceruice vteri fuiſſet ſoluta. Non audet Cl. Auctor determinare, num corticis Peruuiani vſu miſera vitam ad tres menſes protraxerit? Integumentorum abdominis aperturam ad pus euocandum noluit Noſter admittere partim propter ſummam debilitatem aegrae, partim propter ſatis largum puris effluxum per vaginam.

XVI.

heinr. math. marcards, *der Arzneyk. Doktors zu Hannover, mediciniſche Verſuche* 1*ſter Theil. Leipzig bey Weidmanns Erben und Reich,* 1778 *in* 8. 244 *Seitt. mit* 1 *Kupfert.* 2*ter Theil* 244 *Seitt. mit* 1 *Kupf.*

i. e.

Tentamina medica. Auctore henrico matthia marcard.

Occupatus eſt Cl. Auctor in primo volumine icteri et morbi nigri conſideratione, in altero obſeruationes medicas varii argumenti recenſet. Diuiſum vero eſt hocce volumen in tres Vol. I.
partes, quarum prior aliorum de icteri ortu opinionibus eſt dicata, altera in ſua tradenda conſumitur, tertia denique icterum nigrum conſiderat.

Recen-

p. 4. Recenſitis iis, qui ex ſanguine, antequam ſecretionem bilis patiatur, icterum gigni contendunt, commemorauit Noſter dubitationes, quae contra hanc Ipſi ortae ſunt ſententiam, eſt vero bilis non eductum ſanguinis, ſed productum, adeoque cum in nullo alio loco, quam in viſcere eo, quod ſingulae ſecretioni deſtinatum eſt humor e ſanguine produci poſſit, atque cum hepar ſaepe adeo obſtructum reperiatur, vt ad bilis ſecretionem prorſus ineptum ſit, neque tamen icterus tunc oriri ſoleat, concludit iſtam naturae non conuenire hypotheſin.

p. 34. SYLVIVS aliquid in ſanguine, quod miſcelam bilis ſanguinisque turbaret, quaerens breuiter refutatur.

p. 37. Conuertit ſe poſtea ad recentiorum ſententiam dilucidandam, qui bilem cyſticam per ductum hepaticum ad hepar refluentem icterum procreare putarunt. Ex bile vero hepatica, ſicuti quibusdam horum viſum eſt, ob nimis blandam, quae huic competit naturam, icterus nunquam procreari poſſe videtur. Ea quoque bilis hepaticae indoles cauſa eſt, cur in hepate calculi raro fuerint reperti. Oporteret vero vt calculi, a quibus frequentiſſime oriri ſolet icterus, ſemper in choledocho nunquam in biliſero ductu haererent, quia ſi vel in cyſtide vel in ductu cyſtico lateret, viam bilis in hepar praecluderet. Reperiuntur vero ſaepius in ductu cyſtico, quam in communi, ob lumen illius viae multo anguſtius. In hepatitide autem, quem comitari ſolet icterus, ductus hepaticus ita videtur Cl. Auctori inflammatus, vt bilis cyſtica facilius in duodenum, quam in hepar influere poſſet. Neque denſitas bilis, a qua ſaepius icterus oritur, permittere Noſtro videtur, vt, cum craſſior ſit, quam quae ductum cyſticum permeare poſſit, hepar intrare queat. Spaſmi, quos icterum gignere varii negarunt, morbum certe pro-

procreant, adeoque cum ductum cyſticum claudant, bilis exitum ex cyſtide praecludere videntur. Spaſtica vero iſta affectio, in morbis hyſtericis, animi commotionibus, morſu venenatae beſtiae, colicis ſpaſmodicis, atque in conſtitutionibus icteri epidemicis, occurrere Noſtro videtur. Neque bilis ad hepar tranſitus choledocho obſtructo, adeo facilis videtur, cum ſub hiſce conditionibus veſica fellea, bile turgida, et volumine nimium aucta, fuerit reperta.

In altera huius voluminis ſectione ſuam ſententiam Cl. Auctor de icteri ortu propoſuit. Duplex vero Ipſi adeſſe videtur conditio, ſub qua icterus ſoleat oriri, quarum prima eſt, ſi bilis per veſicae poros in abdomen transſpirans a vaſis bibulis reſorbeatur; altera ſi a vaſis cyſtidis, lympham alias ſugentibus, bilis ipſa hauriatur ſicque ſanguinis maſſae miſceatur. A priori icteri partiales oriuntur, vbi abdominis viſcerumque abdominalium pars bile tincta detegitur: poſterior vero multo frequentius occurrere iure ſuo ſtatuiſſe videtur. Spaſmi ſeu irritata neruorum in bilem ipſiusque iuuolucrum actio, vel vaſorum bibulorum oſtia relaxata ad huius cauſae efficaciam multum conferre videntur. Haec cauſa vero tunc maxime probabilis redditur, ſi bilis e folliculo egredientis mechanicum impedimentum reperitur nullum; vel ſi calculi, veſicam vaſaque reſorbentia varie ſtimulantes, in folliculo fluctuant, ipſa bilis exitu praecluſo, copia ſua vaſa eo diſponere valet, vt ad bilem ſugendam apta reddantur. Occaſionales ſpaſticae affectionis cauſae Noſtro, praeter eas, quas antea nominauimus, videntur hepatis obſtructiones, vermes in viis biliferis, vel inteſtinorum tractu, natura bilis acrior, heparque obſtructum. Vix quiſquam vero fuit ante Noſtrum huic opinioni deditus, ſi a Cl. HENDY, atque COE Anglis

p. 106.
p. 166.

glis

glis receſſeris, quorum loca obſcure hanc ſenten-
p. 170. tiam prodentia, a Cl. Auctore laudantur. Progreditur iam ad dubitationes quaſdam, quae contra hanc ſententiam moueri poſſent, ſoluenda, quae breuiter repetamus. Poſſet nempe moneri *veſica obſtructa non ſemper oriri icterum*, quod vero a vaſis bibulis officio ſuo non ſatis reſpondentibus repetendum videtur: *Veſica nullibi clauſa morbum gigni*, quo in caſu ad ſpaſmos vias conſtringentes Noſtro confugiendum eſſe videtur: *ictericis ſaepius deeſſe veſiculam fellis vel certe bilem*, tunc vero icterus pallidior a ſola bile hepatica ortus Cl. Auctori videtur. Ductuum hepatico cyſticorum, de quorum praeſentia in hominibus dubius manet Cl. Auctor, vſus is eſſet, vt bilem ex hepate, cyſtidis via obſtructa, folliculo inferre poſſent.

p. 203. Accedimus cum Auctore Noſtro ad vltimam huius voluminis partem ad icteri nempe nigri indagationem flauique curandi methodum. Oritur vero icterus niger, gradu vt plurimum ab ictero flauo differens, a ſaturatiore bilis reſorptae colore, vel rarius a viſcerum bilem continentium cor-
p. 204. ruptione. Curatio icteri duplex ſymptomatica, atque cauſalis; prior in purgantibus rhabarbarinis conſiſtit, niſi ſpaſmi vel calculi leniora mannata poſcant; defectus bilis amaris extractis, et vt Cl. Auctori videtur, optime felle taurino in pilulis exhibito reſtituitur. Calori febrili comitanti acida quaeuis opponenda. Cauſarum curatio haec excipit. Hepatitis vero, cuius diagnoſis ſaepe ambigua, remediis conſuetis oppugnanda. Calculorum praeſentia venaeſectionem largam, opium, atque emollientia quaeuis interna atque externa exigit, quorum auxilio dolores non ſolum a calculo orti leniuntur, verum quoque, ſpaſmis ſopitis, ipſe calculus facilius

ſaepe

ſaepe propellitur. Emetica, purgantia, quae modo nominauimus, motusque corporis ad eiiciendum calculum vtilia. Aquae marinae, quam ad eundem ſcopum commendarunt Angli, aquam Seydſchützenſem recte ſubſtitui poſſe ratur. Lithontriptica quidem a Cl. Auctore negantur, tamen ſerum lactis probatur, non tam ob calculum terendi potentiam, quam ob hepar, cui ſimul proſpicere ſoleat. - Saponis efficaciam experientia comprobat. Lithotomia tunc inſtituenda Cl. Auctori videtur, ſi calculus atque veſica ſunt adeo magna, vt peritonaeo adiaceant adeoque tactu percipi poſſint. Hoc irritantibus inflammationemque mouentibus quidam conciliare ſtuduerunt. Specifica plurima nil prodeſſe Noſtro videntur, ſi a croco, vi antiſpaſmodica vtili, atque a cortice Peruuiano roborandi potentia commendabili receſſeris.

Progredimur iam ad alteram huius eximii operis partem, obſeruationibus practicis varii argumenti repletam. Vol. II.

1. *Hiſtoria morbi ſpaſmodici, raphaniae analogi, qui annis* 1771 *et* 1772 *in oppido Stade epidemice graſſabatur.* Aegrotarunt hoc morbo triginta et duo homines, quorum ſeptem moriebantur, e quibus quinque abſque medici conſilio morbum tulerunt. Morbus, contagioſe omnes corripiens, qui hoc morbo laborantibus ad manus erant, oriebatur horrore febrili, calore, ſiti, delirio, atque dolore praecordiorum. Febrilibus inſultibus finitis, cruciabantur aegroti ſpaſmis digitorum artuumque vniuerſorum, vel doloribus ſpaſmodicis, vel pruritu in apicibus digitorum, in collo aliiſque corporis locis, ſurditate praetereunte, inſenſibilitate atque torpore artuum ſubitaneo, tremore membri agentis, p. 1.

tis, plenaria eundi impotentia, ſumma oculorum caligine, reſpiratione nonnunquam anxia atque tarditate loquendi. Sub finem morbi oedemata pedum, rigiditas vnius alteriusue membri, exanthemata prurientia, aſthma, caligo oculorum, atque ſurditas per criſin ſalutarem excitabantur. Mors tunc eueniebat, ſi poſt ſanitatis redeuntis ſigna morbi vehementia recrudeſceret, vel ſubito, vel ſub lethargo. Viris videbatur morbus periculoſior; vermes ab omnibus, qui ſanitatem recuperarunt, ſunt excreti, quod in morientibus ſecus erat. Medela, qua Cl. Auctor cum fructu vſus eſt, perficiebatur ſalinis alui ductionibus, electuario vermibus infeſto, emeticis, mixtura ſimplici cum camphora, electuario ex radice valerianae et herba menthae criſpae, puluere ex eadem valeriana atque camphora, liquore anodyno HOFFMANNI, cantharidibus ſuribus applicatis, atque ſpiritu vini camphorato partibus affectis illito. Venae ſectio in hoc malo, partim ob experientiam repugnantem, partim ob oligochymiam, vt plurimum morbum ſtipantem, a Noſtro reiicitur. Balneorum, electricitatis, ſanguiſugorum atque mercurii dulcis contra morbum efficacia, a Cl. Auctore non fuit tentata. Differebat hicce morbus a raphania proprie ſic dicta, febricula hanc epidemiam praegrediente, defectu fatuitatis famisque caninae alias obſeruatarum, neque pruritu membrorum omnes afficiebantur aegroti, neque magna erat huius morbi cum chorea St. Viti conuenientia. Iam contagioſas vires huius morbi, contra plurimorum obſeruatorum auctoritatem defendit. Differre vero videtur Cl. Auctori raphania a Gallorum morbo *Ergot* dicto. A cortice Peruuiano in raphania parum exſpectat.

p. 63. II. *De conſtitutione applicatione atque vſu balneorum vaporoſorum.* Vituperat prius methodum qua

qua balnea vaporoſa apud nos vulgo inſtituuntur; balneis nimirum more conſueto inſtitutis, neque ea comparari poteſt agendi potentia, qua egemus, neque aequalis aquae conciliari caloris gradus. Cataplasmata atque fomentationes, quarum vſus admodum frequens eſt, balneis multum poſtponendae videntur, quoniam, ſi calore opus eſt, frequentius ſunt reiterandae, neque aëris liberioris acceſſus a parte affecta, poteſt coërceri. Applicantur balnea iſta, ſi emollire, relaxare, vel irritare volumus. Methodus vero balneis iſtis vtendi, quam tradidit Cl. Auctor, ad inventa Cl. SYMONDS Chirurgi Londinenſis pertinet. Machina ipſa, cuius amplam deſcriptionem, formamque aeri inciſam Noſter tradidit, ex cupro conficienda eſt pedum duorum altitudine, ad formam canthari, quo ad infuſum thei vtimur, ita vt acropodio lampas cum ſpiritu ardenti, ad fluidum calefaciendum poſſit mandari. Superiori machinae parti tubus eſt applicandus itidem cupreus, anterius tamen coriaceus, per quem vapor parti affectae admoueatur. Canalis hic duobus gaudet operculis, quibus vapori occludi poſſit via. Spiritus commode eligi poteſt is, cui herbarum aromaticarum inſunt partes, vt ſpiritus roſmarini, poſſet tamen ſpiritui, ſumtuum minuendorum cauſa, oleum oliuarum ſubſtitui. In aqua, quae ad vapores adhibetur, coquantur prius herbae, quae volatiles aquae communicant vires. Partes, quibus balnea haec admouentur, ſedulo operiendae, quo vapores eo certius poros intrent, dein operatione finita humiditas omnis detergenda, variaque diuerſis morbis accommodata remedia ſunt inungenda. Proſunt vero vapores iſti plurimum in glandulis obſtructis, aurium doloribus, in puerperis ſi lac prorumpere recuſat, in genu doloribus inueteratis, quos Angli *White Swelling* appellant, in exoſtoſibus, in phy-

 moſi,

moſi, atque bubonibus venereis, pluribusque aliis morbis, qui ex generalioribus iſtis, quae antea diximus, inueniri facile poterunt.

p. 112. III. *De vlceribus inueteratis, inprimis pedum.* Inquirit Cl. Auctor in GOULARDI opinionem, qui vlcera phagedaenica ex cauſa locali oriri, adeoque remediis ſaturninis reprimenda eſſe putat. Milites veterani hoc malo ſaepius corripiuntur, propter tibialia iſta, quibus in exercitubus vtuntur. Commemorauit hiſtorias quinque hominum, quibus haec vlcera non ſine eximio damno fuerunt exſiccata. Diſquiſiuit dein horum vlcerum naturam, atque argumentis idoneis probauit, etſi nonnunquam ex cauſa locali oriantur, ſaepius tamen humorum dyſcraſiam ſubeſſe, in qua remedia ſaturnina, conſtringendo actiua, plurimum obſint. Si ex cauſa locali fuerunt orta, tunc veſicatoria non ſine vſu parti affectae applicari ratur. A ſitu aegrotorum horizontali radicalis curatio non eſt exſpectanda. Aqua calcis, nimium exſiccans, ſenilibus non reſpondet corporibus. Omnis curatio quae Cl. Auctori probatur, in munditie vlceris ipſius, atque in ſeri lactis, cum ſuccorum herbarum recentium, extractorum amarorum, vel acidi vitriolici vſu, ad purgandos humores conſiſtit.

p. 170. IV. *Hydropis hiſtoria.* Cum per aliquod tempus cremor tartari incaſſum eſſet tentatus, qui tuſſim quoque, hydropis noſtri ſocium, mire augebat, a Cl. Auctore cineres geniſtae cum herba abſinthii ex vino, non ſine magno aegroti emolumento fuerunt exhibiti. Interponebatur huius remedii vſui aluiductio ex catholici extracti granis xij. pulueris ſquillae gr. viii. et gummi guttae gr. ii. Tuſſis vehementia lenioribus opiatis ſiſtebatur.

V. *De*

V. *De ſpaſmo ventriculi.* Siſtebatur morbus p. 183.
potione antemetica RIVERII quater ſumta; quae, poſt lenem emeſin excitatam, malum antea moleſtiſſimum prorſus tollebat. Potio haec ſtatim poſt miſcelam ſumta, eum vomitum tollit, qui non a ſaburra collecta, ſed irritabilitate neruorum ortus eſt.

VI. *Hiſtoria morbi nigri, cum annotationibus* p. 194.
de viribus camphorae. Femina mediae aetatis, corpore gibbo praedita, dolores ſenſerat in ventriculi regione periodicos, vomitus aſſumtorum, et aliquando materiei cuiusdam nigrae, ſanguini congrumato analogae; quae tamen ſymptomata poſt purgationes aluinas, et emplaſtrum ex hyoſciamo loco dolenti applicatum remittebant. Acceſſit dein febris vehemens, quae V. S. et clysmatibus emolliebatur. Creſcebat dein morbus, magna materiei illius nigrae eiiciebatur copia, qua excreta ſymptomata ſenſim omnia remittebant. Erat materies iſta vel ex vaſis breuibus in ventriculum ducta, vel ex tumore tunicato in ventriculi vicinia latitante. Cum poſt vltimum huius morbi paroxyſmum camphoram exhibuiſſet, mox aluum liberam reſpondere vidit, quod in alia quoque obſeruauit aegrota, colligit hinc camphoram vtiliſſimam eſſe, ſi natura in producenda excretione critica ſit occupata.

VII. *Hiſtoria deglutitionis laeſae, tandem le-* p. 209.
thalis. Excitabatur dolor inter deglutiendum vehemens, qui ex collo ad aurem dextram tendebat, exſpuebatur quoque ſaepius materies tenax, ſanguine remixta, quae in loco dolenti ſolui videbatur. Vſus eſt Cl. Auctor, cum glandulas oeſophagi obſtructas cauſam morbi eſſe putaret, mercurialibus ad ſaliuationem vſque, poſtea gargariſmatibus

ex aqua calcis, vt materies calcarea, ſi quae oeſophago forſan adhaereret, reſolueretur, tandemque melle, excitatus ſimili caſu, cui mel profuerat; omnia vero abſque vſu fuerunt tentata, aegrotus enim febre, atque inedia emaciatus, miſera morte tandem obiit.

p. 220. VIII. *Sectionis relatio hominis, qui laqueo vitam finiuerat.* Exterius vix vllum in ſuffocatis alias praeſens reperiebatur ſignum. Vaſa ſanguifera capitis ſanguine admodum turgebant, ventriculi cerebri lympha extrauaſata erant repleti; inteſtina variis in locis ſanguine ſtagnante multum diſtenta cernebantur; bilis cyſtica coloris erat ſanguinolenti; reliqua omnia naturae conſentanea fuerunt.

p. 230. IX. *Quaedam de morte.* Etſi fere ſemper mortis conſecutae cauſa, in cadauere hominis defuncti reperiatur, occurrunt tamen ſaepius caſus in quibus ne minima quidem mortis ſe offert cauſa, in qua principium agens ipſum, modo nobis incognito, deſtructum fuiſſe videtur. Procul dubio, vti Cl. Auctor colligit, tunc mors cauſae nerueae, vel affectioni cuidam, in intima cerebri maſſa euenienti, eſt tribuenda.

XVII.

XVII.

Verſuch einiger praktiſchen Anmerkungen über die Muſkeln, zu Erläuterung verſchiedener verborgenen Krankheiten und Zufälle, entworfen von D. IAC. FRIEDR. ISENFLAMM, *Hochfürſtl. Brandenb. Onolzb. und Culmbachiſchen Hofrath, der Arzk. und Zerglk. ordentl. öffentl. Lehrer auf der Hochfürſtl. Friedrich Alexanders Univerſ. der Röm. Kayſ. Acad. der Naturf. Mittglied, des Hochfürſtl. Inſtituts der Moral und ſchönen Wiſſenſchafften Ehrenmitglied. Mit* 1 *Kupfertaf. Erlangen, bey Wolfg. Walther* 1778. 8. 360 *Seiten.* praet. praef.

i. e.

IAC. FRIEDR. ISENFLAMMII annotationes practicae de muſculis, ad explicandos varios eosque abditos morbos etc.

Cl. ISENFLAMM ſtuduit quaeuis, quae muſculis integris accidunt, quaeue per illos peraguntur aeque colligere, atque ea, quae mouendi organa male affecta comitari ſolent ſymptomata. Liceat nobis breuem vniuerſi libri tradere epicriſin, prius quam praecipua, quae inter legendum ſe nobis obtulerunt, dogmata enarrauerimus. Legimus enim multa cum voluptate hunc librum praecipue ob rerum traditarum concinnitatem.

Praemiſſo tentamine ſuper myologicae cognitionis, muſculorumque ipſorum in corpore humano vſu; naturam harum partium ita non ſolum expoſuit, vt ſtructuram, quae diſſectoris ſolertia

pateſit, traderet, verum quoque attributa, quae phyſiologorum ſpeculationibus ipſis tribuuntur, diſquireret. Commemorauit hic quaedam motuum animalis machinae genera, et ſingularem harum partium accuratius conſideratarum mechaniſmum, merito eſt miratus. Dein ad praeternaturalem muſculorum conditionem tranſiit, morboſque conſiderauit fere omnes, qui vel a defectu, vel alia quacunque contra naturam accidente muſculorum conſtitutione prouenire conſueuerunt. Adiunxit eximio huic largoque morborum muſculoſorum catalogo, de iſtis phaenomenis diſputationem, quae a muſculorum pendere videntur potentia. Vniverſam tractationem finit muſculorum capitis hiſtoria, cui quoque facies muſculis diſtincta, atque a latere picta addita cernitur.

p. 17. Omittimus, quae de muſculorum vtilitate propoſuit ad myologicae doctrinae neceſſitatem probandam, etſi ita ſunt comparata, vt legi omnino mereantur. In quaeſtione ſoluenda, quid muſculus ſit, ita verſatus eſt Cl. Auctor, vt naturam eiuſdem i. e. partes haec organa conſtituentes ſollicite exponeret. Fibrilla minima, de qua certatur, licet oculis non pateat, rationi tamen prorſus conſentanea videtur. Rami neruei ad muſculos abeuntes, a tegumento ſuo cellulari liberati, medullari tunica ſimiles intra fibrillulas minores muſculoſas ita diſtribui videntur, vt eaſdem immediate attingant. Tendines, de quorum ortu atque fine certi definiri nil poteſt, neruis gaudere videntur, ſi fila iſta tenuia in vaginis ipſorum detegenda pro neruis habere, vel ſenſui, quem natura ipſis conceſſit, fidem tribuere non dubitemus. Subitaneus irritabilitatis, quae Noſtro quoque muſculis propria videtur, poſt mortem defectus, congelationi materiae pinguedinoſae

dinoſae inter fibras muſculares retentae, vt cauſae tribuitur. Illuſtratur huius rei probabilitas inprimis ſenum exemplo, in quibus cum aucto ſiccitatis ſenilis gradu, ipſius irritabilitatis muſculoſae imminuitur vigor. Iſtorum vero ſententia, qui dicunt, neruorum vel vaſculorum ſanguiferorum vltimas propagines muſcularem indolem induere Noſtro non magis probatur, quam eorum, qui putant, cauſam craſſitiei, breuitatis atque duritiei dum muſculus agit, in influxu materiae cuiuſdam eſſe quaerendam. Neque ſunt fibrillae muſculorum tubis vel cauis vel celluloſa tela repletis, neque veſiculis ſibi invicem adiunctis, neque filis ad modum ſpirae conuolutis, vti quidam ſunt opinati, annumerandae. Ii quoque, qui muſculo mouenti modo obſcuriorem, modo dilutiorem adſcripſerunt colorem, rem naturae non conſentaneam fouerunt; color enim agentis muſculi omnino non mutatur. Eſt p. 64.
vero quaedam inter fibram muſcularem et fibram glutinis inter duos digitos contentam, reſpectu elaſticitatis harmonia, vtraque enim commota, in quietem redire annititur. Irritabilitatis vero muſculoſae cauſa Noſtro in fluido nerueo, quod in muſculo continetur, reſidere videtur. Quare mirandum non eſt, actionem muſculi eo maiorem eſſe, quo maiores ad muſculos abeant rami neruei. Sequitur vero neruum maiorem laceſſitum debilitas vel ſtupor abſque ſenſibili dolore, qui acutiſſimus redditur, ſi minima nerui cuiuſdam propago, fuerit laeſa. Viſceribus, ſi a corde receſſeris, parum irritabilitatis competit. Haec de irritabilitate viſcerum diſputatio, ad conſiderandum ſtatum irritabilitatis in aſphyxia, ſuffocatione, et morte Cl. Auctorem deducebat.

Redit iam, vnde digreſſus erat, ad exteriorum p. 104.
muſculorum contemplationem, eoſque ita a natura

ordinatos fuiſſe affirmat, vt praeter pulchritudinem, quam corpori conciliant, celeriter eximioque cum robore agere poſſint. Huius triplicis vſus cauſa prominentiae iſtae in oſſibus reperiuntur, quibus affiguntur muſculorum extremitates. Formoſus corporis habitus, cuius a creatore, dum conderet hominem, rationem habitam eſſe, probabile redditur, cauſa Cl. Auctori videtur, cur varii muſculi minori polleant robore. Exemplo res clarior fiet, putat nimirum nos maiore vi atque potentia eſſe maſticaturos, ſi muſculus temporalis mento eſſet affixus, qua ipſa tamen inſertione mutata, faciei turbaretur ſplendor. Muſculi longiores, minori quoque valent potentia atque celeritate, citiuſque defatigantur, quam breuiores. Curuo corpore ſomnum capimus, quo ipſi illi muſculi, qui corpus erigunt, quiete reficiantur, atque vt quaedam ſimilitudo ſit inter hos eoſque, qui in curuando corpore operantur. Aliud mouendi auxilium in eo conſiſtit, quod nulla actio vnius organi peragatur miniſterio. Ex latitudine plantae pedis humanae, colligit Noſter, homines a natura duobus ſolum inſiſtere pedibus. Iam contemplatur Cl. Auctor diuerſorum muſculorum agendi modum, dum erecti ſtamus, vel ambulamus, dum videmus, vel cibos aſſumimus. Etſi conſtat neruorum ope moueri, animo volente, muſculos, modus tamen, quo id fiat, explanari nullo modo poteſt. Irritabilitatis ſeu, quod idem eſt, vis muſculorum vitalis, fons in materiei nerueae agilitate, quaerendus eſt. Aucta muſculorum cohaeſione, imminuitur ipſorum irritandi facultas, quod ſenilis corporis ſedula contemplatio nos docet. Sicuti vero muſculorum in actione ſaepius collocatorum, robur augetur; ita quoque veroſimile redditur, organa iſta animi voluntate adſtricta, rumpendi periculo vix eſſe ſubiecta. Morientium ea

de

de cauſa tollitur libera actio muſculorum, quod influxum fluidi neruei neceſſarium, non amplius perficere poſſit animus e corpore ſecedens. Cauſa conuulſionum, ſpasmorumque poſt mortem non remittentium, in ſitu, directione atque adhaeſione muſculorum, conſtitutioneque articulorum ipſorum eſt quaerenda.

Neque deſunt varietates in muſculis ſaepius p. 181.
detegendae, quae tamen haud raro ita ſunt comparatae, vt in actione partis affectae nil cernatur diſcrepantiae. Sic muſculi pyramidales abdominis ſaepius deſunt, deſunt nonnunquam plantares muſculi, neque tamen actio turbata partis laeſae fuit reperta. Si muſculi maiores inconſueto loco inſe- p. 192.
runtur, tunc, muſculis iſtis fortius agentibus, variae corporis oriuntur deformitates. Suadet eapropter Cl. Auctor, vt, ſi quis gibbo tumere incipiat, muſculi eius regionis accuratius conſiderentur, atque, ſi praeternaturale quid in ipſorum inſertione fuerit detectum, vt horum antagoniſtae ſaepius exerceantur, quo illorum agendi niſus imminuatur. Variant vero muſculi in ſingulis hominibus ita, vt vix ac ne vix quidem conſpiciatur muſculus, qui in diuerſis hominibus ſibi prorſus analogus reperiatur, quod ipſum ex loquelae, generis ſcribendi, atque faciei diſcrepantia a Cl. Auctore probatur. Ab hac ipſa nimirum muſculorum faciei varietate, pendet, quam in ſingulorum hominum lineamentis obſeruamus, diſcrepantia. Labia leporina, quibus fetus naſci ſaepius videmus, non tam a conuulſiuis muſculorum oris motibus, quam a naturali conſtitutione oriri ſolent. Senilis capitis tremor, a ſiccitate hincque producta debilitate muſculorum excitatur. Qui affirmant muſculos in telam celluloſam degenerare, illi valde errant. Reperiuntur vero

ſaepius muſculi vel ad lapidis conſiſtentiam indurati, vel prorſus emolliti.

p. 259. Tranſit iam ad conſiderationem muſculorum partium in abdomine contentarum, adeoque primo ventriculi muſculos, eorumque naturam conſiderat, dein ad inteſtinorum muſcularem tunicam progreditur. Contrahuntur vero fibrae inteſtinorum longitudinales, et circulares motus periſtaltici tempore ſimul. Voluulus, morbus omnibus cognitus, oritur a nimium irritatis atque abbreuiatis fibris muſcularibus, quae cauſam irritantem propellere non valent. Proceſſus inteſtinorum praeternaturales, procul dubio ab aëre euoluto, inteſtina nimium diſtendente atque debilitante oriuntur. Anguſtiae inteſtinorum excitantur, a muſculis inteſtinalibus per acida vel ſaturnina nimium conſtrictis. Harum anguſtiarum ſymptomata, ſaepius cum malo hypochondriaco, vel haemorrhoidibus coecis confunduntur.

p. 329. Ad muſculos, de quorum praeſentia adhuc ambigitur, relatos legimus, pupillae muſculum, fibras muſculares veſicae felleae, atque vrinariae, itemque vteri, tandemque longitudinales arteriarum. Eſt vero Cl. Auctor pronus ad defendendam muſculorum veſicae vrinariae, atque vteri praeſentiam.

XVIII.

XVIII.

Mediciniſch-chirurgiſche Aufſätze hiſtoriſch-praktiſchen Inhalts von I. A. HEMMAN, *Königlichen Penſionairchirurgus von der Armee. Berlin bey Chriſtian Ludwig Stahlbaum* 1778. 8. *Seiten* 227. praeter dedicationem et rerum ſummam.

i. e.

Medico-chirurgica aduerſaria, hiſtoriis morborum illuſtrata, Auctore. I. A. HEMMAN.

1) *Curationes magneticae additamentum ex operibus* THEOPHRASTI PARACELSI. Monſtrat Noſter PARACELSVM quoque de viribus magnetis id annotaſſe, quod recentiores *) animaduerterunt. Iraſcitur Noſter iis, qui PARACELSI ſcripta contemnunt et demonſtrat multas vtiles res iis ineſſe, adeoque dignas eſſe, vti nuper in diario quodam **) ſuadebatur, vt in epitomen redigerentur.

2) *Retentio debiti lunaris ob vaginam coalitam ſeu internum orificium vteri clauſum.* Variis huius caſus exemplis ex veteribus ARISTOTELE cet. nominatis, et cum ſuis comparatis, ſuadet Noſter ſedulam harum partium explorationem, ſi menſes non rite appareant, quippe qua multarum ſanitas, quid quod vita poſſit defendi atque ſeruari, cum alias, vitio mechanico praeſente; praeſertim ſi vtuntur medici nimis pellentibus remediis, de ſanitate ſaepiusque de vita etiam periclitentur feminae. Vteri collum vel hymen facili negotio diſſecatur; quod ſi vero collum p. 41.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 557. it. Vol. XXI. p. 147.

**) *Der deutſche Mercur* Iulius 1776. p. 85.

lum vteri ita comparatum eſt, vt nulla intelligi queat mutatio, difficilior ſit diſciſſio; non tam ob altitudinem colli, cui Auctores a Noſtro laudati hanc difficultatem adſcripſerunt, ſed quoniam dubium eſt, vtrum ſanguis in vtero extrauaſatus ſit, nec ne, numne ille, ſi extrauaſatus eſt, per tubas Fallopianas in abdomen tranſierit, et vltimo loco difficultas cernitur in magnitudine vulneris, quod inflammatio aliaque moleſta et periculoſa ſymptomata ſequi poſſunt, id quod etiam ARISTOTELES notauit. Atque ſi bene ſeſe habebat vteri collum, vti in caſu, a Cl. Auctore memorato, ſuaſit Noſter per id ope ſpecilli tenuis in vteri cauitatem penetrare: atque ita ex profunditate ſpecilli intelligi poteſt, vtrum orificia ſint clauſa. Quo reperto, operationem Cl. Auctor commendat, ſine qua plerisque, vti et duorum exemplorum hic a Noſtro facta eſt mentio, eſt occumbendum. Inciſione facta collapſum vulneris arcet et impedit Noſter per canalem ex reſina elaſtica, qui vulneri immittitur et effluxui ſanguinis apte ſeruit.

p. 84. 3) *Haemorrhoidalia, quae videbantur, ſymptomata a rara quadam cauſa.* Laborabat vir quadraginta annorum voluptati deditus mucoſo profluuio per vrethram, quod pro gonorrhoea habebatur, et, vti tum ſolet, tractabatur, abſque tamen fructu. Non diu poſt dolores vehementes ventris et dorſi, vrinae difficultatem et teneſmum ſenſit, atque lotium guttatim emanauit. Calculoſa cauſa a Noſtro non detecta, complicatas eſſe haemorrhoides hunc morbum, nempe haemorrhoides coecas et mucoſas veſicae vrinariae, arbitrabatur. Sed omnia omnino huic indicationi ſatisfacientia remedia ne paululum quidem, ſi balnea et clyſteres emollientes excipiuntur, iuuabant. Atque ita ſub vehementibus

bus doloribus per annum durantibus aeger occubuit. Sectio autem cadaueris longe aliam monſtrabat huius morbi ſedem, quae ſpectabatur in veſiculis ſeminalibus admodum paruis atque contractis vtrinque alba calculoſa ſabuloſaue materia impletis. Non plane quidem, interim tamen quodammodo ſimilem caſum Cl. Auctor alibi *) reperit.

4) *Annotatio ſuper paracenteſi thoracis.* Cl. Auctor hic potiſſimum in quasdam inutiles cautelas, hanc operationem attinentes, inquirit. Inciſio ſine noxa diaphragmatis, vti nonnulli ſunt rati, ſecundum BOERHAAVII voluntatem inſtituitur. Calor admotus per foculum prunis impletum, vulnere aperto, plane non eſt neceſſarius. Nullum Noſter adhibuit calorem ad aërem externum mutandum, et ſanatio vulneris optimum habuit euentum. Omnis abſceſſuum pectoris ſanitas reſtituitur non diu dilata inciſione, vulneris amplitudine, puris euocatione et vulneris depuratione per antiſepticorum remediorum iniectiones. Quando vero eiusmodi abſceſſus a febribus inflammatoriis ſiue externis laeſionibus oriuntur, tunc ſanatu ſunt difficiliores, quoniam nec in cauitatem thoracis ſeſe effundunt, nec per aſperam arteriam euacuant. Atque praeſente eiusmodi abſceſſu latente Noſter inciſionem longo et acuto ſcalpello in pulmonem non absque omni metu audaciae ſuadet, quoniam experientia docuit, ſimiles aegros per accidentalia pulmonum vulnera eſſe a morte, iis ipſis aegris praeterea ineuitabili, liberatos, et quoniam anceps remedium melius eſt nullo. Quod attinet ad ſedem horum abſceſſuum incertam haec Noſter reſpondet: Inter viginti et quod excurrit cadauera, in

p. 93.
p. 118.

*) Zodiacus medico Gallicus a. 1680. menſ. mart. Obſ. IV. p. 74.

in quibus a Noſtro vlcera pulmonum reperiebantur, fere ſemper animaduertit Cl. Auctor vomicas, ſi lobus pulmonis ſecundum eius longitudinem in quatuor aequales partes diuidebatur, plerumque in ſecunda diuiſione a ſuperiore parte lobi, et potius verſus exteriorem, quam interiorem ſuperficiem ſpectari. Sic quoque erat inter has vomicas, ſi pleraeque aderant, connexio per canales. Semel modo vidit Noſter inter ſex exempla nullam inter vomicas communionem per canales. Atque ita ſedes harum vomicarum poſſet forſan definiri.

p. 122. 5) *Hiſtoria medicinae infuſoriae et certa eius applicatio.* Non prorſus ſuperuacaneum Cl. Auctor indicat, in cauſas inquirere, cur haec operatio, fauſto tamen euentu non ſemper deſtituta, male audiat et obliuioni ſit tradita; item obiectiones, contra eam ſtructas, perſcrutari et rationes, quibus eius incommoda demonſtrarentur, perſequi. Atque hoc Cl. Auctor egregie praeſtitit optans, vt haec ipſa res e tenebris in lucem prolata, iterum diſquiratur a medicis, atque eius vtilitas manifeſtetur. Quod ſi itaque hoc Cl. Auctoris ſtudium profecto aſſiduum, ad hanc rem in memoriam rurſus reuocandam, aliquid conferret, nihil habet, quod deſideret atque ſpectet. Ab antiquiſſimis temporibus hanc methodum ſanandi repetentes ante 1615 annum in nullo auctore claro certam et indubitatam huius operationis deſcriptionem quandam repererunt. Quo anno ANDREAS LIBAVIVS *) eius operationis ſat curioſe mentionem fecit, quem dein alii atque alii ſunt ſecuti a Noſtro diligentiſſime collecti. Inuentionis huius gloriam etiamſi nonnulli Angli, Ger-

*) Defenſio ſyntagmatis arcanorum contra HENNING SCHEVMANNVM, Francof. 1615. fol. C. IV. p. 7. 8.

Germani, Franco-Galli, Italique voluerunt, ideoque de ea certarunt; tamen certum eſt, vti Noſtro placet, Germanos et Anglos primos fuiſſe, qui tentamina ſuper hac re inſtituta palam communicauerint. Fauſto atque infauſto chirurgiae infuſorio euentu a Noſtro narrato, ad transfuſoriam chirurgiam progreditur Cl. Auctor, quippe quae per infuſoriam exorta eſt. Omittit vero hic omnia tentamina, in vſum phyſiologiae atque pathologiae inſtituta, cum ALBERTVS DE HALLER *) haec iamiam exhauſerit.

Ex omnibus hic a Noſtro magna cum ſtudii aſ- p. 175. ſiduitate collectis exemplis facile apparet, hanc operationem minime eſſe vitae periculoſam, et errores, qui infauſtum eius ſucceſſum effecerunt, et quorum quoſdam Noſter enarrauit, non difficulter poſſe intelligi.

Item hic nonnulla communicantur pericula, ex quibus hoc ſaltem apparere Noſter arbitratur: permulta remedia omnem omnino ſuam indolem atque virtutem perdere, priusquam ſanguinem pe- p. 196. netrent, et fortaſſe hoc cadere in plurima remedia: nam, praeter mercurium et nonnulla graueolentia remedia, forſan admodum pauca ſanguinem intrant prorſus immutata. Nihilominus tamen magnas efficiunt haec remedia mutationes, quas ſolidae partes experiuntur, et poſtea effectus per nervos vlterius progredi debent. Sed ſufficiunt haec Noſtro pro inſtituti ratione, quam ſequitur.

Pleraque remedia cum per concoctionem ita p. 198. mutantur, vt ne quidquam de eorum prima indole, natura et proprietate remaneat, tum Noſtro, ſi ſedes morbi in ſanguine eſt, nec quidquam ab eiusmodi remediis ibidem exſpectari poteſt, infuſoria medi-

cina

*) Elem. Phyſiolog. Tom. II. lib. V. §. 24 ſqq. Tom. I. Lib. III. §. 8 ſqq. v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 646.

cina praeferenda eſt. Atque huc potiſſimum refert, Noſter febres putridas, cum digeſtio ita laeſa hic ſit, vt cum alimenta, tum medicamenta ſolui atque aſſimilari nequeant. Quapropter Cl. ALEXANDER in his morbis ſuctionem antiſepticorum remediorum per cutem offert.

p. 208. Epilepticae cum ſuppreſſione menſium exemplum Noſter commemorat, quam ita ſanauit. Dimidia drachma moſchi cum ſex vnciis aquae deſtillatae per octo horas, continuo in mortario vitreo terebatur et dein filtrabatur per chartam. Colatura per duos dies loco quieto morans iterum iterumque filtrabatur, vt omnes omnino crudae partes ſepararentur. Quo facto aperiebat more ſolito, ligatura ſupra et infra applicata, venam medianam et, quatuor vnciis ſanguinis euocatis, immittebat vnciam vnam huius ſolutionis, cui caloris ſanguinis gradum ope thermometri conciliauerat. Operatio haec erat facilis, nec vllas antea et poſtea experiebatur aegra moleſtias, praeter lenem titillationem duabus horis poſt infuſionem per omnes corporis muſculos. De induſtria erat haec operatio a Noſtro peracta breui ante nouilunium, vbi paroxyſmus apparere ſolebat, qui valde debilis accidebat cum debiti lunaris ſatis largo fluxu. Ab hinc paroxyſmo epileptico prorſus ceſſante, catamenia rite fluebant. Breui poſt nupſit viro et viuit feliciter ſine prole.

p. 210. Sequitur hic exemplum aegri putrida febre laborantis, qui ſanatus eſt per medicinam infuſoriam. Sopore et ſumma debilitate affectus aeger cum nullum experiretur auxilium et res conclamata eſſet, Noſter conabatur medicinam infuſoriam. Coquatur corticis Peruuiani vncia vna cum aquae menſura, quae dicitur *Quart*, colaturae addantur duae drachmae ſalis cornu cerui volatilis et ter per chartam bibulam filtretur. Quo decocto compo-

ſito,

ſito, vena mediana ſecabatur et propter ſummam imbecillitatem ſine praemiſſa ſanguinis euacuatione tres vnciae decocti ſuperioris iniiciebantur eo gradu caloris, quo ſanguis gaudet. Aeger interea nihil ſentiens horae dimidia parte praeterita faciem aliquo modo rubram nanciſcebatur et frons ei ſudabat cum pulſu elatiori. Non diu poſt cutis omnis madebat, male olens ſudor ſequebatur et poſt tres horas euigilabat aeger. Sumtis nonnullis nutrimentis, bene ſeſe habebat aegrotus vſque ad meridiem, vbi deliria, anxietates, inquietudines, cutis ſiccitas et pulſus debilis apparuerunt. Ergo ſolvebatur drachma vna ſalis eſſentialis corticis Peruviani in quatuor vnciis aquae deſtillatae, colabatur aliquoties per chartam bibulam, et addebatur quindecim granis ſalis cornu cerui volatilis. Cum vires ſubinde magis magisque decreſcerent, aperiebat Noſter venam iamiam ſectam et, emiſſis forte quatuor vnciis ſanguinis, immiſit tres vncias ſolutionis non diu ante dictae. Hora praeterita pulſus fortis et virium incrementum obſeruabantur cum largo ſudore et diarrhoea foetida. Refectione aegri in dies increſcente, abſceſſus non multum poſt operationem ſub axilla dextra generabatur, quo emollito et tum aperto, prorſus ſanitati hic aeger eſt reſtitutus.

Ex hac hiſtoria non ſolum patet ſecura et vtilis p. 214.
applicatio infuſoriae medicinae, ſed demonſtratur etiam differentia effectus corticis, qui multo celerior erat, ac ſi per os cortex exhibetur.

6) *Obſeruationes de vtero abſente.* Variis exem- p. 217.
plis a Noſtro collectis, vbi partim vterus plane defuit, partim exſtirpata eſt et vtrinque ſine vitae incommodis et periculo, Cl. Auctor caſum enarrat, vbi vterus prorſus deficiebat. Virgo nondum men-

ſtrua paſſa nupſerat viro, qui non poterat, vti ex ſequentibus patebit, concubitum celebrare. Cl. THEDEN idcirco conſulebatur, et partes genitales explorans reperiebat craſſam, rugoſam et carnis colore ſimilem cutem, quae ſupra vrethram erat et omnem omnino vaginam circumdabat. Plures chirurgi hunc caſum perſcrutati ſunt et cum omnes operationem ſuaderent, Cl. THEDEN eam inſtituebat. Inciſione longa facta ab oſſe pubis verſus inteſtinum rectum, quoniam per hanc aperturam nequibat collum vteri detegere, totam illam cutem circa vaginam circumſecabat. Neque tamen collum vteri reperiebatur, etiamſi multum celluloſae ſubſtantiae exemptum fuit, ſed veſicam vrinariam, marginem ſuperiorem oſſium pubis et feces induratas in inteſtinis digitis ſentiebat. Vterus itaque vere aberat et operatio finiebatur. Nulla catamenia apparuerunt; maritus autem nunc melius poterat coire ſine omni tamen grato ſenſu vxoris. Vagina per inciſionem nunc prolongata interne per celluloſam membranam ſimilem illi, quae exempta fuit, eſt clauſa.

XIX.

Mineralogiſche Abhandlung von dem Zinnſteine abgefaſt, von FEODOR MOISJEENKOW. *Leipzig, bey Joh. Gottl. Imman. Breitkopf* 1779. 7 *Bog. in* 8.

i. e.

Tractatus mineralogicus de minera ſtanni, Auctore THEODORO MOISJEENKOW.

Dignus eſt hic, quem protinus indicemus, libellus, quum non ſolum ſcriptionis genere Germanico concinno et eleganti, quod Cl. Auctori, Ruſſo, qui per aliquot annos rebus monticolarum

et

et metallurgorum Fribergae et litteris elegantioribus Lipſiae, vt nouimus, maximam dedit operam, eo maiorem conciliat plauſum; ſed etiam rerum tractatarum ordine, et nouitate, tum quoque modeſtia, qua aliorum errores carpſit, commendandus ſit.

Praeter enumerationem igitur Mineralogorum praecipuorum, in quorum ſcriptis ſtanni mentio fit, atque ingenuum iudicium de iis, deſcriptio omnibus numeris et ſignis, quae etiamnum detegi potuerunt, abſoluta characterum externorum minerae ſtanni, et denique locorum natalium, vbi ſtannum inueniatur, foſſilium, quae iuxta illud et cum eo effodiuntur, et eorum, quibuſcum a nonnullis confunditur, recenſio vtilis traditur.

Signa eſſentialia minerae ſtanneae, quam ſtanni lapidem dicere mauult, et cuius vnam ſpeciem tantum eſſe demonſtrat, quum neque ſtannum natiuum, neque calx aut ſpatum ſtanni, vt fertur, in rerum natura reperiantur, haec ſunt: Color niger et rubro brunus raro flaueſcens et albo griſeus; cryſtallus vel tetraëdra priſmatica, quatuor planis, quae angulis priſmatis baſeos alternis nituntur, mucronata lateribus priſmatis angulo truncatis; vel tetraëdra dupliciter pyramidalis, angulis leuiter truncatis: ſplendor externe maximus, interne communis, raſura griſea, durities ea, qua ad chalybem ſcintillat, atque grauitas ſumma. Summa iuga mon- p. 53.
tium primaeuorum et ſimplicium lapidi ſtanneo locum natalem praebent, quae ex granite, porphyro, gneuſſo et micaceo ſchiſto componuntur. Potiſſimum tamen in montibus, ex granite compoſitis, invenitur, et quidem vel in venis cumulatis, (*Stokwerk*), ſtratis montium, venis propriis et impropriis ſiue in fiſſuris. Quae quidem omnia exemplis locorum diſtincte deſcriptorum egregie illuſtrat.

 In-

Inſignem quoque Cl. Auctoris in omni re mineralogica cognitionem demonſtrant paſſim inſperſae ingenioſae obſeruationes. Ita recte reiicit
p. 15. vulgarem iſtam metallorum partitionem, in *vera* et *ſpuria* ſ. *ſemimetalla*, *perfecta* et *imperfecta*. Etenim omnia metalla ex iisdem conſtant principiis, neque, niſi arctiori aut minori nexu principiorum, eorumque vel ſubtilioribus vel rudioribus particulis, et maiori vel minori ſingulorum quantitate, differunt; attributis autem eſſentialibus conueniunt, neque vnquam quid natura imperfecti vel ſpurii, ſed omnia integra et perfecta fabricata eſt. *Spatum Stanni*, quod alii mineram ſtanni ſpatoſam dicunt, a Cl. IUSTI introductum nihil, niſi *Spatum ponderoſum* eſt, atque in granatis, quos Idem et CRONSTEDTIUS ſtanniferos putant, nemo Stannum inuenit, niſi incaute diſquiſitis. Calx ſtanni, quam CRONSTEDTIUS et SCOPOLI habent, non datur: ſemper enim ſtannum ex mineris fuſione eliciendum eſt, neque vnquam, addito ſolo phlogiſto exinde obtinetur. Reiiciendae omnino et fictitiae ſunt ſpecies, quas Cl. SAGE recenſet. Ex his patet etiam plures a LINNEO aut WALLERIO aſſumtas ſpecies, aut non reperiri, aut varietates vnius ſpeciei eſſe; aut alia foſſilia perperam his indicari. Sic *Stannum ſpatoſum* LINN. aut quarzum eſt, aut ſpatum ponderoſum. WALLERII *minera ſtanni ſtriata* videtur *Schörli* ſpecies.

p. 26. De naturali ordine metallorum diſputans, oſtendit ex fuſibilitate eum definiri non poſſe, neque rationem eorum ad ignem et durationem in eo magis eſſe eſſentialem: ſed certius probabiliter ex grauitate ſpecifica in ordinem redigi poſſe. Ordinem itaque ex grauitate ſpecifica hunc proponit: 1. Aurum. 2. Platina del Pinto. 3. Hydrargyrum. 4. Plumbum. 5. Argentum. 6. Wiſmutum.

tum. 7. Cuprum. 8. Niccolum. 9. Ferrum. 10. Antimonium. 11. Stannum. 12. Zincum. 13. Cobaltum. 14. Arſenicum.

Minerae ſtanni pallide flauae et albogriſeae rariſſimae ſunt; poſterioris duplici pyramide cryſtalliſatae ſpecimen Cl. CASANOVA Dresdae in muſeo ſuo conſeruat. p. 33.

Notatu dignae, ac praeſertim Ruſſis commendandae ſunt probabiles coniecturae, de ſtanni praeſentia in montibus Sibericis, qui a monte *Vral* nomen acceperunt. p. 58.

Altenbergae Stannum recte in venis cumulatis reperiri demonſtrat, neque ideo adſentitur hac in re Cl. CHARPENTIER *), qui omnem lapidem montis minera ſtanni plus minusve impraegnatum eſſe propoſuit, neque Cl. FERBERO **) ſubſcribit, qui montes illic poſitos ex granite, venas cumulatas autem ex quarzo fere puro componi, eaſque adfuiſſe ait ante venas et ante impraegnationem cum metallo. Sed docet montes ex *Porphyro* componi, atque vbique venas ſtanniferas reperiri. Plura, quae notatu digna habet, in ipſo libello legi merentur. Optamus ſane, vt et Cl. Auctor, tum et alii, hoc laudabili modo, ſingula in foſſilia inquirant, quo eueniet, vt pleniorem oryctognoſiae ſ. rerum foſſilium certiorem et veram cognitionem tirones capere poſſint. Gratulamur Ruſſiae de Cl. Auctore, diligentiſſimo Mineralogo et Metallurgo, atque auide ipſam ſtanneae minerae chemicam diſquiſitionem, quam pollicitus eſt, exſpectamus.

*) *Mineralogiſche Geographie der Kurſächſiſchen Lande, von* I. F. W. CHARPENTIER. *Leipz.* 78. 4. liber, notatu digniſſimus, proxime a nobis indicandus.

**) *Neue Beyträge zur Mineralgeſchichte verſchiedener Lande. Mitau* 1 *B.* 78. 8.

XX.

Initia nouae doctrinae de natura ſoni Auctore CHRISTIANO ERNESTO WÜNSCH. Art. liberal. Mag. et Med. Baccal. Lipſiae, apud Langenhemium CIƆIƆCCLXXVI. 4. c. tab. aen. pl. 5.

Cl. Auctor primum de iis breuiter dicit, quae alii eruditi, praeſertim NEWTONUS et Ill. EVLERVS de natura ſoni ſtatuerunt. Deinde de eorum doctrina dubitat; nam cum nullum corpus ſonorum tam longe lateque pateat, vt omnem aërem totam terram complectentem, in duas partes diuidat, neque, ob hanc ipſam cauſam, aëri comprimendo exitus ad latera denegetur vnquam; fingi etiam omnino non poſſe ait, quomodo aër apertus, nullisque finibus circumſcriptus, ſecundum doctrinam Newtonianam comprimi poſſit. Deinde docet, qua ratione eruditos huic quaeſtioni de effectione ſoni eiuſque propagatione ipſi perſpicue et experimentis conſentanee reſpondere oporteat.

Scilicet modum certosque fines ei aëris celeritati ineſſe putat, qua ipſe aër in ſpatia, ab aëris materia vacua ſubito facta, irruere conetur, ſiue, quod idem eſt, qua ipſe aër corpori alicui impellenti cedere poſſit: nam hanc celeritatem aliquod maximum habere, quod ipſa ob aëris naturam numquam excedat. Appellat autem Cl. Auctor hanc celeritatem aëris eiusdem denſitatis propriam, immutabilem, definitam, eamque $= c$ aſſumit, et oſtendit ſub finem huius diſſertationis, eam tempore vnius minuti ſecundi ſpatium 1037 pedum Gallicorum transuerſim emetiri tum, cum aëris denſitas columnam argenti viui, in tubis Torricellia-

cellianis, duodetriginta digitorum Gallicorum ſuſtentet; ſed de hoc poſtea dicendum eſt.

Ex his autem naſci concluſionem hanc ait, vt, quamquam aër apertus tamdiu neutiquam comprimi poteſt, quamdiu corporis impellentis celeritas ipſi celeritati c aëri propriae aut aequalis omnino, aut ea tardior eſt, tamen aër reapſe comprimatur, neceſſario tum, cum iſta corporis impellentis celeritas hac aëri propria celeritate c quacunque demum parte $= m$. maior deprehenditur ſic, vt eius celeritas $= m + c$ ſit. Secundum hoc effatum noſter naturam ſoni inueſtigat et eius effectus, hucusque multis et magnis difficultatibus obſtructos, explicare conatur.

Effectio autem ſoni duplici modo conſideratur: aut vnicum et ſolitarium ictum corpora ſonantia faciunt, aut plures deinceps ſubſequentes. Si prior caſus locum habet: vnicus etiam atque ſolitarius pulſus formatur, qui per totam atmoſphaeram transuerſam celeritate aequabili $= c$ propagetur. Sed ex huius ſolitarii pulſus natura etiam rationem acuminis et grauitatis, claritatisque et obſcuritatis ſoni erui poſſe demonſtrat. Nam quod ad ſonum acutum grauemque attinet, Noſter haec dicit: Corpora ſonantia, ſiue fides contentas atque fibrantes duas aſſumendas eſſe, tum vtriuſque celeritatem $= m + c$ ponendam, atque alteram harum fidium tam breuem et contentam, vt eius vibratio vibratione alterius fidis duplo anguſtior fiat, et ob hanc ipſam cauſſam, etiam pulſus duplo citius exiſtat. Atque cum in vtroque impulſu celeritas impellens eadem $= m + c$ maneat: hos pulſus tantum ratione longitudinis differe atque poſteriorem priore duplo grauiorem eſſe demonſtrat.

Verum ſi quis illud ſpatium a duorum corporum ſonbrorum ſuperficiebus percurrendum idem aſſumat, et alterius corporis impellentis celeritatem = 2 $(m + c)$, alterius autem = $m + c$ ponat: pulſus vtriusque generis eandem longitudinem quidem acquirere, ſed ratione denſitatis discrepare ait: itaque illum hoc duplo fortiorem exiſtere, atque ob eandem longitudinem vtrumque item aut grauem aut acutum eſſe dicit. Ergo natura acuti ſoni non a maiori frequentia pulſuum dependet: ſed, quod plerumque maior frequentia cum acuto ſono coniuncta eſt, id potius e natura ſoni acuti, vbi plures pulſus priorem ſubſequuntur intelligitur.

His ſtabilitis argumentis Noſter ad conſiderationem ſoni, qui pluribus pulſibus, deinceps inuicem ſubſequentibus, conſtat, progreditur. Demonſtrat enim, fidibus ſonantibus, primo impulſu peracto, binos ſemper in aduerſo vel auerſo latere accubare pulſus ſonoros tum, cum ipſae aërem ab aduerſo vel auerſo latere impellunt; horum autem pulſuum priorem a poſteriore, reſiliente fide, ſic velut deiici, vt omnes deinceps prope fidem facti pulſus atque celeritate aequabili = c vlterius propagati aequalibus interuallis inuicem dirimentur.

Oſtendit praeterea, prope corpora ſonantia aëream columnam ſuperincumbentem aequalibus interuallis perpetuo delabi atque hunc delabentem aërem ab impulſibus corporis ſonantis rurſus in ſublime deinceps ferri ſic, vt hic aëris motus cum aliquo circuitu commode comparari poſſit. Ex quo etiam intelligi exiſtimat, quare a multiſonante fragore coelum nonnumquam reddatur ſerenum, quod ipſum inter proelia, pluuioſa tempeſtate commiſſa, ſaepe factum ſit: nam vbi aëri inferiori innatent

tent vapores, hos a ſoni pulſuum frequentia in ſublime ferri, vt ipſi latius diſſipentur, dicit.

Explicat porro Noſter, quomodo fiat, vt corpora aenea caua nulloque foramine aperta nullum omnino ſonum fundant aut ſaltem obſcuriſſime ſonent: ſcilicet ad ſonum edendum requiri neceſſario ait, vt aër deſuper incumbens in illud ſpatium vacuum, prope ſummam corporum ſonantium ſuperficiem factum irruat; atque hoc prope ſuperficiem talium corporum, vbi aëri vndiquaque iter praecluſum ſit, fieri non poſſe. Hoc aſſertum exemplis illuſtrat, oſtenditque in vniuerſum, quare ſonus a figura corporum ſonororum tam multum aut adiuuetur aut obtundatur.

Iam pulſuum ſonororum longitudinem et numerum inueſtigat Cl. Auctor. Aſſumit enim primum fidem contentam vibrationes ſuas ſingulas per ſpatium vnius lineae Pariſinae celeritate $m + c$ perficere: atque vbi $m = 0$ adhibeatur, ſequi ait, vt fides dictum ſpatium tempore vnius minuti 149328^es^ percurrat; nam $1037' \times 12'' \times 12''' = 149328'''$ $= c$: hac autem celeritate corporis ſonantis, ſecundum effatum ſuum, ſupra commemoratum, nullam adhuc compreſſionem effici, neque ſonum edi poſſe demonſtrat. Aſſumit propterea $m = 10672$, ſic vt nunc celeritas corporis impellentis $m + c =$ $10672 + 149328 = 160000$, adeoque celeritate cedendi aëri propria, $= c = 149328$, maior euadat. Ex quo ſequitur, talium pulſuum tempore vnius minuti ſecundi 160000 effici et ſentiri, eorumque longitudinem $= 0, 934'''$ eſſe. Pulſuum autem, duplo acutiorum, numerum, duplo maiorem $= 320000$, ter acutiorum quater maiorem

 =

$= 640000$ eodem tempore edi, eorumque longitudines eſſe vt 0, 934‴, 0, 467‴, 0, 233‴ etc.

His peractis ad explicationem quaeſtionis, multum inter eruditos agitatae, accedit: ſcilicet, quare fiat, vt pulſus diuerſi generis ſimul editi et per aërem ſe viciſſim decuſſantes propagati non perturbentur. Explicatio ipſa cum effato fundamentali Cl. Auctoris cohaeret ſic, vt quaeſtioni huic ſatis perſpicue reſpondeatur; ſed cum haec explicatio ſine deſcriptione aliqua lineari intelligi non poſſit, nos de ea aliquid dicere nolumus. Aſſerit praeterea ſoni per corpora ſolida, aut etiam fluida, propriae tamen celeritatis cedendi expertia, propagati celeritatem infinite magnam eſſe: idque propterea, quod ſoni definita celeritas per aërem a cauſſis colligatis, ſcilicet a vi grauitatis et elaſticitatis corpuſculorum aëriorum pendeat.

Denique iſtius celeritatis cedendi aëri propriae rationem reddit, eamque demonſtrat tantam eſſe, quantam corpora quaecunque e centro grauitatis, fidi ſonanti ſuperincumbentis, columnae aëreae vſque ad terrae ſuperficiem delapſa acquirant. Hoc autem grauitatis centrum in ea ſuper ſummam terram diſtantia aſſumit, vbi argenti viui columna in tubis Torricellianis iſta columna, quae ab aëre prope ipſam terram ſuſtentatur, duplo depreſſior eſt. Sed cum ad definiendam dictam aëris delabendi celeritatem neceſſe fuerit, vt huius centri grauitatis diſtantia cognoſceretur, eaque e formulis mathematicis adhuc cognitis non ſatis accurate erui poſſit; nouam aliquam formulam pro dimenſionibus montium, omninoque omnium a terrae mariſque ſuperficiebus diſtantiarum, exhibet, eiusque fundamenta non in ſuperincumbentis columnae aëreae pondere, ſed potius in ſingulorum corpuſculorum

lorum aëreorum grauitatis et elaſticitatis vi coniunctim ponit.

Conuenit haec formula vtique cum dimenſionibus geometricis montium quorundam Americanorum; tum etiam ipſa 1037 pedes Pariſinos ſuppeditat, pro ſpatio, quod ſonus tempore vnius minuti ſecundi tum, cum altitudo argenti viui in tubis Torricellianis = 28″ eſt, transuerſim emetitur: ſurſum autem eundem ſonum eodem tempore 1026, et deorſum 1050 pedes Gallicos percurrere demonſtrat; ſed vbi argenti viui altitudo = 26″ ſit, ſonum tempore vnius minuti ſecundi ſpatium 1032 pedum tantum emetiri dicit.

Ex hac ipſa formula alia adhuc ſequitur, ſecundum quam ſub ſingulis latitudinibus terrae argenti viui in tubis Torricellianis altitudo media, ex data aliqua altitudine eiusdem argenti viui media, quocumque demum in loco obſeruata, inuenire poſſit. Sic enim repertum eſſe aſſerit hanc altitudinem mediam ad maris littora prope Galliam = 28″ 1‴ 0 plerumque poni: atque ex hac obſeruatione et ipſius telluris figura per ſupputationem iſtam altitudinem mediam ſub circulo polari = 27″ 9‴ 4 et ſub aequatore = 28″ 3‴ 1 inuenit.

XXI.

XXI.

Mémoire ſur les methodes rafraichiſſante et échauffante, Par Mr. DE BOISSIEU, Docteur en Médecine de la faculte de Montpellier, Profeſſeur & Docteur Agrégé au Collége des Médecins de Lyon, des Académies de Villefranche, Montpellier, &c. Qui a remporté le Prix propoſé par l' Académie des Sciences, Arts & Belles Lettres de Dijon, pour l' année 1770. Auquel on a joint l' Extrait d' une Diſſertation, ſur le même Sujet, qui a eu le premier *Acceſſit* & dont l' Auteur eſt M. GODART, Docteur en Médecine, à Verviérs près Liége. Imprimé par ordre de l' Academie. A Dijon, chez Cauſſe, Imprimeur du Parlement & de l' Académie des Sciences. MDCCLXXII. 8. mai. pagg. 326. Praefatio pagg. 16.

i. e.

Commentarius de methodis refrigerante et calefaciente, Auctore Cl. DE BOISSIEU, qui praemium ab Academia Diuiodunenſi ad annum 1770 propoſitum obtinuit; adiuncta epitome diſſertationis Cl. GODART ſuper eodem argumento, quae ad illud proxime acceſſit. Typis mandari curauit Academia.

In praefatione vita Cl. Auctoris, vltimis diebus anni 1770 defuncti, exponitur, quam breuiter repetemus. BARTHOLOMAEVS CAMILLVS DE BOISSIEU natus erat Lugduni Galliae ſexto Auguſti 1734, patre IACOBO, medicinae doctore ac profeſſore collegio medicorum Lugdunenſium adſcripto,

pto, quem tamen ſexennis morte amiſit; ſtudia philoſophica in vrbe patria, medica vero in Academia Monſpelienſi tractabat, ibique auguſto 1755 ſummos in ſcientia medica honores adſequebatur. In patriam reuerſus 1756 collegio medicorum adſcribebatur, et Cl. POTOT, ſanguine ipſi iuncto, duce aegros in noſocomiis per duos annos inuiſebat, poſtea per aliquod tempus Pariſiis finem ſtudiorum ſuorum imponebat, et inde Lugdunum reverſus, cum vix per triennium ibi commoratus eſſet, 1762 cum Cl. PESTALOSSI, collegii ſui Decano, Matiſconem (*Macon*) in ducatu Burgundiae, et poſtea 1769 ad oppidulum *Chazelle* in prouincia forenſi ablegebatur, vt graſſantibus ibi morbis epidemicis obicem poneret, eodem etiam anno 1769 membris Societatis Regiae ſcientiarum, quae Monſpelii, et Academiae, quae Francopoli (*Villefranche*) floret, adſcribebatur. Pleuritide correptus intra tres dies exſtinguebatur, magnum ſui deſiderium apud omnes, qui ipſum cognouerant, relinquens. Praeter diſſertationem de antiſepticis, quae 1767 ab Academia Diuiodunenſi coronata eſt *), aliam conſcripſit, quae ad praemium ab academia Lugdunenſi ad eundem annum propoſitum **) acceſſit, et cuius, typis non mandatae, epitome hic exhibetur. In ea parum ſufficere ad renouandum aërem noſocomiorum putat ventilatores vſitatos, ignem caminorum et feneſtras frequentius apertas, ideoque feneſtras ab ima ad ſupremam conclauis partem pertingentes ſuadet; his tamen editor huius ſcripti feneſtras diuerſae altitudinis, apud Anglos ſolemnes, quae et in ſuperiori et inferiori parte aperiri queant, praefert, ſimulque ideam ſibi enatam, quam ſi vlteriori experientia confirmatam inuenerit, prolixius olim ſe expoſiturum pollicitus,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 594.
**) vid. Vol. XII. p. 166. Vol. XIV. p. 549.

licitus, communicat, de curua quadam linea, ad quam muros ac fornices exſtruere conueniat. Porro ad corrigendum vitiatum aërem Noſter nihil aptius commendat, quam nitrum in puluerem redactum ſucceſſiue prunis ardentibus iniiciendum.

Denique poſt mortem inuenta ſunt plura collecta, quae ſpectant ad ſoluendam quaeſtionem ab Academia Burdigalenſi ad annum 1771 propoſita *), an ſola alimenta vegetabilia, excluſis reliquis, generi humano conueniant; quibus vero, morte ſuperueniente, limam vltimam admouere non potuit.

Praeſens commentarius aeque prolixus eſt ac ille de antiſepticis, in quo recenſendo olim occupati fuimus. Introductio primum de variis caloris et frigoris gradibus, quos animantia ferre poſſunt, exponit, poſtea varias Auctorum de geneſi caloris hypotheſes examinat, ac denique eumdem a particulis igneis, ſanguini inhaerentibus, quando motu inteſtino ac progreſſiuo agitantur, deriuat. Tum phaenomena et effectus caloris naturalis, ac poſtea geneſis et effectus caloris
p. 27. morboſi, ex iisdem principiis explicantur. Quum Noſter feruidiſſima aeſtate plantarum conquirendarum cauſſa in littore maris verſaretur, ſocii ipſius ab immediato radiorum ſolarium impulſu eryſipelate in faciei et colli iis regionibus, quas hi tangebant, corripiebantur, ipſum vero cephalalgia vehemens adgrediebatur, haemorrhagia narium crebriore diſſipata; tunc conſilium capiebant balneo in mare vtendi, et poſtea, quod reliquum erat itineris, in ſabulo littoris, pedibus fere continuo aquae immiſſis, peragendi; quo auxilio mirum quantum adiuti fuerunt. Senſum frigoris in acceſſu febris, calore vere non imminuto, imo magis

*) Quae vero plane differt ab ea, quam olim indicauimus Comm. hor. Vol. XV. p. 707. Vol. XVII. p. 715.

gis aucto, contractioni ſpaſticae fibrarum adſcribit, quae animae eamdem ſenſationem, quam conſtrictio a frigore externo impertiat; eamdemque cauſſam ſubeſſe exiſtimat in horrore hyſterico, in eo qui ab affectibus animi excitatur, in vltimis vrinae guttis reddendis cet. p. 32.

In parte prima tractationis ipſius de methodo refrigerante agit, et primo quidem loco remedia refrigerantia, prout particulae igneae vel nimis abvndant, vel motu inteſtino nimis euoluuntur, vel motu progreſſiuo nimis agitantur, in tres claſſes diuidit: *antiphlogiſticorum*, *antiſepticorum*, et *retardantium*. Antiphlogiſtica vel nimiam copiam particularum ignearum ſubducunt, vel reparationem earumdem impediunt: priora vel materiam igneam ſolam (*antiphl. frigida proprie dicta*), vel vna cum humoribus euacuant (*improprie dicta*); poſteriora dicit *priuatiua*, quae vel *diaetetica* ſunt, vel *pharmaceutica*; et haec rurſus vel *mucilaginoſa*, vel *ſalina*. p. 37.

Refrigerantia *antiſeptica* vel progreſſum putredinis arcent, vel eam ipſam corrigunt; priora (*improprie dicta*) ſunt vel *euacuantia*, vel *adſtringentia*; poſteriora (*proprie dicta*) vel *diaetetica* vel *pharmaceutica*, vti alexipharmaca, amara, febrifuga, cet.

Refrigerantia *retardantia* denique vel actionem ſolidorum in fluida vel horum reſiſtentiam imminuunt: prius praeſtant *temperantia*, quae vel elaſticitatem imminuunt (*relaxantia*) vel motum neruorum nimis auctum ſopiunt (*ſedantia*); poſterius *attenuantia* ſeu *improprie dicta*, quorſum variae artificiales aeque ac naturales euacuationes ſanguinis pertinent, ſeu *proprie dicta*. Hoc loco etiam nonnullorum experimentorum in gelatina animali captorum meminit Cl. Auctor, ex quibus didicit, eam aqua, inprimis cum ſaccharo mixta, p. 54.

vt

vt et ſero lactis perfecte ſolui, praegreſſa fermentatione et ad putredinem propenſione; commode etiam ſolui ab aqua ſalibus neutris ſeu alcali fixo impraegnata; imperfecte ab aceto, ſuperueniente acore caloris gradum aliquem multum conferre ad ſolutionem. Ex quibus varia conſectaria elicit, inprimiſque de vſu acidorum mineralium largiori, quem nonnulli adeo commendant, dehortatur, eaque nonniſi cum maxima circumſpectione et maxime diluta in vſum trahi iubet.

Iam ad morbos ipſos progreditur, in quibus his remediis locus eſt: morbos eos, in genere *phlo-*
p. 57. *giſticos* dictos, in *ſimplices*, *putridos* et *inflammatorios* diuidit. Praecipuum ſignum, hos inter ſe invicem diſtinguens, in *calore* eosdem plerumque comitante ponit, qui vel *gratus* eſt, vel *mordens*, vel *vrens*. Quae diſtinctiones licet vix niſi ipſo tactu clarae reddi poſſint, addit tamen, calorem gratum nonniſi caloris naturalis maiorem gradum ſiſtere; mordentem in neruis manus explorantis excitare ſenſationem aërem, a ſenſu caloris ipſius diuerſam; et vrentem eumdem ſenſum inducere, quam ignem ordinarium. Horum diuerſorum generum caloris cauſſas ex hypotheſi prius ſtabilita repetit. Ad conſtituendum vero modum explorandi augmenti caloris in morbis, thermometrum minus ſufficiens iudicat, ſed omnia ad ſenſationem aegroti, tactum medici exercitati, ſiccitatem cutis, linguae et faucium, et demum mutatum in genere ſtatum aegri refert.

p. 64. *Morbi phlogiſtici ſimplices* vel *ſine febre* ſunt, quos *morbos incaleſcentiae* (*d'échauffement*) dicit, vel *febriles*. In prioribus praeter alias haemorrhagias multum leuaminis accedit a tumentibus haemorrhoidibus. Non immorabimur explicationi morborum iſtorum ad hypotheſin Cl. Auctoris accommo-

commodatae, ad quam etiam delectus remediorum in iisdem ſe refert.

Inter *morbos phlogiſticos putridos* primo *febrem ardentem* enumerat, quam ſatis copioſe, collatis optimis Auctoribus, pertractat. Potum frigidum non niſi apparentibus ſignis coctionis ſuadet: idem quoque iudicium de acidis mineralibus fert. Reformidat etiam balnea vniuerſalia, et horum loco pediluuia, clyſmata vel tepida vel frigida, fomentationes capitis et abdominis, et potum abundantem commendat. E contrario autem ſententiam veterum, omnia euacuantia prorſus proſcribentium, limitat, et, vbi iisdem locus eſt, vel tartaro ſtibiato multum diluto, vel caſſia, manna et ſimilibus vtendum praecipit.

Simili modo *febrem putridam malignam* pertractat, et obſeruationibus praeceptisque optimorum ſcriptorum nonnumquam, quae Ipſe expertus eſt, inſpergit. Sic, vbi de cautionibus in ſanguine mittendo diſſerit, memorat, in morbo epidemico ante aliquot annos graſſato copioſiores ſanguinis miſſiones nec dolorem capitis ac lateris, nec calorem minuiſſe, ſed poſt paucos dies petechias atque haemorrhagias funeſtas aegros ſuſtuliſſe, et poſt mortem ſectione adminiſtrata plura viſcera ſuperficiem rubram monſtraſſe, non ab inflammatione, ſed a reſolutione partis rubrae ſanguinis et relaxatione vaſorum. In epidemia regionis Forenſis multos aegros ſolis naturae viribus ſeruatos vidit, qui ſub initium morbi vomitu bilioſo et verminoſo, et per totum eius decurſum diarrhoea affecti fuerant, et huius ope grauiora adeo ſymptomata ſuperauerant. Alkalinorum volatilium vſum multum limitat, et laudabiles effectus eorum forte ab efferueſcentia cum acidis, ſimul,

p. 121.
p. 135.
p. 140.
p. 146.

vel coniunctim vel ſeparatim, adhibitis, promanare ſuſpicatur. Veſicatoriorum vſum ſummum
p. 148. praedicat. Accidit aliquando Cl. Auctori, vt, hoc remedio etiam incaſſum adhibito, metaſtaſi materiae morboſae ad cerebrum facta, duae cucurbitae ſiccae nuchae applicatae aegrum reſtituerent. In fine morbi cortex Peruuianus omnibus indicationibus fere ſolus ſufficit. In genere monet, methodum refrigerantem in his morbis tempore criſeos et conualeſcentiae nimis debilitare, calefacientem contra itidem nocere, et deliria cet. excitare.

p. 152. Tertio denique loco inter morbos hos *febrem hecticam* refert, quam, cauſſarum ratione habita, in *ſimplicem* et *purulentam* diſtinguit: in vtraque tamen putredinem lymphae cauſſam proximam ponit. Balneis, ad modum veterum cum frictionibus et vnctionibus inſtitutis, multum laudis in hoc morbo tribuit. Lac licet etiam in primis viis rite digeratur, tamen a ſuſpicione putridae corruptionis, ſi ſanguini reliquisque humoribus calore iam depravatis admiſtum fuerit, liberum non exiſtimat: hinc vel paullo ante illud, vel vna cum illo proportionatam corticis Peruuiani quantitatem porrigit, idque a duabus ad quatuor de die vicibus; interdum etiam, ſi res poſtulauerint, abſorbentibus adiunctis.

p. 176. *Morbi phlogiſtici inflammatorii* rurſus in *puros* et *impuros* diſpeſcuntur. In prioribus deſcribendis inter alia Cl. Auctor meditationes quaſdam de origine cruſtae inflammatoriae profert, et quantum ii errent, qui in illis ſanguinis detractione eousque inſtent, donec haec cruſta diſparuerit, docet. Ad poſteriores refert morbos inflammatorios contagioſos, ex quibus variolas et peſtem nominat, et non

non contagioſos, ſeu inflammationes internas in corporibus, quae non plena et firma gaudent ſanitate, enatas: quos quidem omnes vna pertractat. Vomitorium in principio imo ineunte ſecundo adhuc ſtadio variolarum exhibitum mirificos et ſaluberrimos effectus, totum ſyſtema corporis concutiendo motuſque a centro peripheriam verſus determinando, edidiſſe conſpexit: laxantia contra ſaepe nocuiſſe, motus verſus interiora dirigendo et debilitatem relinquendo.

Progrediendum nunc eſt ad partem ſecundam, quae de methodo calefaciente exponit. Primo de cauſſis frigoris in corpore nati agitur, cuius ſenſatio ſeu a defectu vel imminuta actione particularum ignearum in fibras nerueas, ſeu a minore harum fibrarum diſpoſitione ad ſuſcipiendas impreſſiones ab iſtis particulis communicatas oritur: in priori caſu *frigoris veri*, in altero *frigoris apparentis* ſenſatio exiſtit. Vtriuſque autem cauſſas plures eſſe, vltro apparet; neque in iiſdem recenſendis morabimur. Porro frigus eſt vel generale vel locale. Deinde de effectibus generalioribus frigoris. Tunc differentia remediorum calefacientium: haec ſiue quantitatem particularum ignearum augent (*calefacientia phlogiſtica*), ſiue earum euolutionem adiuuant (*calefacientia ſeptica* ſeu *extricantia*), ſiue denique motum ipſarum accelerant (*calefacientia accelerantia*). p. 241. p. 246.

Calefacientia *phlogiſtica* vel iacturam particularum ignearum impediunt (*improprie ſic dicta*), vel ipſarum copiam augent (*proprie ſic dicta*), ſiue iſtae particulae recens aduenientes in forma elementari ex aliis corporibus educantur, ſiue iis ipſis adhuc inhaereant; in priori caſu dicuntur *actualia*, in ſe-

cundo *potentialia*, quae rurſus vel *diaetetica* ſunt, vel *pharmaceutica*.

Calefacientia *ſeptica* ſeu *extricantia* triplici modo motum inteſtinum augent: vel ſuccos iam in animalem indolem mutatos ſuggerendo, vel cauſſas hanc mutationem praeſtantes magis incitando, vel humores crudos et ſeroſos, hanc mutationem impedituros, euacuando. Ex quibus iterum tres horum remediorum ſpecies patent, quas Noſter *animaliſata*, *animaliſantia*, et *euacuantia* dicit.

Calefacientia *accelerantia* motum et ſolidorum et fluidorum augent, ideoque actionem molecularum ignearum in neruos intendunt. Quae potiſſimum in ſolidis efficaciam ſuam exſerunt, *accelerantia proprie ſic dicta;* quae ſtatum fluidorum corrigunt, *incraſſantia* ſiue *accelerantia improprie ſic dicta* conſtituunt. Haec ſanguini maiorem conſiſtentiam conciliant, dum vel deficientem eius partem gelatinoſam reſarciunt, quod analeptica, gelatinae animalium et vegetabilium praeſtant; vel eamdem nimis attenuatam imminuunt, quorſum et euacuantia et animaliſantia ex ſuperiore claſſe pertinent; vel putredine diſſolutam condenſant, quorſum antiſeptica tam diaetetica, quam pharmaceutica ſpectant. *Accelerantia proprie ſic dicta* vel elaſticitatem vel irritabilitatem fibrarum augent: prius praeſtant *tonica*, poſterius irritantia ſeu *ſtimulantia*, eaque vel *externa* vel *interna*.

p. 257. Morbos, in quibus haec remedia locum habent, in genere *frigidos* vocat Noſter, et in tres claſſes diuidit: in *morbos ab inanitione* (*d' épuiſement*), in quibus quantitas molecularum ignearum inſigniter imminuta eſt; in *ſeroſos* ſeu *cachecticos*, in quibus humores ſeroſi abundant, deficiente parte rubra eorum, et ſolidis relaxatis; et in *adynamicos* ſeu *a defectu motus* cum vitalis, tum muſcularis

laris, qui vel *paralyſin* vel *lipothymiae* varios gradus ſiſtunt.

In *morbis ab inanitione*, praemiſſis euacuantibus neceſſariis, purgantia tonica, vt rheum et aloen, cum amaris et ſtomachicis iuncta, commodiſſime protinus poſt paſtum exhibuit. Saepe etiam, vrgentibus obſtructionibus, clyſmata frigida vel ſubfrigida, per longum tempus continuata, inſignis emolumenti deprehendit. p. 264.

Electricitatem in paralyſi nunquam quidem perfectam curationem, ſemper tamen leuamen praeſtitiſſe expertus eſt; potiſſimum ea Noſtro rheumaticae et metallicae conuenire videtur. Addit inprimis exemplum hominis, qui in infuſo theae loco ſacchari ex infortunio arſenicum ſumſerat, et licet protinus omnia vomitu reiiceret, tamen primo doloribus colicis violentis, ac poſtea paralyſi afficiebatur, ita vt artubus inferioribus nullus omnino, ſuperioribus parcus tantum et moleſtus motus futureſſet; huic electricitas liberum artuum ſuperiorum motum, et aliquem inferiorum, reſtituebat, et adhibitis deinde thermis Aquarum Subaudicarum, et iterato poſtea electricitatis vſu ſanitas perfecta redibat. p. 293.

Sub finem omnia omnino, quae in tota tractatione propoſuerat, contrahit, et Lectoribus vno quaſi intuitu conſpicienda ſiſtit. p. 302.

Ex epitome diſſertationis Cl. GODART tantum ordinem, quo hoc argumentum pertractauit, Lectoribus noſtris communicabimus. In duas partes eam diſpeſcuit, in quarum prima tempora morborum et circumſtantias, in quibus alterutram methodum ſequi conueniat, et in ſecunda ſpecies, naturam et modum agendi horum remediorum tradit. Pars prima tria capita complectitur, quorum primum tempora morborum, nempe initium, pro- p. 309.

 greſſum,

greſſum, ſtatum, declinationem et finem, ſiue is in conualeſcentiam ſiue in agoniam vergat, complectitur: alterum ea momenta exponit, in quibus character ſingularis morborum conſiſtit, quae ad ſtrictum et laxum in ſyſtemate vaſorum et neruorum redeunt; in priori tenſio inuoluit inflammationem, relaxatio putredinem; in poſteriori tenſio ſpaſmum, relaxatio atoniam, quarum mutationum quaelibet vlteriores ſubdiuiſiones admittit: tertium caput methodum temporibus et characteri morborum accommodatam tradit. Pars ſecunda iterum duobus capitibus abſoluitur, quorum primum naturam et ſpecies remediorum refrigerantium et calefacientium, alterum eorum agendi modum complectitur. Cauſſas calorem animalem augentes vel imminuentes ad tres claſſes refert Cl. Auctor, mechanicas, chemicas et organicas, iisdemque remedia dicta accommodat. Refrigerantia mechanica ſunt vel moderantia, vel relaxantia, vel humectantia, quibus ex calefacientibus opponuntur excitantia, criſpantia (*roidiſſants*) et exſiccantia. Eadem diuiſio in remediis chemicis locum habet, quibus adhuc accedunt refrigerantia tonica et condenſantia, iisque oppoſita calefacientia, relaxantia et rarefacientia. Remedia organum vel euacuando agunt, et prout vel fortius vel lenius agunt, aut ad calefacientia aut refrigerantia pertinent: vel ſine euacuatione frictionem internam et externam augent vel minuunt; inde vel irritant et adſtringunt, vel demulcent et relaxant, et caloris interni putridi ratione habita vel condenſant, vel rarefaciunt. Ex his iam modum agendi horum remediorum ſatis cognoſci arbitramur, qui ſpeciminis loco in remediis chemicis refrigerantibus et calefacientibus exponitur.

XXII.

C. PLINII SECVNDI Naturalis Hiſtoriae cum interpretatione et notis integris IO. HARDUINI, itemque cum commentariis et adnotationibus HERMOLAI BARBARI, PINTIANI, RHENANI, GELENII, DALECAMPII, SCALIGERI, IS. VOSSII, I. F. GRONOVII et variorum, Vol. I. recenſuit, varietatemque lectionis adiecit I. G. F. FRANZIVS, Lipſ. impenſis Guil. Gottl. Sommeri A. C. MDCCLXXVIII. 8 maj. pagg. 756. praeter Praeff. et Vitam. Vol. II. pagg. 788. praeter CIGALINI lectiones huic volumini praemiſſas.

Nuper duo priora Volumina Hiſtoriae Naturalis, PLINII, quae ſex priores continent libros, Cl. FRANZIVS edenda curauit, atque omnes libros, ſex voluminibus comprehenſos ſucceſſiue prodire iubebit. Quod quidem conſilium non diſplicebit, cum optimas, quas hucuſque habuimus PLINII editiones, hac ratione coniunctim exhibitas intelligamus.

Ne autem Lectores conſilium lateat Editoris, quo arduum illud aggreſſus eſt opus hoc, paucis explicare iuuabit. Textus ipſe ad exemplum HARDVINI ita ſubmiſſus eſt prelo, vt reliquarum editionum labes a librariis, operis, et male feriatis hominibus C. PLINIO inductae, eo melius cognoſci, atque ex varietate lectionis, ex codicibus manu exaratis et collatione editionum principum orta, caſtigari emendarique queant. Varias lectiones quidem omnes enumerauit, ſed de paulo difficilioribus tantum, aliorum ſuumque non immodeſte interpoſuit iudicium. Quaſdam quoque de ſuo anim-

aduerſiones addidit, ſed eas perpaucas, ne in nimiam excreſceret liber molem. Praeterea indicem PLINII ita concinnabit adaptabitque, vt quam plurima ad ſyſtema LINNAEI, quoad quidem in tanta rerum obſcuritate atque ignoratione, quanta premi C. PLINIVM quamplurimis in locis obfuscarique cognouimus, fieri poterit, reuocentur.

Vol. I. Ac *primum* quod concernit *volumen*, illi praemiſſae ſunt IOH. HARDUINI *dedicatio ad Sereniſſimum* DELPHINVM LVDOVICI M. *Filium*, dein EIVSDEM *praefatio*, item *praefatio Typographi* editioni GRONOVII praefixa; nam GRONOVIVM huic demum a Libro XX editioni curandae praefuiſſe, quippe a quo etiam Libro eius animaduerſiones incipiunt, iam dudum a doctiſſimis obſeruatum eſt viris. Excipit hanc IAC. DALECAMPII *praefatio*, quam ſequuntur *teſtimonia ſelecta veterum de* C. PLINIO SECVNDO. Locum quoque ſuum occupauere *Epiſtolae duae* C. PLINII CAECILII, in quibus de *Vita* PLINII *auunculi ſui* differit, additis ſimul notis et obſeruationibus IOH. HARDUINI.

Tandem *codicum Manuſcriptorum* aeque ac *quamplurimarum editionum*, quarum collatione HARDUINI editio emendatior ac correctior prodiit, *indicem* additum vidimus. Quum autem adhuc plurima huic volumini potuiſſent praeponi, Editor Lectorum conuenienti proſpiciens vſui, ea reſeruanda ſpopondit praefationum loco reliquis voluminibus praemittere, ne PLINII amicis fiat iactura et de defectu conquerendi ſit materies.

Praecipuum autem hoc inuenimus, quod editor indicem omnium librorum, primo comprehenſum libello, ita in ordinem redegerit, vt haec editio omnibus reliquis adaptari, locaque ab aliis Auctoribus laudata, facili negotio poſſint reperiri. Nam

Nam quum GRONOVIVS et HARDVINVS in recenſione ac numero aeque ac in capitum inſcriptionibus adeo inſigniter differant, haec incommoda hoc modo tollere ſtuduit, vt in columnis ſibi invicem reſpondentibus ordinem et inſcriptionem capitum apud GRONOVIVM et HARDVINVM collocaret, atque ſic notaret in ipſis libris, vt numerus Romanus nude poſitus, ordinem ab HARDVINO, vncinis vero incluſus, ordinem a GRONOVIO aliisque ſeruatum prae ſe ferat. Vbiuis denique *Emendationes ac Notae*, quamplurimae ab HARDVINO ad calcem vniuscuiuſque libri reiectae, textui quoque ſunt ſuppoſitae, vt Lectoribus lectio PLINII eo gratior ſit.

In fronte *Voluminis ſecundi* conſpiciuntur PAVLI CIGALINI *lectiones duae*, quarum altera *de* PLINII *patria*, altera *de fide et auctoritate* PLINII quamplurima lectu digniſſima continet, quae hiſtoriae literariae veterum Auctorum non ſolum conuenientiſſima, ſed etiam eorum amicis erunt gratiſſima. Vol. II.

XXIII.

Noua phyſico medica.

Societas Regia Scientiarum *Gottingenſis* quaeſtionem propoſuit, ante Iul. 1779. reſoluendam. In qua: „*Inſectorum lethiferorum deſcriptio et contra ea remedia.*„ ſunt tradenda.

Quaeſtiones Academiae Electoralis Bauaricae Scientiarum *Monachienſis* pro anno 1779. et quidem phyſici argumenti: „*Quaenam ſunt arſenici partes conſtitutivae? quosnam prodit in metalla et ſemimetalla effectus? cuinam vſui ceteris metallis hoc immiſcuit natura? confert ne aliquid ad metalla formanda, vel ad ipſa deſtruenda?*„ Cum

ſimilem quaeſtionem *) iam olim Academia Regia Scientiarum et elegantiorum literarum *Berolinenſis* 1773 propoſuerat, hortantur omnes, vt obſeruationes cum hac Academia olim communicatas, ſibi reddere velint cognitas, ne eas iterum iterumque repetant. Praemium vero optimo tractatui dicatum eſt, quinquaginta aureorum Hollandicorum valore nummus. Ante finem Iulii 1779. elaborationes Germanice, Gallice, vel Latine ſcriptae ad Cl. ILDEFONS KENNEDY, qui eſt a Secretis Academiae, ſunt mittendae.

Societas Regia Scientiarum *Havnienſis*, inter alias hanc propoſuit quaeſtionem: „*Quum minerae Cobalti non raro alia metalla et mineralia contineant, quae elegantiam coloris coerulei in ſmalto, encauſtis, et porcellana, infringunt, quaeritur methodus facilis haec inquinamenta inde ſeparandi.*„ Tractatus ſuper hac re Danici, Germanici, Gallici vel Latini ad Ill. de HIELMSTIERNA, a ſecretis Societati, ante finem Auguſti 1779, ſolutis vectigalibus, ſunt mittendi. Optimi libelli Auctori donabit Societas nummum aureum centum thalerorum Danicorum aequantem.

Societas Scientiarum *Bruxellenſis*, pro anno 1780 ſequentem mouit quaeſtionem phyſicam. „*Quaenam ſunt piſcium genera, quae vulgo in littore et fluviis Flandriae piſcatu capiuntur, quinam porro inter piſcandum committuntur errores, et quibus remediis iſti tolluntur.*„ Praemium erit nummus aureus viginti et quinque aureorum Hollandicorum valore. Tractatus Gallica, Latina, vel Belgica dictione elaborata, curatis vectigalibus, Cl.

DE

*) v. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 355. XIX. p. 365. XXII. p. 446.

de roches, qui ſemper a ſecretis Academiae eſt, ante 16 Iunii 1780, ſunt offerendi.

Academia Imperialis Scientiarum *Petropolitana*, quaeſtionem iam bis traditam *) *de diuerſitate ſonorum a tubis aequaliter amplis* cet. exponentem, denuo propoſuit, eique, qui Academiae hac in re ſatisfecerit, centum aureorum nummorum Hollandicorum praemium promiſit, quocumque demum tempore huius rei ſolutionem acceperit. Pro anno 1781 vero ſequentem: „*Poteſtne argumentis indubitatis probari, motum terrae circa axim uniformem eſſe, per aëris atmoſphaerici, ſiue aetheris reniſum per fluxus et refluxus maris, qui ſphaeroidis figuram mutant, vires, quarum media directio per centrum grauitatis terrae non tranſeant adeoque non mutetur, ſiue ſi ille mutatur, quaenam tunc reperiuntur phaenomena, ex quibus haec, caeteroquin minima, mutatio apparere ſolet, et quanam tum opus eſt emendatione reſpectu temporis, vt praeteritorum ſeculorum tempus cum noſtro poſſit comparari.*„ Elaborationes ſunt ante 1 Ian. 1781. ad Cl. io. alb. evlervm, qui a ſecretis Academiae eſt, mittendae. Praemium eſt centum aureorum nummorum Hollandicorum.

Cl. ioannes andreas mvrray a Regia Societate ſcientiarum *Upſalienſi* **) inter Sodales Eiusdem eſt receptus.

Cl. ioranvs rothmann Med. Doct. et Colleg. med. Holm. aſſeſſor die 4 Dec. anno aetatis quadrageſimo *Holmiae* eſt mortuus. Vir in hiſtoria

*) vid. Comm. Noſtr. Vol. XXI. p. 165. p. 556.
**) v. ib. p. 191.

ſtoria naturali ſpectatiſſimus ob itinera in barbarorum regiones a ſe inſtituta.

Cl. I. A. HEMMAN, cuius non multum ante *) mentionem fecimus, febre caſtrenſi nimis praematura morte correptus eſt hoc 1779 anno.

Cl. KLINGHAMMER *Fribergae* anno eodem obiit. Rerum metallicarum erat indefeſſus indagator.

Lipſiae in libraria Gleditſchia tribus Tomis in 8. maj. prodibunt propediem AETII AMIDENI Opera medica, XVI. libris comprehenſa, Graece et Latine, quorum priores octo libros ad exemplum ALDI, poſteriores vero octo ἀνεκδότους ex MS. Lipſienſi, quod in Ampliſſimi Senatus Bibliotheca aſſeruatur, cum varietate lectionis animadverſionibuſque Viri Ill. DAN. GVIL. TRILLERI et ſuis editurus eſt I. G. F. FRANZIVS.

Ibidem in eadem libraria Eodem Editore prodibunt in 8. maj. additis nonnullis obſeruationibus ALEXANDRI TRALLIANI medici libri duodecim, Graece et Latine, multo quam antea auctiores et integriores IO. GVINTERIO ANDERNACO interprete et emendatore, adiectae ſunt per Eundem variae exemplarium lectionis obſeruationes cum IAC. GOVPYLI caſtigationibus et emendationibus D. G. TRILLERI

Ibidem in libraria Iunia eadem forma vulgabuntur: EROTIANI, GALENI, atque HERODOTI GLOSSAE in HIPPOCRATEM, graece et latine, cum animaduerſionibus H. STEPHANI et BARTH. EVSTACHII, *quos recenſuit, varietatem lectionis ex codd. MSS., emendationes ac animadverſiones adiecit Cl.* FRANZIVS.

Memo-

*) vid. ſupra p. 139.

Memoria BERNARDI DE IVSSIEU, Facultatis Medicae Pariſinae Doctoris regentis, Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis Regiaeque Societatis Londinenſis ſocii et in horto regio Botanices demonſtratoris.

BERNARDVS DE IVSSIEV natus eſt *Lugduni Gallorum* a. d. XVII Auguſti A. MDCXCIX. patre LAVRENTIO, doctore medicinae, poſthaec pharmacopola eiuſdem ciuitatis, matre vero LVCIA COVSIN. Rudimenta literarum poſuit in patria, cum ANTONIVS frater eius aditum ſibi pararet ad Collegium Medicorum Pariſienſe, quod eum doctorem conſtituit a. d. IX Decembris A. MDCCXII. cuius memoriam alibi *) cum Lectoribus communicauimus. Anno MDCCXIV iuuenis venit Pariſios, vt abſolveret ſtudia literarum duce fratre. Qui cum conſtituiſſet a. MDCCXVI. iter facere in montes Pyrenaeos, Hiſpaniam et Luſitaniam ad examinandas plantas ibi repertas, comitem itineris delegit BERNARDVM fratrem iuniorem. Atque hoc quidem itinere ſtudium Botanices in animo eius excitatum et ita confirmatum eſt, vt redux ex Hiſpania denuo proſequeretur fratrem in itinere rei herbariae cauſſa ſuſcepto per agros Lugdunenſes et partem Alpium, quem tamen deinde reliquit, vt Monte Peſſulano diſceret artem medicam, quam in patria exercere decreuerat. Statim poſt ornatus honoribus doctoris ſe contulit Sanctum Chamondum (*Saint-Chamond*) oppidulum Lugduno diſtans ſex leucis Gallicis, vt artem, quam amplexus erat, ibi exerceret. Sed mox coactus eſt hoc conſilium abiicere. Senſus enim acerrimus, quem ex aegrotorum doloribus percipiebat, animum eius nimis lenem (erat tum natus

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 582.

natus annos viginti duo) vehementer afficiebat. Haud dubie aetas, cogitatio, contentio et ſtudium aliorum vtilitati ſeruiendi potuiſſent illum ſenſum aſpectu aegrotorum perceptum obtundere, niſi alius ſe ipſi campus aperuiſſet, in quo vtilius decurrere poſſet. VAILLANT Profeſſor Botanices in horto Regio plantarum volebat ſibi ſubſtitui aliquando BERNARDVM noſtrum. Qui quidem etiam arceſſitus Pariſios, VAILLANT mortuo a. d. XXVI Maji anno MDCCXXII. ſucceſſit, nondum viginti tres annos natus: cumque iam ſedem certam in Metropoli fixiſſet, aditum ſibi muniuit ad Collegium Medicorum Pariſienſe libello pro cathedra defenſo anno MDCCXXIV *).

Inutile ſane foret iam deſcribere ſtudia Eius botanica **), quae notiora ſunt, quam vt noſtra commemoratione indigeant. Metropolis enim non minus, quam Gallia et vniuerſa Europa plenae ſunt teſtimoniis luculentis, hominibuſque, qui ſcholis eius doctis interfuerunt, quibuſcum ille ingenue et ſumma fide omnem ſcientiam artis herbariae et hiſtoriae naturalis communicauit. Anno MDCCXXV. adſcitus eſt in Academiae Scientiarum conſortium ***). Ceterum hic ſcrutator herbarum celeberrimus perpauca ſcripſit. Compoſuerat in vſum ſtudioſorum librum de vſu plantarum, quem quotannis in horto Regio tum, cum herbis indagandis vacarent, calamo excipi iubebat: eum vero cum ipſe ne cogitaſſet quidem prelo ſubiicere, tamen editum ſcimus. Inſertus enim eſt fere totus operi, quod inſcribitur: Dictionnaire raiſonné univerſel de matiere medicale Pariſiis 1773. octonis IV. voluminibus. Quotieſcunque ibi laudatur ſententia

*) v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 161.
**) v. ib. Vol. VII. p. 477.
***) ib. Vol. VIII. p. 547.

tentia BERNARDI noſtri de viribus medicaminum, compilator huius operis non neglexit hoc notare his verbis: *dit un célebre Profeſſeur.* Conferri hanc in rem poſſunt Articuli : Alexitéres Tom. I. p. 228. Cephaliques Tom. I. p. 698. Euacuantes Tom. II. p. 341. Febrifuges ibid. p. 349. etc. TVRNEFORTIVS ediderat hiſtoriam plantarum, quae naſcuntur in agro Pariſienſi, cum earum vſu in re medica (*Hiſtoire des plantes, qui naiſſent aux environs de Paris, avec leur vſage dans la medicine*) Pariſiis typis regiis 1698. duodenis: cuius libri editionem ſecundam, recognitam et auctam, curauit BERNARDVS DE IUSSIEU Pariſiis ſumtibus Ioannis Muſier 1725 II. voluminibus formae minimae. Haec editio in linguam Anglicam translata a I. MARTINO Sodali Societatis Regiae Londinenſis bis (A. 1732 et 1736) prodiit Londini octonis II. voluminibus. Praeterea, cum in Academicorum numero eſſet, A. MDCCXXXIX. dedit ſchediaſma, in quo deſcribit partes fructificationis plantae, quae nominatur pillularis, alterum de lemna, tertium denique anno MDCCXLI. in quo exponitur de ſpecie quadam plantaginis (*plantain*).

Propoſita quoque a Noſtro eſt quaeſtio medica: an minor in fetu, quam adulto, partium ſolidarum abraſio? cuius ſummam quoque indicavimus *).

Cum autem ſemper valetudine optima vſus eſſet, apoplexia correptus eſt a. d. XX. Septembris A. MDCCLXXVII. Auxilium quidem mox allatum eum in vitam reuocauit, vt recuperaret omnem vim cogitandi et memoriam. Sed vires paullatim ita imminutae ſunt, vt a. d. VI Novembris eiuſdem anni moreretur, cum vixiſſet ſupra annum octavum atque ſeptuageſimum menſes duo et dies viginti **).

Mores

*) vid. comm. noſtr. Vol. I. p. 515.

**) v. ſupra p. 562.

Mores celeberrimi huius ſcrutatoris naturae erant ſancti et ſeueri, neque facile ferebat, ſi quid ab honeſtate eſſet remotum. Frater eius natu maior ANTONIVS ab initio iamiam nominatus, qui medicinam diu fecerat et non minoris ab omnibus aeſtimatus quam medici Pariſienſes laborioſiſſimi, magnas ſibi opes parauerat, BERNARDVM haeredem ex aſſe ſcripſit. Hic vero eas integras reliquit nepoti ſibi adoptato, qui iam non ſolum locum obtinet in Collegio Medicorum Pariſienſi et Academia Scientiarum, ſed etiam Demonſtratoris Botanices in horto regio munere fungitur.

XXIV.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1772 prodierunt.

Swar på kongl. Vetenſk. Academiens Fråga huru all ſlags Friſel cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XVII. p.* 151.)

Mediciniſche Unterrichtungen erſtes Stück, Deſſau 8.

Aduerſaria medico-practica Vol. III. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 674.)

Aſſemblée publique de la Societé Royale des ſciences à Montpellier, 4.

A treatiſe on the diſeaſes of infants and childbed. Lond. 12.

Avis aux grands & aux riches ſur la maniere dont ils ſe doivent conduire dans leurs maladies. Par M. . . à Paris.

Anweiſung zur lehrenden und ausübenden Wundarzneykunſt nach dem Lehrgebäude der Neuern zum Nutzen angehender Wundärzte, beſonders derer auf dem Lande verfaßt. Riga und Leipzig. 8.

Bericht vom Bergbau (v. comm. noſtr. Dec. III. Suppl. I. p. 154.)

Forſt-

Forſtkalender oder Verzeichniß der Verrichtungen, die einen Forſtmann in einem jeden Monate des Jahres vorzüglich obliegen. Leipzig, 8.

Hiſtoire & mémoire de la Societé formée à Amſterdam en faveur des noyés. IV. Partie, à Amſterdam 8.

Anzeige von der Leipziger ökonomiſchen Societät in der Michaelismeſſe 1772, *nebſt Auszügen aus den eingelaufenen halbjährigen Nachrichten, Dreſsden* 8.

Diſſertazioni ſopra la gramigna che nella Lombardia infeſta la ſegale. Meiland 4. c. figg.

GVID. FELIX ALLAN diſſ. de methodo quadam partus praeternaturalis ſpeciem in naturalem conuertendi. Reſp. *Io. Baptiſta Du Four*, Pariſ. 4.

D'AUBENTON planches d' hiſtoire naturelle (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 11.)

A. BALTHASAR pathologia chirurgicalis of heelkondige ziektkunde geſchikt na de pathologia medicinalis van GAVBIVS. Leiden, 8.

IO. FRID. BAVDER *Nachricht von den ſeit einigen Jahren von ihm entdeckten verſteinerten Körpern. Jéna,* 8.

IO. BECKMANN *phyſikaliſch-ökonomiſche Bibliothek,* 3*ter Band. Göttingen.* 8.

I. F. BEHR diſſ. inaug. ſiſtens animaduerſiones quasdam ad illuſtrandam phrenitidis cauſam. Hal. 4.

FLOR. CAR. BELLOT diſſ. Ergo capite fetus incurvato, vectis forcipibus anteponendus. Reſp. *Claud. Andr. Goubelly.* Pariſ. 4.

Diſcorſo apologetico delle febre bilioſe nell' a. 1772 del Dr. G. A. BENELLI. Bologna, 8.

FRANC. BERNARD diſſ. Ergo magis amoena, quam ſalubris in montium cliuis habitatio. Reſp. *Thom. le Tenneur.* Paris. 4.

ROB. BERTRAND diſſ. de partu viribus maternis abſoluto. Reſp. *Franc. Lud. Ioſ. Solayer de Renhac.* ib. 4.

PET. BIERCHEN inträdes Tal om kräftskadors ſcrophuloſe och veneriſke Sars. (*v. comm. noſtr. Vol. XIX. p.* 513.)

PHIL. ADOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. de inflammatione doloris experte. Reſp. *Gottlieb Theodor Clemens.* Hal. 4.

Beſchreibung der Geſundbrunnen und Bäder bey Hofgeiſsmar in zwo Preisſchriften, auf gnädigſten Befehl herausgegeben von D. CHPH. HEINRICH BOETTGER. *Caſſel.* 8.

K. BONNETS *Betrachtung über die Natur, mit den Zuſätzen des Abts* SPALLANZANI, *und einigen Anmerkungen von Herrn* I. D. TITIVS, *Leipzig,* 8.

Recherches ſur les pouls par rapport aux criſes. Par THEOPH. BORDEU, à Paris 12.

GEORG. FLOR. HENR. BRVNING conſtitutio epidemica Eſſendienſis ann. 1769 – 1770 ſiſtens hiſtoriam febris ſcarlatino miliaris anginoſae. Accedit obſeruationum medicarum huc pertinentium decas. Veſalii 8.

BVCHAN'S domeſtic medecine (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 580.)

FRANC. CHOPART diſſ. de vteri prolapſu. Reſp. *Iac. Andr. Mallet,* Pariſ. 4.

COLLIN obſeruationes circa morbos acutos. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 137.)

Real improvements in agriculture on the principes of A. YOUNG. By T. COMBER, Lond. 8.

Oſſervazioni meteorologiche e botanico mediche del ABB. BONAVENTVRA CORTI. Modena, 8.

An eſſay towards a ſyſtem of mineralogy. By AXEL FREDERIC CRONSTEDT. Tranſlated from the original Swediſh with notes. By GVSTAV VON ENGESTROEM to which is added a treatiſe on the pocket-laboratory containing an eaſy method, uſed by the Author for trying mineral bodies,

dies, written by the translator. The whole reviſed and corrected with ſom additional notes, by EMANVEL MENDES DA COSTA. The ſecond edition with an appendix containing additions and notes. By Prof. M. TH. BRVNNICH, Lond. printed for Edwards and Charles Dilly in the poultry. c. f. pagg. 329. Librum hunc ipſum iam alibi *v. comm. noſtr. Vol. X. p.* 345. indicauimus. Quod autem hanc verſionem attinet, notamus eam a Perill. ENGESTROEM factam eſſe ad autographum Suecicum CRONSTEDTII, ideoque eandem multo eſſe correctiorem, minusque vitioſam, Germanica, quae bis edita eſt. In annotationibus multa ſcitu digna continentur. Cl. DA COSTA augmenta BRÜNNICHII, etiam eiusdem errores in appendice ſubiunxit. Alia appendix continet deſcriptionem apparatus inſtrumentorum, quae ad diſquirenda foſſilia adhibenda ſunt; cuius quidem iam verſio facta eſt Germanica a Cl. WEIGEL. Licet hac occaſione ſimul indicare, proxime nouam Germanicam verſionem ſyſtematis Cronſtedtiani, denuo ad Suecicum autographum factam, et ad Saxoniae foſſilia applicatam editum iri.

Traitement de la petite verole des enfans à l'uſage des habitans de la campagne & du peuple dans les provinces meridional. Par Mr. HENRY FOUQUET, à Montpellier, 12.

IO. DE FRITSCH diſſ. de dentibus. Vienn. 8.

IO. GABLA diſſ. de tuſſi conuulſiua infantum. ib. 8.

PETR. ADR. GADD om ſnidfrukts wäxter och legumes. Reſp. ** *Gies.* Abo, 4.

EIVSD. Abhandling om ſolidago Canadenſis och deſſans och nytta. Reſp. *Gabr. Avellan,* ib. 4.

EIVSD. Oeconomiſk underrättelſe - at på hardwalls aengar i genom lämpelige wäxter befrämjadem

jadem mäſta och bäſta höwäxt. Reſp. *Iac. Ioh. Vrſinus*, Abo. 4.

PETR. ADR. GADD. Om uplänningars beſkaffenhet i Finland. Reſp. *Widenius*, ib. 4.

EIVSD. Om beſkaffenheten af Finlands fiäll och kiäll watn. Reſp. *Winquiſt*, ib. 4.

Bemerkungen und Verſuche über einige Urſachen des unter dem Hornvieh vorkommenden Viehſterben, von IOH. GOTTFR. GALLESKY, *Königsberg*, 8.

Neue Betrachtungen über das Verfahren bey der Inoculation der Blattern. Aus dem Franzöſiſchen des Herrn GATTI. *Mit einer Vorrede und einigen Beobachtungen herausgegeben von D.* E. G. WAGLER, *Hamburg*, 8.

CLAVD. ANDR. GAVBELII diſſ. Ergo in viuis animalibus ventriculorum cordis eadem capacitas. Reſp. *Anton. Chaun Sabbatier*, Pariſ. 4.

GOVLARDS *chirurgiſche Werke, zwote und vermehrte Auflage.* (v. comm. noſtr. Suppl. 1 mae decad. p. 113.)

Lecture on the elutier and qualifications of a Phyſician. By JOHN GREGORY. A new edition enlarged. Lond. 8.

ALB. DE HALLER Principum medicorum Vol. VIII et IX. cum indice locuplete D. VICAT. Lauſann. 8.

Recueil d'obſervations de médécin des hoſpitaux. Par Mr. RICH. DE HAUTESIERCK. (*v. comm. noſtr. Vol. XIX. p.* 292.)

SEB. HEYMEYER *kurze auf Erfahrung gegründete Beſchreibung der epidemiſchen faulen Fieber, nebſt einigen unfehlbaren Verwahrungsmitteln wider dieſelbe. Augsburg*, 8.

Caſes in ſurgery. By JAM. HILL (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 685.)

HENKELS *neue mediciniſche Anmerkungen.* (v. comm. noſtr. decad. IIdae Suppl. p. 729.)

Reflexi-

Reflexions ſur le triſte ſort des perſonnes, qui ſous une apparence de mort ont été enterrées vivantes, & un mémoire ſur les cauſes de la mort ſubite & violente dans le quel on prouve que ceux qui en ſont les victimes peuvent être rappellés à la vie. Par JEAN JAMIN, à Paris, 8.

Sendſchreiben an Herrn FRANZ LORENZ MARSCHALL, *betreffend einen von* IOHANN ARNOLD ISENGARTH *verbeſſerten Tourniquet. Straſsb.* 8.

PETR. KALM diſſ. de incrementis frigoris in terris borealibus annis proxime praeterlapſis obſeruatis. Reſp. * * *Nordhind*, Abo. 8.

EIVSD. Diſſ. ſiſtens genera plantarum Finnicarum. Reſp. *Io. Hellenio*, ib. 8.

Practical obſervations on the childbed fevers cet. By J. LEAKE. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 79.)

The naturaliſt's and travellers companion. By J. C. LETTSON. Lond. 8.

EIVSD. reflections on the general treatement and cure of fevers. ib. 8.

CHRIST. EVERH. DE LILLE phyſiologicarum animaduerſionum ſecundum ordinem Elem. phyſ. HALLERI Lib. I. Franeq. 4.

CAR. A LINNE' Diſſ. ſiſtens reſpirationem diaeteticam. Reſp. *Ion. Welholm.* Vpſal. 4.

CAR. HENR. MACQVART diſſ. ergo inter oſſa capitis varii niſus abſumuntur communicatione, vibratione, oppoſitione. Reſp. *Fel. Vicq d'Azyr*, Pariſ. 4.

Experiments upon the human bile cet. By J. MACLVRY. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 42.)

Phyſikaliſche Abhandlung von den Eigenſchaften des Donners und den Mitteln wider das Einſchlagen, verfaſſet von PAVL MALO *und von* IOS. VON RETZER *ins Deutſche überſetzt. Wien*, 4.

Plantarum Romuleae et Laturniae in agro Romano

 exiſten-

exiſtentium ſpecificas notas deſcribit inuentor D. IOH. FRANCISCVS MARATTI. Rom. 12.

PETR. DE MARCHETTIS obſeruationes et tractatus medico chirurgici, Neapol. 8.

MARX obſeruata medica (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 622.*)

I. C. A. MEYER Diſſ. ſiſtens examen quarundam optimarum cataractam extrahendi methodorum inprimis Wentzelianae. Reſp. * * *Roſenthal.* Gryphisw. 4.

FLAMINICO MIGLIORI radicoſani trattato delle febre maligne e delle perniciose, della pleuritide ed altre inflammazioni del vajuolo, ſopra il dolore nephritico. Perugia, 8.

Opuſcules de chirurgie. Par Mr. MORAND, Tom. II. à Paris 4.

WENZEL IO. NEPOM. KIRCHNER A NEVKIRCHEN diſſ. diſquirens: cur Bohemi prae ceteris magis calculis cyſtidis felleae obnoxii ſint. Vienn. 8.

A conciſe hiſtory of anatomy from the earleſt ages by W. NORTHCOTE. Lond. 8.

CAROL. LVDOV. PARMIES diſſ. ergo plumbea lamella ſub cutem noua arte inſinuata rectius certiusque, quam alio quouis artificio, continentur in ſede partes, quae prolapſu ſuo hernias facere ſolent. Reſp. *Ant. Petit*, Pariſ. 4.

CARL WILHELM POERNERS *Verſuche zum Nutzen der Färbekunſt.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 401.)

Maniére d' impregner l'eau de l'air fixe & de lui communiquer les proprietés de l' eau de Pirmont. Par Mr. IOS. PRIESTLEY traduit de l'Anglois. à Paris, 12. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 124.)

RET-

RETZIVS inledning til diur riket cet. (*v. ib. p.* 203.)

Hus och reſe apothek på hennes K. Maj. befalning upſatt af NILS ROSEN VON ROSENSTEIN, Stockholm, 8.

ROTTBOEL deſcriptiones plantarum cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 228.)

Traité complet d'anatomie ou deſcription de toutes les parties du corps humain. Par Mr. SABATIER, à Paris, 8. Voll. 2.

CHRIST. FRID. SCHRADER index plantarum horti botanici regii Glauchenſis. Hal. 12.

IO. CHRIST. DANIEL SCHREBERS *Beſchreibung der Quecke, nebſt ihrer Abbildung nach der Natur. Leipz.* 4. *m. K.* (Egregius liber oeconomis vehementer commendandus.)

C. SEPP Beſchouwing der Wonderen Gods in de minſtgeachte Schepzelen of Neederlandſche Inſecten cet. (*v. comm. noſtr. decad. III. Suppl. I. p.* 88.)

ION. SIDREN diſſ. de ſtramonii vſu in malis convulſiuis. Reſp. *A. F. Wedenberg*, Vpſal. 4.

DIETER. DE SMIDT diſſ. de aëre fixo. Vltrai. 4.

I. F. TOLLE Obſeruationum medico-chirurgicarum biga. Gotting. 4.

FRANC. XAV. CASPAR. TREBISKY diſſ. de irritabilitate et ſenſibilitate partium corporis animalis. Prag. 8.

C. B. TROZELIVS diſp. om rätta del nings grunden wid ſtråſkifte. Lund. Reſp. *Carl Nyrmann.* Lund. 4.

Förſlaf til nya brygg och drickes Åmnen. af TROZELIVS. Reſp. *Petr. Thom. Lindſtröm.* ib. 4.

Noticias Americanas ſobre la America Meridional y la Septentrional Oriental. Comparacion de los territorios, climas y produciones vegetales, animales, minerales, petrificationes de cuorpos ma-

M 4 rinos,

rinos, de las antiquedades, la lingua cet. Auct. ANT. DE ULLOA. Madrit. 4.

Recherches critiques ſur la chirurgie, médécine etc. Par Mr. VALENTIN, à Paris 12.

WALLERII ſyſtema mineralogicum (*v. comm. noſtr. Vol. XIX. p.* 437.)

Obſeruationes botanicae, Auctore CHRIST. EHRENFR. WEIGEL. Gryphisw. 4.

IAC. IOS. WINTERL ſyſtematis artis pharmaceuticae in nouo Tyrnauienſi laboratorio quotannis experimentis demonſtrandi, Pars I et II. Reſp. *M. Fabry.* Tyrnav. 4.

PETRON. IGNAT. ZECCHINI de Gorteriana corporum vitalitate praelectiones anatomicae. Bologn. 8.

XXV.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1773 prodierunt.

Nova acta phyſico medica Academiae Caeſareae Leopoldinae Carolinae. Annus Vtus. Norimb. 4. c. fig.

Der Königlich Churfürſtlich Landwirthsſchafft-Geſellſchafft Nachrichten 3ten Bandes 1 *Samml. Zelle* 8.

Anzeige von der Leipziger ökonomiſchen Societät in der Oſter und Michael Meſſe 1773 *Friedrichsſtadt bey Dreßden.* 8.

Mélanges de philoſophie et de mathematique de la Societe Royale de Turin. Tom. IV. pour les années 1766 -- 1769. à Turin 4. c. fig.

Giornale d' Italia ſpettante alla ſcienza naturale, alla agricultura, alli arti et il commercio. Tom. IX. Venezia.

La caſa ruſtica o ſia integro corſo d'agricultura ed economia rurale della nazione Italiana principalemente degli agricultori dello ſtato della republica di Venezia Tom. I. ib.

Dizio-

Dizionario uniuerſale economico ruſtico Vol. I. et II. Mayland. 8.

The practice of the British and French Hoſpitals. By the Author of the practice of the London Hoſpitals. London. 12. (*Continet hic liber formulas medicamentorum, quae in noſocomiis Anglorum et Gallorum publicis adhibentur cum* BOERHAAVII *materia medica*).

Medical and philoſophical commentaries by a Society at Edinburgh. Vol. I. Edinb. 8.

Abbildung des wahren Arztes nebſt der vertheidigten Religion des Arztes von D. A. *Schafhauſen.* 8.

HENR. FRID. ABT diſſ. de febre epidemica catarrhali maligna. Argent. 4.

Diſcours prononcé aux écoles de Médécine pour l'ouverture ſolennelle des écoles de Chirurgie le 12 Nov. 1772. par CHARL. LOUIS FRANC. ANDRY. à Paris. 8.

GER. ARNOLD TAETS AB AMERONGEN de elementis. Traj. ad Rhen. 4.

D' AUBENTON planches d' hiſtoire naturelle (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 11.)

ERNEST. GODOFR. BALDINGER progr. de iis, quae inuenta ſunt hoc ſeculo in arte medica. Götting. 4.

De' bagni freddi trattato del D. FILIPPO BALDINI Neapol. 8.

FRIDR. LVDOV. BANG diſp. de vſu medico acidi vitriolici. Praeſ. *Chr. Fr. Rottböl* Hafniae. 8.

PAUL. IOSEPH BARTHES orat. de principio vitali hominis Monſpel. 8.

I. W. BAUER *zwo chirurgiſche Wahrnehmungen bey einer Kopfwunde und einen wahren Krebsgeſchwüre. Hersfeld.* 8.

The effects of iniection into the urethra and the uſe and abuſe of theſe remedies in the cure and prevention of the virulent gonorrhoea briefley conſider'd. By THOM. BAYFORD. Lond. 8.

IO. CASPAR. BECHSTETTS *vollſtändiges Niederſächſiſches Land und Gartenbuch. 3ter Theil Flensburg.* 8.

TORBERN BERGMANN diſſer. de ſtibio tartariſato Reſp. ** *Level.* Upſal. 4.

EIVSD. diſſ. de fonte acidulari Daunemorenſi. Reſp. ** *Wertmüller* ib. 4.

I. F. DE BERKHEY natuurlyke hiſtorie van Holland derde deels 2 u. 3. Stuk. Amſterdam. 8.

FRANC. BERNARD diſſ. Ergo venaeſectio minus timide, purgatio magis caute, quam vulgo fit, adhibenda, Reſp. *Thom. le Tenneur* Pariſ. 4.

Herbarii Blackwelliani auctuarium: collectio ſtirpium, quae ad medicum vſum aſſeruantur, vna cum deſcriptione et virium explicatione. Centuria VI. cum praefatione Dr. CHRIST. GOTTL. LUDWIG, Norimb. fol. cum fig.

H. BLVHMII diſſ. de morborum curationibus per frigus. Götting. 4.

I. H. BLVMENTHAL diſſ. de iſchuria hyſterocyſtica L. B. 4.

Herrn BONNAUD *Abhandlung von den ſchädlichen Würkungen der Schnürbrüſte ſowohl bey Kindern als Erwachſenen, inſonderheit beym weiblichen Geſchlechte. Aus den Franzöſiſchen. Leipzig.* 8.

PHIL. IAC. BAYEKERT diſſ. de hernia ſcrotali, Argentor. 4.

IO. ALEXANDR. BRAMBILLA *chirurgiſch praktiſche Abhandlung von der Phlegmone und ihren Ausgängen I. Theil. Wien.* 8.

Entwurf eines Landwirthſchaffts Calenders über die in jeden Monath vorfallenden vornehmſten Haushaltungs Verrichtungen von MICH. GOTTL. BUCHER. *Leipzig.* 8.

Introduction à l' étude des corps naturels tirés du regne végétable. Par Mr. BUCQUET à Paris 12. Voll. 2.

Kurze

Kurze Anweiſung, wie ein Lehrling in der Wundarzney ſich in der Anatomie und Chirurgie die vornehmſten Anfangsgründe bekannt machen kann, durch F. A. BVTEFISCH. *Braunſchweig.* 8.

BUTTER's treatiſe on the kinkcough. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 649. et animaduerſiones ad hunc librum v. ib. p. 657*).

ADAMI O BYRNE diſſ. de podagra. Prag. 8.

Obſeruations on the diſeaſes in long voyages to hot countries and particularly in thoſe, which prevail in the Eaſt Indies. By IOH. CLARK Lond. 8.

Directions for the management of children from the time of their Birth to the age of ſeven years. By M. A. CLARKE ib. 8.

Oſſervazioni meteorologiche e botanico mediche del S. Abb. BONAVENTVRA CORTI Modena. 8.

Conſiderations on the uſe of injections in the gonorrhoea. By W. CRIBB Lond. 8.

Lectures on the materia medica. By CVLLEN. 2. edit. ib. 4.

Deſcription méthodique d'une collection de mineraux du Cabinet de M. D. R. D. L. Par M. DE ROMÉ DE LISLE à Paris 8.

HENR. FRIDR. DELIVS diſſ. de paralyſi vtriuſque brachii ex febre ſcarlatina orta, Reſp. *Car. Chr. Eckner.* Erlang. 4.

EIVSD. diſſ. de aethiope vegetabili cum analectis nonnullis de ſalibus. Reſp. *Io. Ludov. Meier.* ib. 4.

HEINR. FRANZ LE DRAN *chirurgiſche Gutachten. Aus den Franzöſiſchen. Leipzig.* 8.

A particular account of the rickets in childern and on its analogy with the kingsevil. By W. FARRER. Lond. 8.

I. P. FERRAND diſſ. de variis lithotomiae methodis. Reſp. *P. Dubut.* Pariſ. 4.

Mémoire pour preſerver les bêtes à corne de la

maladie

maladie epizootique, qui regne dans la generalité de Soiſſons Par M. DU TOT. Soiſſons. 8.

Mémoires pour l'hiſtoire des inſectes. Par M. DE GEER (*v. comm. noſtr. dec. III ſuppl.* I. *p.* 92).

I. A. P. GESNERS *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit und Naturkunde, 4ter Band. Nördlingen.* 8.

GMELIN ſtirpes Tubingenſes (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 209).

CHRIST. GODOFR. GRVNER diſſ. ſiſtens variolarum antiquitates ab Arabibus repetendas. Ien. 4.

HENKELS *chirurgiſche Operationen* (v. comm. noſtr. decad. ſecund. ſuppl. p. 728. ſeqq.

ABONDIVS HOSANG diſſ. de vegetatione Argentor. 4

Flores Auſtriaci ſeu plantarum ſelectarum in Auſtria Archiducali creſcentium icones deſcriptionibus et ſynonymis illuſtratae Cent. I. Opera NIC. IOSEPH. IACQVIN. Vienn. fol. (*Similis ſplendore iconum et deſcriptionum perfectione Horto Vienenſi, quem idem edidit Cl. Auctor*).

IAC. IOHNSTONS diſſ. de angina maligna. Edinb. 8.

IAC. FRID. ISENFLAMM de difficili in obſeruationes anatomicas epicriſi commentatio IV. Reſp. *Car. Ludov. Neuhof.* Erlang. 4.

IO. CAR. IASFELD diſſ. de luſibus naturae L. B. 4.

Kurze Abhandlung derjenigen inländiſchen Pflanzen, durch deren unvorſichtigen Gebrauch bei Menſchen und Vieh groſſer Schaden, ja der Tod ſelbſten verurſacht werden könne, von I. H. KOCH. *Bern.* 8.

ALEX. BERN. KOELPIN de cultura hiſtoriae naturalis Pomeraniae. Stettin. fol.

IO. GERH. KOENIG diſp. de indigenorum remediorum ad morbos cuiuis regioni endemios expugnandos efficacia. Praeſ. *Chr. Frid. Rottböl.* Hafniae. 8.

CHRIST. LVDOV. KRAVSENS *funfzigjährigen erfahrungs-*

fahrungsmäßiger Unterricht, von der Gärtnerey. Berlin. 8. (Bonas continet obſeruationes. Plantae tamen ſaepe alieno, et nonnullae iam cognitae nouo nomine indicantur).

CHRIST. GOTTL. KRATZENSTEIN diſſ. de vſu corticis Peruuiani medico, Reſp. *Nicol. Friberg.* Hafn. 8.

IO. GEORG KRÜNITZ *öconomiſche Encyclopädie. 2. Band. Berlin.* 8. (Libri huius vtiliſſimi, cuius iam XVI. volumina nunc prodierunt, rationem proxime indicabimus.

LANGE *von Waſſerfenchel.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 127).

* * LEGER diſſ. Ergo mutatis moribus Pariſinorum mutataque medicinae theoria rarior venaeſectio in malis acutis. Reſp. *Io. Matth. de Fraſne.* Pariſ. 4.

* * LVTHER diſſ. de venenis eorumque differentia et actione Reſp. *Io. Nicol. Nicolai.* Erford. 4.

Traité des couleurs et vernis de M. MAUCLERC. à Paris. 8.

CHPH. MAYR diſſ. obſeruationes medicas rariores continens. Vienn. 8.

Wohlgemeinte Warnungen eines Arztes an einen Landmann von D. MICHAELIS. *Wittenb.* 8.

IO. CHRIST. NIEMANN epiſt. ad BALDINGERVM de foeda vnguium mollitie puellae chloroticae martialium vſu feliciter curatae. Magdeburg. 4.

Obſervat eines durch 21 Iahre lang in der Harnröhre ertragenen und mit dem apparatu minori *ausgeſchnittenen Steins zu Nieswitz von* FR. THEOD. OEHME. *Warſchau.* 8. *m. K.*

Pharmacopoea Sardoa ex ſelectioribus codicibus et optimis ſcriptoribus collecta a IAC. IOSEPH. PALIETTI. Cagliari. 4.

Mémoire ſur cette queſtion, d'indiguer les végétaux, qui

qui pourroient ſuppléer en temps de diſette à ceux qu'on employe communement à la nourriture des hommes et quelle doit en être la preparation Par M. PARMENTIER à Paris. 12.

Genera of birds. By THOM. PENNANT Edinb. 8.

I. IOH. REUS muſta et vina Neccarum examine potiſſimum hydroſtatico explorata. Tubing. 4.

Hiſtoire de la maladie épidemique, qui regnoit en Eté 1772 a Grand Lemps bourg du Dauphine. Par M. RIVIERE D. M. à Grenoble. 8.

E. ROSEN diſſ. inaug. de laude haemorrhoidum reſtringenda. Reſp. *F. C. Palm.* Londin Gothor 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de ſale ſedatiuo HOMBERGII Reſp. *Caſpar Trendelenburg* ib. 4.

Abhandlung vom Auflaufen des Rindviehes, und den Heilungen dieſes Uebels von IO. ROTH. *Göttingen.* 8.

CHR. FR. ROTTBOEL vid. *Fr. Lud. Bang* et *Io. Gerh. Koenig.*

RAPH. BEN. SABATIER diſſ. de poplitis aneuryſmate Reſp. *Car. Fel. Caſon.* Paris. 4.

Chirurgiſche Geſchichte mit theoretiſchen Anmerkungen entworfen, von LEBER. EHRENFR. SCHNEIDER. *Chemnitz.* 8.

CARL CHRPH. OEHLHAFENS VON SCHÖLLENBACH *Abbildungen der wilden Bäume* cet. (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 183.

SCHREBER de plantis verticillatis unilabiatis (v. ib. Vol. XX. p. 615.

De' fenomeni della circolazione oſſervata nal giro univerſale de' vaſi, de' fenomeni della circolazione languente, de' moti del ſangue independenti dall' azione, del cuor e del pulſar delle arterie. Diſſertazione quattro dell' Abb. SPALLANZANI. Modena. 8.

M. C. STAHLMANN diſſ. ſiſtens examen remediorum in febribus putridis adhiberi ſolitorum. Götting. 4.

PETR.

PETR. SVE iun. diſſ. de panaritio. Reſp. *Lacathon de la Forep.* Paris. 4.

PETR. VAN SWIETEN diſſ. ſiſtens muſicae in medicinam influxum atque vtilitatem. L. B. 4.

I. L. TARGIONI raccolta di opuſculi medico pratici Vol. I. In Florenzia. 8.

Traité des leſions de la tête par contre coup avec des experiences propres à en eclaircir la doctrine. Par Mr. MEHEE' DE LA TOUCHE à Meaux. 8.

I. TARGIONI TOZZETTI raccolta di teorie, oſſervazioni e regole per lun diſtinguere e promptemente diſſipare le asfiſſie o morte apparenti. Florenzia. 8.

I. A. UNZERS *phyſiologiſche Unterſuchungen auf Veranlaſſung der Göttingiſchen, Frankfurter, Leipziger und Hälliſchen Recenſionen ſeiner Phyſiologie. Leipzig.* 8.

Nuova raccolta d' opuſcoli ſcientifici et filologici del D. VANDELLI in Venezia Vol. XXV.

Saggio dell' iſtoria erbaria delle alpi di Piſtoia, Modena e Lucca con nuove oſſervazioni botaniche e mediche del FVLGENT VITMANN. Bologna 8.

CHRIST. EHRENFR. WEIGEL *von Nutzen der Botanik. Nebſt einer Anzeige ſeiner Winter-Vorleſungen. Greifswald.* 4.

FRID. AVG. WEIZ, *vollſtändige Auszüge aus den beſten chirurgiſchen Dispüten aller Academien nebſt Anzeigen der neueſten chirurgiſchen Bücher. Fünfter Band. Leipzig und Budiſſin.* 8.

A treatiſe on the menagement of pregnant etc. By WHITE (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 90).

Treatiſe on the medicinal virtues of the mineral waters of the Germans Spa. By WILLIAMS. Lond. 8.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Novi commentarii Petropolitani Tom. XX p. 3
II. BLVMENBACHIVS de generis humani varietate natiua 14
III. FABRICII genera inſectorum cet. 19
IV. *Syſtematiſches Verzeichnis der Schmetterlinge der Wiener Gegend* 22
V. BRÜCKMANNS *Abhandlung von dem Weltauge oder* lapide mutabili 34
VI. Eſſai d'une lithographie de Mloçin 35
VII. DE GROSSER phosphoreſcentia adamantum 39
VIII. TERECHOWSKY diſſ. de chao infuſorio LINNAEI 42
IX. *Der Naturforſcher IV — VI Stück* 45
X. Chimie experimentale et raiſonnée par Mr. BAUME' Tom. I. 54
XI. WENTZEL *Lehre von der Verwandſchaft der Körper* 91
XII. MECKEL diſſ. de labyrinthi auris contentis 99
XIII. MURRAY diſſ. de faſcia lata 101
XIV. STÖLLERS *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äuſsern Heilkunſt etc.* 103
XV. Societatis medicae Havnienſis collectanea Vol. II. 108
XVI. MARCARDS *mediciniſche Verſuche* I *u.* 2*ter Theil* 123
XVII. ISENFLAMM *Verſuch einiger practiſchen Anmerkungen über die Muskeln* 133
XVIII. HEMMAN *mediciniſch chirurgiſche Auffätze, hiſtoriſch practiſchen Inhalts* 139
XIX. MOISJEENKOW *mineralogiſche Abhandlung von dem Zinnſteine* 146
XX. WÜNSCH initia nouae doctrinae de natura ſoni 150
XXI. Mémoire ſur les methodes rafraichiſſante et échauffante. Par Mr. de BOISSIEU 156
XXII. PLINII hiſtoria naturalis Tom. I. II.
XXIII. Noua phyſico medica. 169
XXIV. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1772. prodierunt 176
XXV. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1773. prodierunt. 184

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly. Edinburgi Io. Balfour. Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann. Pariſiis Barroi ſenior. Venetiis Io. Bapt. Paſquali. Milano Ioſ. Galeazzi. Auguſtae Taurinor. Laurent. Giraud. Holmiae Magnus Sweterus.

I.

Iournal de médecine, chirurgie, pharmacie cet. Par. Mr ROUX, Tom. XLIII. à Paris 1775. 12. pag. 576. Tom. XLIV. ib. eod. pagg. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinens, Auctore ROUX, Tom. XLIII. et XLIV.

More conſueto per ſingulos indicabimus menſes ſequentia. Igitur:

Menſis Ianuarius: p. 3.

1) Cl. BERNH. PEYRILHE diſſertatio academica, *de cancro*, quam alibi *) recenſuimus. p. 7.

2) DUPLAN obſeruationes de *duabus pleuritidis ſpeciebus*, quarum altera in iuuene viginti quinque annorum repetitis venaeſectionibus in pede, altera vero in femina triginta trium annorum, cum diarrhoea, ventris duritie, borborygmis et torminibus vehementibus coniuncta, per venaeſectionem in brachio dextro, ptiſanam et cantharides in ſuris applicatas, ſublata eſt. p. 19.

3) POMMEL obſeruatio de *variolis confluentibus*, quas leniora ſequebantur ſymptomata, cuius rei cauſam fuiſſe hanc cenſet Cl. Auctor, quod puer ante aliquot dies ferro candente alterum laeſerat crus, quo facto vehemens inflamma- p. 28.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 689.

tio ſuppuratioque accedens materiam varioloſam ipſi ſubtraxerat morbo.

p. 30. 4) Epiſtola Cl. MAVDVYTI DE LA VARENNE, *de quadam peculiari variolas tranſplantandi ratione.* Concernit illa potiſſimum morem inter Chinenſes receptum, quo cruſtas varioloſas ſiccatas et in pulverem redactas ope goſſypii indunt naribus, atque contagium varioloſum ſic producunt. Obſeruationes variae illuſtrandae rei propoſitae inſeruiunt.

p. 37. 5) Relatio de *quatuor hominibus ſuffocatis* in gypſi fodina, Auctore Cl. ROCHARD; purificandi quippe aëris cauſa ſuffumigia cum ligno iuniperi quod comburebatur facta erant, quae tamen aëris raritatem efficiendo, exhalationibus noxiis, maiorem conciliarunt noxam.

p. 48. 6) Cl. BANAV obſeruatio *de ſuffocatione a vaporibus carbonum.* Cl. BANAV cuidam abbati ſuffocato auxilio fuit, veſtimenta ei exuendo, aëri liberiori illum exponendo, ac humectando corpus aqua frigida. Abbas in vitam reuocatus ſtatim auidiſſime oxycratum potauit, ac vires aceti vinoſi in ipſo paroxyſmo naribus frequenter admoti, quibus ſe quam maxime ſenſit leuatum, refocillatumque, admodum laudauit.

p. 51. 7) Epiſtola ad Auctorem huius diarii a GAUTHIER de methodo *hernias cauteriis curandi*; duobus enim exemplis egregium huius remedii vſum declarare confirmareque ſtudet.

p. 64. 8) Obſeruationes Cl. BOURIENNE de *abſceſſibus in muſculorum abdominis interſtitiis.* Tria exempla hic commemorantur, quae ab externa quum erant cauſa, felicem habuere euentum. Verum eiuſmodi abſceſſus, ſi iuſto ſerius deprehenduntur funeſtum augurari ſinunt exitum, quia pus vel per peritonaeum tranſire, vel ſeſe in contextu celluloſo diffundere ſolet.

9. Epi-

9) Epiſtola Cl. BECHEREL *de gutta ſerena feliciter ſublata*, a ſubitanea menſium obſtructione hoc malum ortum erat, eique ſaepius repetitis venaeſectionibus medebatur. Simile exemplum legitur apud SCHARSCHMIDIVM *). p. 80.

Menſis Februarius:

1) Cl. PLANCHONI obſeruatio *de fluxione catharrhali veſicae*. Praemiſſa huius morbi deſcriptione omnia illuſtrantur, declaraturque decoctum vuae vrſi cum nitro et glycyrrhiza quam maxime conveniſſe aegro, vt ſanitatem recuperaret. p. 118.

2) DESGERAUD obſeruatio *de aſcitide*. Oleo oliuarum cum ſpiritu ſalis ammoniaci volatili invncto abdomini aegrum ſanatum aſſeritur. p. 128.

3) LAPEYRE obſeruatio de operatione *empyematis* in infante poſt pleureſin pure in pectore collecto. Omnis cura pectoris inciſione et puris emiſſione potiſſimum abſoluta eſt. p. 130.

4) Cl. OTERRAS obſeruatio *de particulae oſſis fracti ſeparatione*. Laeſum erat os ob caſum, quem perpeſſus erat aegrotus. p. 136.

5) Cl. CARLIER obſeruatio *de fractura oſſis femoris in inferiori parte per tormenta bellica*. Amputatio hoc in caſu non adhibita eſt, ſed ſeparatio particularum oſſis, ſuppuratioque copioſa totam curationem perfecit. p. 151.

6) Cl. BYIOL relatio *de naturali quadam amputatione oſſis fibulae*. In aegro videlicet, febre maligna vexato, ſeparatio oſſis fibulae facta erat, exfoliatione autem non rite procedente, caſu reſtituebatur is fortuito. Suppuratio enim aegro in genua prolapſo ſuperuenit, quae articulationis ligamentis conſumtis, plenam effecit oſſis ſeparationem et aegro p. 160.

 pri-

*) Vid. Relationes medico chirurgic. ann. III. p. 172.

priſtinam valetudinem reſtituit. Varii caſus amputationem concernentes adiecti ſunt huic tractationi.

p. 172. 7) Cl. JUVILLE epiſtola *de bracheriis elaſticis in herniis inguinalibus.* Accurata harum deſcriptione et recta applicatione praemiſſa, de eorum egregio vſu diſſeritur.

p. 181. 8) Cl. VILLAINE obſeruatio *de febre putrida verminoſa feminae*, quam aqua vino permixta feliciter propulſauit Noſter.

Menſis Martius.

p. 215. 1) Cl. POMA libellus de *ſynocho putrida*, quae per euacuationem criticam ſanguinis nigricantis ex ano factam, quae libras duas et dimidiam ſanguinis eiecit, penitus ſublata eſt.

p. 217. 2) Cl. CAPMAS obſeruatio *de hemiplegia per apoplexiam ſeroſam orta.* Iamdudum medici hac ratione hemiplegiam oriri poſſe docuerunt, et venaeſectionem et veſicatoriorum applicationem cum fructu adhibuerunt, Noſter veſicatoriis eam ſanauit.

p. 222. 3) Cl. THOMASSIN *de rachitide.* Quamquam BOERHAAVIUS aliique aſſerunt, rachitidem morbum eſſe infantilem, nihilo tamen ſecius hanc in iuuene ſeptemdecim annorum obſeruauit Noſter, atque huius mali cauſam in manuſtupratione poſitam coniicit, aegro tamen negante, nihil certi decernit. Fato vero exſtinctus eſt iuuenis, quum imperiti medici male hanc tractauerant rachitidem.

p. 271. 4) Epiſtola Cl. DU CHANOY *de ruptura tendinis Achillis*, qua continetur hiſtoria viri quadraginta annorum, cui tendo hic ruptus abſque ſutura, per approximationem ruptarum partium et ligationem pedis per vincturam in integrum eſt reſtitutus.

p. 278. 5) Epiſtola Cl. PIETSCH ad Cl. MARTIN de *trepanationis* in cranio laeſo inutilitate, eo videlicet

in

in caſu, ſi noua integumenta per naturam producta vulnus obducant cicatrice.

Menſis Aprilis.

1) Cl. MONTFILS *de virtute extractorum borraginis et bugloſſi in gonorrhoea venerea.* Illa extracta in fontana aqua ſumi iubet, atque affirmat in vniuerſum aegros ita ſanari poſſe; addi quidem poſſunt extractum altheae et graminis, ſed Noſter obſeruauit haec additamenta nihil conferre, ideoque conuenienter abeſſe poſſe; quae omnia variis exemplis vberius illuſtrantur atque firmantur. p. 314.

2) Cl. BOURLEYRE commentatio *de auxilio naturae in exfoliatione oſſis cranii* non nimium contuſi. Noſter exfoliationem interdum eſſe exſpectandam arbitratur, quum natura ipſa ad hanc operationem ſuſtentandam optima remedia ſoleat adhibere, experientiaque edoctus multa exempla lectu digna addidit. p. 322.

3) Cl. IALOUSET *de operatione chirurgica in orificio et collo vteri*, quae in femina triginta quinque annorum ab anno aetatis decimo quinto vteri prolapſu cum totius vaginae detorſione laborante, a Cl. Auctore inſtituta eſt, et qua effecit repoſitionem vteri. Verum inter ipſam grauiditatem vteri prolapſu abſque vllis moleſtiis, paucis tantum difficultatibus in vrina mittenda exceptis, laborabat haec femina. Partus tempore appropinquante Noſter accerſitus, et orificium vteri difficulter detegens, illud margine duro et calloſo, quod tribus diebus inter dolores partus non dilatatum erat, conſpiciebat obſitum. Quare propter cartilaginoſam indolem ac craſſitiem vteri, cepit conſilium de collo illius incidendo, quo facto ob nimiam vteri contractionem ruptura colli ſequuta eſt, atque tum, aliis inciſionibus in vteri collo factis, totali diſruptioni vteri offe- p. 366.

cit. Quibus omnibus per vnius et dimidiae horae ſpatium peractis, mortuus infans eductus eſt. Noſter deinceps vterum repoſuit, et, iniectionibus adhibitis, lochia bene fluxere. Non diu poſt menſtrua apparuere, et femina ſana, ſi peſſario vſa eſſet, non prolapſu vteri iterum laboraſſet. Ex VAN SWIETEN praeterea et PORTAL caſus ſimiles commemorat.

Menſis Majus.

p. 387. 1) Cl. PRIESTLEY experimenta et obſeruationes *de differentia aëris*, ex Anglico ſermone translata *).

p. 415. 2) Cl. ACHARD obſeruationes *de duobus hydropicis, et de calculo veſicae*, qui in tunicis veſicae per mucoſitatem ſeſe fixerat.

p. 427. 3) Cl. HARMAND *de funeſtis cauſticorum et eſcharrhoticorum remediorum in cancro ſanando effectibus.* Exemplo Ipſi eſt femina triginta ſex annos nata, cui mammilla dextra cancroſa fuit, et quae exſtincta eſt. Cauſam mortis ponit in ſiniſtra applicatione emplaſtrorum corroſiuorum a quodam agyrta facta, atque ſectione accedente docet, fieri vtique potuiſſe, vt per curam palliatiuam femina vitam per aliquod tempus ſeruaſſet.

p. 441. 4) Cl. DEGRAVERS de *oculo vulnerato et humoris aquoſi emiſſione, ſubſequuto ſtaphylomate.* Primo obtutu timuit Noſter de obturatione pupillae, ſed, ſtaphylomate aperto, quo iris iterum facile in locum ſuum reſtitui poſſet, repetitis venaeſectionibus, et ſuffumigiis emollientibus rite adhibitis omnia ex voto ſucceſſerunt.

p. 443. 5) Cl. DU CHANOY de *tendine Achillis rupto.* PETITI machinam huic rei cauſa inuentam tamquam

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 124. ſq. 437.

quam prorſus inutilem reiicit, atque methodum non multum ante commendatam *) laudat.

6) Epiſtola Cl. MONTBALLON *de eodem argumento*; qua itidem methodus Cl. DU CHANOY exemplis illuſtrata de meliori commendatur. p. 450.

7) ANT. LE CLERC *de grauiditate quadam per octodecim annos imaginaria.* Femina parturiens crudeliſſimis inſcii cuiuſdam artis obſtetriciae magiſtri manipulationibus male affecta erat, vnde per vnius anni ſpatium aegrotando in matrice pungentes ſenſit dolores, donec ſub finem decimi octaui menſis, recuperata aliquatenus valetudine, grauidam ſe factam indiciis quibuſdam prodidit. Verum, finitis nouem menſibus, ſopiti dolores redeuntes vitam eius per octodecim annos admodum moleſtam reddidere. Tandem defuncta eſt, ac cadauere diſſecto conſpicuum factum, eam nequaquam fuiſſe grauidam, ſed matricis et ouarii tumore laboraſſe. p. 457.

8) Cl. IUVILLE epiſtola II. *de bracheriis elaſticis ad hernias inguinales.* Prioris iam ſupra ad menſem Februarium mentionem fecimus. p. 463.

Menſis Iunius.

1) Cl. PRIESTLEY experimenta et obſeruationes *de differentia aëris* **). p. 483.

2) Cl. DUPLAN *de phthiſi cauterio ſanata.* Omnis cura abſoluta eſt equitatione, vaporibuſque mediocriter calidis, quibus vlcus pectorale apertum eſt, quo facto inter ſcapulas fontanella applicata, aegra lactis et aquarum mineralium vſu recuperauit valetudinem. p. 505.

3) Cl. EMMANUEL *de tumore ſcirrhoſo ventriculi.* Vir ſexaginta annorum grauatiuum dolorem ſentiens circa ſtomachum, cuius cauſam in ſuppreſſa p. 515.

*) v. ſupra p. 198.
**) v. ſupra menſe maj. l. c.

tranſpiratione ponebat, varia medicorum ſibi expetiit conſilia, quibus indicabat rectum abdominis latus externe durum, vnde omnes de tumoris praeſentia conueniebant inter ſe. Vexatus eſt continuis vomituritionibus vehementioribus, emiſſione liquoris mucilaginoſi, grumoſique atrum referentis colorem, et tandem exſpirauit. Sectione facta, duo tumores ſcirrhoſi et carcinomatoſi humore quodam colorem rubri vini referente conſpicui facti ſunt, duodenum quoque et pylorus ex parte ſcirrhoſi fuere, ipſumque ſtomachum glandulae ſcirrhoſae obſedere etc.

p. 525. 4) Cl. TESTART *de carbunculo*, qui feminae nucham occupans, ſeſe verſus humeros extendit, ſucceſſiue ad apophyſes vſque tranſuerſales occipitis et aures. Variis remediis adhibitis, ichoroſa materies acris per parua foramina tranſiens, gangraenam effecit. Corticis chinae vſus internus aeque ac externus vna cum inciſionibus prudenter factis aegrae ſaluti fuere.

p. 530. 5) Cl. FIGUET epiſtola ad Cl. LEVRET *de extractione corporis peregrini ex vagina vteri.* In medium profert Noſter hiſtoriam de vlcere in vagina a nimis magno peſſario exiſtente, cuius medela per eius extractionem forcipis Leuretianae ope, per victum tenuem, ac emollientes, detergentes atque adſtringentes iniectiones facta eſt.

p. 538. 6) Obſeruatio Cl. FILLION *de vulnere per abdomen tranſeunte vna cum apertura inteſtini.* Tredecim videlicet annorum puer a tauro cornibus transfoſſus erat, vulnus inde inflictum et ſuppuratum, ruptumque inteſtinum liquoribus balſamicis, apto regimine praeſcripto et ipſius adeo naturae beneficio perſanatum eſt.

p. 552. 7) Cl. D'ARCET experimenta *circa quaſdam mixtiones metallicas, quae in calidam iniectae aquam*

rurſus mollitiem ac fluiditatem aſſumſere. Huius rei gratia praeprimis wiſmutho, ſtanno atque plumbo vſus eſt.

Menſis Iulius. Tom. XLIV.

1) Cl. FOVRNIER obſeruationes *de febribus putridis et malignis*, per quinquaginta annos ſtudioſe collectae atque hic communicatae. Praemiſſa enim commentatione de natura et cauſis immediatis febrium, ipſae malignae febres, ne oboriatur confuſio, a ſe inuicem probe diſtinguuntur, 1) in proprie ſic dictas, quae omnes, abſque omni aetatum ſexuumque ratione habita, inuadunt, et frequentiores apud meridionales, quam ſeptentrionales eſſe ſolent nationes, 2) in purpuratas, exanthematoſas, et petechiales, 3) in malignam peſtilentialem. Ceterum de ſignis, praeſagiis, tandemque de recto vomitoriorum ac veſicatoriorum remediorum aeque, ac venaeſectionum vſu differitur. p. 3.

2) Cl. LE CLERC epiſtola ad GOVBELLY *de noxio vſu interno ſpirituoſorum remediorum*, praeprimis in morbis pectoris: Inter iis aquae vitae et *liqueur du Sieur* TREFENSCHEIDLE prorſus reiiciuntur. p. 56.

3) Cl. LEAUTAUD obſeruatio *de vlcere maligno cum febre ardenti ſanato*. Repetitae venaeſectiones, applicatio emplaſtri *manus dei* cum vnguento mucilaginoſo mixti, inunctio laeſae partis cum oleo roſarum et hyperici et aqua vitae ſuppurationem iterum prouocarunt, interne vero apozemata et remedia mitigantia, incraſſantia et abſorbentia admodum proficua fuere. p. 63.

Menſis Auguſtus.

1) *Collectio operum phyſicorum et medicorum* RICHARD MEAD *in linguam Francogallicam tranſlatorum* p. 99.

rum a COSTE *). Priores editiones, ne Londinenſi **) quidem excepta, non omnia continebant Cl. MEADII ſcripta. Prior enim editio, a LORRY 1751 publici iuris facta, tantum comprehendebat tentamen de venenis, (quod Gottingae 1749 cura OEDERI et Francofurti 1763 latine prodiit) tractatum de peſte et variolis, translationem RHASIS de eodem morbo, commentationem de influxu ſolis et lunae in corpus humanum, diſcurſum anniverſarium ex inſtituto HARVCI habitum in collegio medicorum Londinenſium, et diſſertationem de nummis in honorem medicorum Smyrnae cuſis. Quam quidem Lorryanam editionem iterum CAVELIERIVS ſub nouo hoc prodire iuſſit titulo: *Relationes et praecepta medica duobus voluminibus.* Sed quamquam haec perfectiſſima dicatur editio, tamen in ea deſiderantur commentatio de morbis, quorum in ſacris fit mentio literis, deſcriptio Machinae Suttonianae renouandi aëris cauſa, et diſquiſitiones de ſcorbuto maris. Neque editio Amſtelodami publicata omnibus numeris eſt abſoluta, nam omiſſa ſunt praecepta medica, medicina ſacra, et diſſertatio de nummis. Itaque, ne Lectoribus de hoc defectu detur occaſio conquerendi, omnia ſtudioſe congeſſit COSTE, diſcurſibus praeliminaribus vnamquamque commentationem inſtruxit, atque phyſicas, medicas et chirurgicas animaduerſiones adiecit. Cl. WINTRINGHAM monita et praecepta medica cet. Cl. MEAD notis additis edidit ***).

p. 141. 2) Cl. LE FEURE *de vomica cum meditationibus de remediis cauſticis et eſcharroticis externe adhibitis et in cura cancri ab* HARMAND *proſcriptis.* Vomicam ruptam Noſter per infuſionem florum pedis cadi et hyperici

*) v. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 561.

**) The medical Works of MEAD. v. ib. Vol. XV. p. 697.

***) v. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 725.

hyperici melle addito, pillularum MORTONI duobus granis, et de cynogloſſa duabus doſibus mixtis, quas mane et veſperi aegra ſumebat et clyſtere cum ſero lactis, curare tentabat. At morti iam proxima videbatur aegra, igitur ad modum Cl. TISSOTI propinabat infuſionem ſambuci cum oxymelle ſquillitico, quo ſucceſſu temporis vomitiones inſequebantur, omniaque ad meliorem conditionem vergere videbantur. Quare ſuadente Cl. POISSONNIER praeſcripſit ipecacuanhae vnum granum, pillularum de cynogloſſa duo, balſami Peruuiani doſes octo, haec cum ſaccharo mixtae in pillulas redigebantur quatuor, quarum tres tribus horis capiebat, et, continuato hoc regimine, vigeſimo quarto die conualuit aegra, et omnis cura per purgationes ex manna et terra foliata tartari finita eſt. Caeterum ſe in ſequentibus defendit ob mortem ab vlcerato cancro productam, ſibique imputatam, et omnia transfert in agyrtam, qui ichorem longius retinendo eius in ſanguinem refluxum non impediuerat; atque his ſubiicit, tutiſſimum remedium hic cauterium fuiſſe, quod exemplo addito pluribus docet.

3) Obſeruatio Cl. GALLOT *de vulnere capitis cum fractura cranii.* Id quod ſuppuratione, apto regimine, et aliis remediis conuenientibus eſt ſanatum. p. 156.

Menſis September.

1) Cl. BVCHAN medicina domeſtica, e lingua Britannica translata a I. D. DUPLANIL *). p. 295.

2) Conſilium Facultatis medicae Pariſinae *de malo venereo infantum*, quo ad Inſpectorum Xenodochii Aquarum Sextiarum quaeſtiones reſpondetur. Collegium medicorum aſſerit, infectionem in neogenito difficulter eſſe cognoſcendam, eamque p. 307.

ſe

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 580.

ſe vix die duodecimo aut intra menſem prodere, praeprimis ſi mater mercurio vſa fuerit. Obiter conſuetudinem illam quatuor vel quinque liberos lactationis gratia vni committere nutrici, qua infectio facilis et communis poteſt fieri, reprehendit. Symptomata dein deſcribuntur, inter quae principem locum occupant palpebrarum glandulae, quae albam purulentamque gonorrhoeae ſimilem emittunt materiem; ſed in aetate tantum infantili curam palliatiuam ſperandam eſſe collegium decernit. Laudantur autem hic cinnabarina fumigia, praeferunturque mercurialibus. Modus procedendi is eſt, vt infans in corbi conſtitutus ſuper ſuffumigia teneatur, ita tamen, vt caput fumo non ſit expoſitum. Repetitio ſuffumigiorum per tres vel quatuor dies fieri debet, et prioribus quidem per quatuor vel quinque minuta, reliquis diebus per ſemihorium. Frequenter purgandi ſunt infantes, et poſt ſuffitus non ſtatim in cunas ponendi, ſed in aëre liberiori circumferendi. Omnis cura vt plurimum quindecim ſuffumigiis abſoluitur.

p. 322. 3) *De ratione taeniam propellendi.* Omnis cura eo redit. Iuſculum butyraceum aegro die ante curam eſt propinandum et clyſma emolliens adhibendum, quod dein ſpecificum ipſum ſequitur, cuius ſumma haec eſt: duae vel tres drachmae filicis maris (non ramoſae dentatae) in vnciis quatuor vel ſex aquae filicis vel ceraſorum dentur, applicentur purgantia e panacea mercuriali quatuor decies dulcificata, e ſcammonii granis duodecim e ſex vel ſeptem granis gummi guttae, et cum confectione hyacinthorum fiat bolus. Rex Francogalliae formulam huius remedii magnis ſumtibus emtam ſalutis ciuium cauſa publici iuris facere iuſſit, et NVFFERIA, quae vendidit, ab alio, cui olim vendiderat, propterea vocata eſt in iudicium. Quod

reliquum

reliquum eſt hanc methodum etiam in PLINII hiſt. nat. L. XXVII. c. 55. his verbis inuenimus. *Filicis radix pellit — interaneorum animalia: ex his taenias cum melle — aluum ſoluit, primo bilem trahens, mox aquam, melius taeniam cum ſcammonii pari pondere*, cf. DIOSCORIDES de mat. med. L. IV. c. 186. Eſt autem, vti etiam monitum eſt in egregio libro*) quem non ſatis ob magnam vtilitatem laudare poſſumus, magna cautio ſuadenda hoc remedio vtendi. Doſis enim profecto magna eſt.

4) Cl. GALLOT *de morbo ſoporoſo ab iracundia producto.* Clyſteres, veſicatoria, aqua caſſiae, ptiſana e radicibus paeoniae, glycyrrhizae, floribus ſambuci et tiliae cum ſyrupo diacodii magnum leuamen attulerunt aegro ſanitatemque eius reuocarunt. p. 330.

5) Cl. DUBRANA *de lue bouina in tractu Condomoenſi.* Primum in cauſam morbi inquirit, docetque malum ad homines non tranſire, demumque inſtituti explicat rationem. Obſeruationes et experimenta in cadaueribus inſtituta prodidere omnem cauſam morbi in acido latuiſſe, cui curatio eſt accommodanda. p. 335.

6) Cl. MORIN examen criticum commentationis BERTRANDI *de abſceſſibus hepatis occaſione capitis vulnerum obortis, cum animaduerſionibus practicis de venaeſectione.* Cl. BERTRANDI a ſympathia partium hos abſceſſus deduxit, multaque protulit, quae communionem quamdam cerebrum inter et hepar declarare videntur, ſed omnia hypotheſibus ſuperſtruxit atque inuoluit. p. 341.

7) Cl.

*) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte. 2 Band. 4 Stück, p. 157.* Ibi ex eodem tractatu omnia ea in linguam Germanicam translata, quae ad praeparationem regimenque aegrorum eiuſmodi, huius remedii nouitatem, taeniarum diuerſitatem cet. pertinent, reperiuntur.

p. 378. 7) Cl. CHARNAUX *de laeſa arteria radiali curata ſine ligatura.* Huius rei cauſa applicauit ſplenia circularia et longitudinalia cum linteo carpto, et vinculis trium vlnarum in longum protenſis, torcularique in ſuperiori brachii parte appoſito, vinoque aromatico et agarico adiecto. Cl. IUSSY potiſſimum in hac methodo exemplum ſequutus eſt.

Menſis October.

p. 310. 1) Cl. VIVARES *de tumoribus cyſticis* in poſterioribus repertis et poſt colicam violentam prouenientibus. Femina colica et febre infeſtabatur, abdomen tenſum et ſenſibile erat, et ſub cartilaginibus ſterni tres tumores verſus dextram ſeſe partem extendentes deprehendebantur, ope clyſterum centum triginta et nouem bullae, ouis immaturis ſimiles, cruſtis deſtitutis, variae magnitudinis et coloris, materiam meliceriti ſimilem continentes, expulſae ſunt. Ob infirmitatem, his abactis, nutrita eſt ſolo lactis ſero, donec ſenſim ſenſimque ſolidiora edulia aſſumere poterat.

p. 363. 2) Cl. IMBERT *de tumore vlceroſo in mala, duas fiſtulas ſaliuales producente.* Hae fiſtulae ſedem fixam in ductu ſaliuali Stenoniano occupauerant, poſteriori loco poſita leui quodam lenique ſplenio appoſito ſanata eſt, prior vero lapidis infernalis ope ſublata.

Menſis November.

p. 387. 1) Cl. GIRARD *lupiologia* ſiue tractatus de tumoribus, qui lupiarum *) (*des loupes*) nomine inſigniuntur. Tribus partibus hanc doctrinam complecti-

*) v. Comm. noſtr. IIdae decad. indic. triplic. ſub verbo *Lupiae*.

plectitur, prior ſiſtit theoriam horum tumorum, et naturam, characteres eſſentiales, differentias, ſedem mechanicam, formationem, cauſas, phaenomena, accidentia conſiderat, et quale de iis ſit iudicium ferendum: poſterior de varia methodo circa eos praecipit, commemoranturque varii modi, quibus earum deſtructio, compreſſio, ſuppuratio, ligatura, amputatio et exſtirpatio tentata eſt. Simul de vſu cauſticorum agitur, de eſſentia, effectibus, ratione agendi ſubſtantiarum corroſiuarum et de electione earum, quibus additae ſunt obſeruationes, ſententiam Noſtri ſuper hac re vlterius confirmantes. Tandem tertia pars de lupiis proprie dictis, de ganglio, de tumoribus cyſticis oculi etc. diſſerit.

2) Diſſertatio Cl. BOUTEILLE ad Cl. DARLUC *de variolarum inoculatione*, et Cl. REBIERIVS *de variolis inoculatis*. Singulare quid de puella contagio varioloſo infecta hic commemoratur, quae ſtatim poſt partum non frequentes variolarum eruptiones abſque ſuppuratione eſt paſſa, quas furunculi per annum fere perſiſtentes comitati ſunt. Haec puella, annum quum ageret aetatis vigeſimum ſextum, more Suttoniano inoculata eſt, ſtatim, operatione peracta, in regione humerorum dolores cum febre ſenſit, maculae apparuerunt rubrae et colorem pomorum aurantiorum referentes. Perſpiratio vero odorem allii prodidit, verum variolae minime eruptae ſunt: itaque altera vice huic methodo ſeſe ſubmittens quatuordecim diebus poſt vna tantum variola in manu erumpens ſuppurauit. P. 398. P. 415.

3) Obſeruationes Cl. MARCHAND *de abſceſſu ani*. Nouem hic exempla leguntur, quae eo potiſſimum tendunt, vt diſſectio inteſtini recti diſſuadeatur et ea methodus praecipiatur, qua ex P. 439. P. 545.

légibus artis in vnoquoque abſceſſu aperiendo et tractando more conſueto verſari ſolent chirurgi; nihilo tamen ſecius Noſter concedit, fieri poſſe, vt in quibuſdam exemplis neceſſitate et rebus ſic
p. 453. iubentibus ſectio ſit facienda. Examinis critici ſuper commentatione Cl. BERTRANDI de abſceſſibus hepatis pars tertia, qua inordinatam ſanguinis circulationem tamquam tertiam talis abſceſſus cauſam examini ſubiicit, addendo inſuper nouem obſervationes.

Menſis Decembris.

p. 484. 1) Cl. BORDEU *de morbis chronicis* eorumque comparatione cum morbis acutis, de eorum periodis, natura et ratione eos aquis mineralibus Bargenſibus aliiſque ſanandi. In priori hoc tomo theoria generalis morborum et analyſis medica ſanguinis proponitur, additis in fine diſputationibus de cachexia purulenta et gangraenoſa.

p. 512. 2) Cl. BOUTEILLE diſſertatio, *de inoculatione variolarum.*

p. 524. 3) Cl. GALLOT commentatio *de duobus ſymptomatibus peculiaribus*, in duobus aegris obſeruatis. Prius ſymptoma in femina viginti ſex annorum circiter contigit, quae, diarrhoea a ſuppreſſa tranſpiratione oborta, affectus ſenſit ſpaſmodicos, dolores in toto corpore, delirium ſoporoſum et maniacum, tumorem pedum et digitorum, ob contractionem, immobilitatem etc. ſingulare in hoc caſu fuit, quod manus nigro colore tinctae fuerunt, qui quidem color calida aqua abſtergi poterat, ſed tamen iterum fiebat conſpicuus. Auctor hoc ſymptoma tribuit gangraenae in viſceribus ortae et latenti. Poſterius in nobili quadam femina ſeſe prodidit a cephalalgia et doloribus in latere dextro infeſtata etc. cuius in capite oſcillatorius audiebatur ſonus.

4) Cl.

4) Cl. PARIS obſeruationes *de morbis Turcarum.* Ad morbos Graecorum et Armeniorum communes, indigeſtio et inflammatio ſtomachi referuntur, quorum cauſa immoderatus vini eſſe ſolet vſus, Armenii tamen magis ſobrio vitae generi dediti non tam acriter his afficiuntur. Sobrietas quoque Turcarum laudatur, at opii vſus et aromata ſomnolentiam et maniam, vſus narcoticorum relaxationem et diminutionem toni, ſenſibilitatis, contractilitatis et motus partium inducunt. Phthiſis dorſalis neruoſa cum febre, magna infirmitate, dolore fixo in vertebris colli, reſpirationis difficultate, indigeſtione, et hyſtericis ſymptomatibus, ac irritatione et ſenſibilitate neruorum comitatur. Iſte complicatus morbus difficulter curam admittit, neque lac aegris conuenit propter ſtomachi infirmitatem. Turcae, Graeci et Armenii quoque abutuntur ſcarificationibus. In cephalalgia ſtatim accerſitus chirurgus, qui vinctura collum conſtringere et inciſiones circa aures facere debet, quo ſanguinis exeat portiuncula et dolores capitis leventur. Commemoratio de extractione aciculae, quam iuuenis in canalem vrethrae intulerat, et quae ad radicem vſque proceſſerat. Alius iuuenis ope acus nexorii pice ſutoria obducti, illam extraxit.

P. 534. (margin, beside line 1)
P. 552. (margin, beside "moratio de extractione")

II.

Chimie experimentale & raiſonnée. Par Mr. BAUME'. T.II. à Paris. 1773. 8. 1 Alph. 18 Plag.

i. e.

Chemia experimentalis et rationalis. Auctore Cl. BAUME' Vol. II. *)

O Quam-

*) vid. ſupra. p. 54.

p. 1. Quamquam ſi nitrum cum gypſo deſtillationi ſubiicitur, paucus tantum et tenuis latex acidus vas deſtillatorium tranſcendit, magnam tamen nitri partem a gypſo ſub hoc labore deſtrui, reſiduum in retorta nitrum calcareum et tartarus vitriolatus arguunt. Arcta enim nitroſi acidi cum terris calcareis eſt affinitas. Quae cum longe remotior ſit inter terram vitreſcibilem et acidum nitroſum, mirum non eſt, ex nitro ope aluminis longe fortius acidum expelli poſſe. Vere enim tale acidum plus valet eo, quod per vitriolum acidumve vitriolicum nitro affuſum inde colligitur; etiamſi non ita multos vapores ſpargit, nec colore tam profundo conſpicuum eſt. Debilius eſt, quod mediante argilla elici ſolet. Quodſi tamen omne id, quod in recipulum deſtillauit, abiicitur, donec vapores ſurgentes rutilare incipiunt: acidum ſat coloratum et fumans obtinetur, idque eo copioſius, quo ditior argilla acido vitriolico fuerat, tantoque magis coloratum et fumans, quo plus ferri eidem inhaeſerat. Quam tenax vero acidi vitriolici argilla ſit, vel inde apparet, quod vaſorum murrhinorum et ſic dictorum lapideorum (*de grés*) maſſa inſignem tamen ignis violentiam experta, acidum nitroſum ex nitro ſegre-
p. 9. gare valeat. Cl. Auctor hac ipſa occaſione de apparatu illo (adiecta icone) exponit, quo in aquae fortis officinis vulgo vti ſolent. Peculiaris vero fornacum eſt ſtructura, quos *galeres* vocant, ita comparata, vt ſingulo fornaci viginti quatuor et plura vaſa deſtillatoria imponi poſſint, ſenis argillae biniſque nitri partibus repleta. Maſſa in vaſis reſidua, argilla et tartaro vitriolato inuicem mixtis conſtat. Quam ſi cum aqua et alcali ſufficiente decoxeris, et liquorem deinceps percolaveris, hoc conſequeris, vt per euaporationem tartarum vitriolatum, difficulter alias ex hac maſſa ſegregandum, obtineas.

Ex

Ex acido ſalis et alcali vegetabili, *ſal febriſu-* p. 13.
gum SYLVII naſcitur. Idem ex confuſis liquore al-
calino et ſalino terreo emergit. Ignis illud non de-
ſtruit, quemadmodum etiam acidum vitriolicum et
nitroſum in miſcela eius dirimenda parum valent.

Ex ſale lixivo vegetabili et aceto deſtillato *ter-* p. 15.
ra foliata tartari progignitur. Quae cum nitro
fixo cineribuſque clauellatis paratur, ſquamoſo ha-
bitu micam aemulatur. Atque hoc ab aliis huic
parti alcalinae admixtis ſalibus neutris proficiſcitur.
Nitro fixo enim aliqua nitri veri copia, cineribus
clauellatis vero tartarus vitriolatus et ſal commune
ineſt. Propterea etiam in aceto vini ſalium neutro-
rum alcalinis adhaerentium indicium eſt; ſiquidem
illo acido lixiuum ſal non prorſus ſatiaueris, et ſolu-
tionem ad ſyrupi vſque conſiſtentiam inſpiſſaueris;
quae deinceps poſt aliquot dies ſalium neutrorum
cryſtallos deiicit. Terrae foliatae tartari vnciae octo
ſub deſtillatione praebebant acidi concentrati grana
octo liquoris alcalini volatilis vncia vna cum drach-
ma vna et quadraginta octo granis: ſalis alcalini vo-
latilis ſicci grana ſedecim.

Alcali fixum minerale, perinde ac vegetabile p. 24.
ab igne in vitrum conuertitur. In aqua diſſolutum,
vel glaciei admixtum frigus auget. Cum calce viua
coctum, *ſaponariorum lixiuium* conſtituit, quod ad
ſiccitatem vſque euaporatum, atque deinceps in
crucibulo fuſum lapis cauſticus chirurgorum voca-
tur. Quem quidem ideo ad aërem liberum difflue-
re arbitratur Cl. Auctor, quoniam, accedente ex cal-
ce materia ignea, alcali minerale ad vegetabilis
naturam accedat; eandemque ob cauſam lixi-
vium ſaponariorum ita cauſticum eſſe, vt calcis ad-
miniculo, partim quae iam adfuerat ignea materia,
partim quae ſub vſtione intrat, retineatur et ſali li-
xiuo vniatur. Argumenta, quibus hanc ſuam ſen-

tentiam ornare ſtudet, partim ab expedita et facili lapidis cauſtici fuſione, partim inde petita ſunt, quod tale alcali cauſticum, tam diu igne exagitatum donec abundans phlogiſton deſtructum fuerit, in priſtinam naturam redeat, et purum alcali minerale praebeat, ſiquidem in aqua prius ſolutum fuerit. Non vero in ſola calce, veru etiam in terra pura vitreſcibili, et metallicis cineribus alcali cauſticum producendi potentia eſt, ita vt mediante illa ignea materia quae ad ſal lixiuum accedit, aliqua harum terrarum copia ab initio cum alcalino ſale miſceatur; deinceps vero, deſtructo phlogiſto, iſta vincula abiiciat.

p. 46. *Sal commune*, antequam ſuper igne colliquetur, excandeſcit; Fuſum vero ſubſtantias ſalinas peregrinas ipſi admixtas derelinquit iiſque innatat, dein vero refrigeratum ſpiculis ſplendeſcentibus adamantis inſtar politis conſpicuum eſt. Paſſum ignis maiorem vehementiam fumi albi ſpecie aſſurgit, qui carbonum flammam eximio calore coeruleo tingunt. Nunquam vero per ſolum ignem ſal commune in partes ſuas conſtitutiuas diſſolui poteſt. Neque hactenus eo peruenire licuit, vt acidum ſalis vel ſal ipſum commune cum phlogiſto combinaretur, etiamſi non diſſimile vero eſt, poſſe eiuſmodi ſulphur aut phosphorum ſalinum vel ab ipſa natura vel arte produci. Cuius argumenti opportunitate Cl. Auctor ad fulminis naturam quaſi in tranſitu declarandam ducitur; quam cum electricitate quidem plurimum conuenire fatetur, neutiquam vero igni puro ſimilem eſſe cenſet. Forſitan fulminis materia, ſulphuris diuerſis generibus inter ſe commixtis, efficitur.

p. 72. Sali, ex alcali minerali et aceto vini producto, Noſter *terrae foliatae cryſtalliſatae* nomen tribuit.

Notatu

Notatu dignum eſt, ſolutionem cryſtallorum ſodae in aceto vini deſtillato, colore coeruleo conſpicuam eſſe, quem Cl. Auctor a coeruleo Berolinenſi ſodae inhaerente deriuandum eſſe opinatur. Vt vero cryſtallos euaporando obtineas, cauendum, ne alcali minerale prorſus acido ſaturetur, quod tamen nil impedit, quo minus poſt euaporationem ſal manifeſto neutrum relinquatur. Sub deſtillatione hoc ſal nihil alcalini volatilis liquoris explodebat, ſed acidos ſaltem et empyreumaticos vapores.

Alcali animale ſiue *volatile* ſuper igne auolat, p. 75.
antequam ipſa aqua eius cryſtallis inhaerens, tranſcendat. In aëre ſatis frigido diſſipatur. Idem facile contingit, ſi aqua calida ſoluatur, ſub qua ſolutione incredibilis fere aëris copia euoluitur. Cum frigida aqua vel glacie alcali volatile inſigne frigus producit. Calce viua aut in aëre libero extincta omnis huius ſalis alcalini denſitas atque ſoliditas tollitur, ita vt deliqueſcat, et ne iteratis quidem deſtillationibus priſtinam formam recuperet. Quam cohaerendi impotentiam perinde atque auctam alcali volatilis acredinem non aliunde repetendam eſſe Cl. Auctor cenſet, quam ab illa ipſa ignei principii admixtione, quae in lixiuio ſaponariorum quoque deliqueſcentiae cauſa eſt.

Sal ammoniacum ſecretum GLAVBERI, quod ex p. 82.
acidi vitriolici cum alcali volatili coniunctione naſcitur, quadantenus volatile eſt ita, vt deſtructionis expers in vaſis clauſis ſublimetur. Ad aërem non, vti ſal mirabile, in puluerem defatiſcit, ſed potius aëris humiditate madorem contrahit.

Nitrum flammans aqua facillime diſſoluitur, eamque ipſam ob cauſam aegre ſeſe in cryſtallos redigi patitur.

Spiritus MINDERERI, quem aptius forſan *ſal* p. 89.
ammoniacum acetoſum diceres, poteſt omnino, ſed

admodum difficulter in cryſtallos coagulari, ſi per dies fere quatuordecim liquor ille ſalinus in loco ſicco ſpontaneae euaporationi relinquatur.

p. 90. Multa ſalia terrea alcali volatilis ope in partes ſuas reſoluuntur, alumen nempe, gypſum, nitrum calcareum, ſal ammoniacum fixum et ſal acetoſum calcareum, quorum omnium acidis, priſtino nexu ſublato alcali volatile nunc nubit, et noua ſalia media cum iis conſtituit.

GEOFFROY primus fuit, qui de ſalis ammoniaci vulgaris origine et loco natali certi quid memoriae proderet, LEMERI Conſulis Cairienſis litteris edoctus*). Ibidem ratio et inſtrumenta exponuntur, quorum auxilio in Aegypto ſal iſtud parari conſuevit. Neutiquam tamen arte in illis locis componitur, ſed ſublimatione ſaltim obtinetur. Noſtri Auctoris conſilio et indefeſſa opera officina huic ſali elaborando in Gallia dicata fuit.

p. 98. Repetita ſalis ammoniaci ſublimatione, aliqua eius particula deſtruitur, ita vt alcali acidum derelinquat, ſeorſimque auolet. Pro diuerſo ignis adhibiti gradu, ſalis ſublimati figura varia eſt. Quod ſi enim ignis admodum lenis fuerit, cryſtallorum formae, perinde ac ſi aqua ſal ſolutum fuiſſet, plumulas imitantur; ſi paullo fortiorem calorem admoueris, ſal in maſſas ex acubus, cinnabaris cryſtallos mentientibus, conformatas, et ſubtus cryſtallis cubicis (vere ammoniacalibus) obſitas coit; ſi denique vehementi igne vtaris, maſſa denſa dura, fere tranſparens et in ſuperficie ſarmentorum figuras oſtendens (*garnie d'une ſorte de ramage*) attollitur.

p. 100. Salis volatilis alcalini et ſalis marini terrei ex ſale ammoniaco et calcarea terra praeparatio. Quemadmodum, ſi igne torquetur ſal ammoniacum, ob terrae calcareae indolem minime volatilem ſalis acidum

*) v. comm. Acad. Pariſin. de anno 1716.

acidum ab alcali volatili abreptum huic terrae iungitur, ita e contrario, ſi viam humidam delegeris, acidum a terra adiecto ſale volatili ſeparatur. Augmentum ponderis, quod ſali alcalino ſub hac operatione accedit, Noſter Auctor ab aqua in terra calcarea latente repetit. Spiritus ſalis ammoniaci p. 107.
per calcem ad aërem liberum extinctam, expulſio. Sal volatile hac ratione ab acido ſuo ſegregatum ſub forma liquida ſemper apparet. Quae remanent, eiuſdem indolis ſunt cum reſiduo ex ſublimatione alcali volatilis paullo ante propoſita; ita tamen, vt oleum calcis ex reſiduo deſtillationis cum calce viua inſtitutae ortum, per alcali volatile ſub ipſa operatione enatum non deſtruatur, quod omnino in illo oleo calcis ex ſublimatione ſalis volatilis relicto fieri ſolet. Neque etiam mixtum vtrumque alcali volatilis genus dirimit hanc noſtram calcis viuae in ſalis acido ſolutionem; perturbat ſaltem, parumque terrae deiicit. Diſcrepat vero al- p. 112.
cali volatile calcis viuae adminiculo paratum ab eo, quod creta expulſit, grauitate ſpecifica; quae in illo ſpiritus vini leuitatem propemodum aequat, in hoc vero aquae pondere maior eſt. Quatuor ſpiritus alcalini vnciae aëris acceſſui expoſitae intra decem horas ſeptem drachmas perdidiſſe reperiebantur. Fluidum inde relictum ſapore deſtitutum ſuccum violarum vix mutabat, ſed grauitatem ſpecificam aquae obtinuerat.

Sal volatile per calcem viuam ex ſale ammo- p. 114.
niaco prolicitum duplici modo ita cogi poteſt, vt ſub forma ſolida compareat. Alterum propoſuit DUHAMELIUS, vt nempe ſpiritum volatilem aliquoties de calce, ſuper qua iam fuerat deſtillatus, denuo et iteratis vicibus abſtrahi iuberet. Inde calx ipſa pinguem aut viſcidam quaſi formam induit, alcalino ſale in maſſam ſolidam coëunte. Aliam ſal vo-

latile ſolidum per calcem viuam expellendi rationem Noſter deſcribit. Tres nempe vnciae calcis viuae cum totidem ſanguinis bubuli bene exſiccati vnciis calcinantur, donec materia flagrare deſinat, quae denuo, addito ſanguine exſiccato, igni iterum committitur, vt intra horae ſpatium excandeſcat. Refrigerato iſto puluere omni calcis virtute nunc priuato, alcali volatile ſolidum ex ammoniaco ſale propellitur, maſſa nigra, ſal commune in ſe continente, in ipſius vaſis fundo relicta.

p. 123. A gypſo vſto ita afficitur ſal ammoniacum, vt aliqua pars ſalis volatilis ſub liquida, alia ſub ſolida forma adſcendat, reliquum vero ſal ammoniacum abſque mutatione eleuetur. Gypſum crudum copioſiorem liquorem, parcius ſal concretum extricat. Caput mortuum ab vtroque labore albidum relinquitur. Alabaſtrum purum nullum alcali volatile elicit.

p. 125. *Aquam regis* Cl. Auctor ita parari iubet, vt libra vna ſpiritus nitri vulgaris quatuor vnciis ſalis ammoniaci affundatur eaque miſcela, donec ſal ſolutus fuerit, continuo agitetur. Tantopere vero ſpiritus nitri cum ſale ammoniaco efferueſcit, vt rubri etiam vapores aſſurgant, neque ſi omnia inter ſe mixta fuerint, penitus motus internus ceſſet: quapropter etiam parcitati in hac aqua regia paranda ſtudendum eſſe Noſter monet, cum diutius aſſeruata extrudere epiſtomia vel ipſa adeo vitra diſplodere ſoleat. Tribuit hoc nitro cuidam flammanti ex ſalis ammoniaci parte volatili ac nitroſo acido progenito.

p. 129. *Borax* partibus aequalibus alcali mineralis et ſalis ſedatiui conſtat. Hoc ſal poſteriore loco nominatum quorumlibet acidorum ope ex borace ſeparari poteſt. Boracis vero genus cernitur triplex; primum crudum ſ. *Tincal*, alterum, *Borax depurata Chinen-*

nenſium, tertium denique et optimum, quod denuo inſtituta depuratione obtinetur. Quae vero ſit in India Orientali huius ſalis praeparandi ratio, nondum ſatis conſtat. Alii ex aqua quadam minerali venas cupri praeterfluente extrahi, alii aeruginem et pinguia ei admiſceri, alii denique ex adipe, argilla et fuligine ſibi inuicem ſuperſtratis et terra obrutis poſt aliquot annos boracem progigni voluerunt. Poſtremorum maxime ſententiae Noſter ſuffragatur, fultus tum experimentis a ſe ipſo in hoc genere inſtitutis, tum boracis crudae diſſolutione et depuratione. Reperiit enim eiuſmodi ſolutionem in filtro, per quod colaretur, materiem terreſtrem albicantem ſatis ſubtilem relinquere; illam vero ipſam euaporatione tentatam partim in cryſtallos rudiusculas rubellas coire, partim ſub ſpecie liquoris rubri ſpiſſi adipem rancidum redolentis relinqui. Qui liquor denuo inſpiſſatus et rancorem magis iamiam prodens, ſub deſtillatione aquam oleumque craſſum praebuit, illi, quod ex adipe elici ſolet, ſatis ſimile, reſidua in vaſe deſtillatoria maſſa ſalina, boracem crudam calcinatam aemulante. Inanis vero eſt nonnullorum opinio, adipem ideo boraci adiectum eſſe exiſtimantium, vt ne, aëre accedente, fatiſcat in puluerem.

Terra ex ſolutione boracis crudae in fundum vaſis delapſa, ſalis ſedatiui adeo tenax eſt, vt ne iteratis quidem lotionibus eo prorſus deſtitui poſſit, niſi coctio ſaepius repetita acceſſerit. Acida quaevis illam coniunctionem ſoluunt, ſale ſedatiuo inde ſeparato. Sal ſodae adiectum ex illa boracis terra cum aqua cocta boracem reſtituit. Quae inde relinquitur terra, ita iam omni ſale ſedatiuo ſpoliata atque nuda quaſi deprehenditur, vt fruſtra ex illa quicquam ſalini elicere tentaueris. Ex his omnibus conſtat, boracem crudam plus acidi ſedatiui con- p. 131.

tinere

tinere, quam depuratam, cui ſal ſodae denuo additum fuiſſe videtur. Nimia tamen huius ſalis copia cryſtallorum formationi aduerſatur. Apparet vero ex ſalibus, quae acida cum hac terra progignunt, eam eſſe ad aluminoſam (Cl. Auctor dicit vitreſcibilem) referendam.

p. 138. Sed boracem vere ex argilla et pinguibus componi, vti analyſis eius probat, ita experientia Cl. Auctoris demonſtrat, qui cum adipem cum argilla ſubactam per menſes duodeuiginti in loco humido cum aqua macerandum ſepoſuiſſet, illo tempore praeterlapſo ſeſe aquae feruentis adminiculo ſal ſedatiuum extraxiſſe commemorat. Caeterum non ſola pinguedo animalis, verum etiam olea vegetabilia ad boracem effingendam idonea ſunt, ita vt ex vtriſque acidum ſedatiuum ea, qua deſcripſimus, via, poſſit elici. Poſſent forſitan huic ſali parando officinae apud noſtrates exſtrui, ſiquidem quaeſtionum huic capiti a Cl. Auctore adiectarum ratio haberetur. Eſſet nempe ante omnia experiendum, quae terra, quodnam pinguedinis genus huic fini eſſet accommodatius; num ſub tectis, an ſub dio foſſae moliendae eſſent huic operi; num maſſam interdum vertere et effodiendo agitare conveniret?

p. 142. Borax igne tractata calcinatur, pondere tertia fere parte diminuto, tandemque in vitrum ſeu potius maſſam vitriformem aqua ſolubilem mutatur. Si carbo inter vſtionem inciderit, rubro colore borax tingitur. Teſte Cl. BARON ſal ammoniacum a borace deſtruitur.

Boracis diſſolutio aquoſa itaab affuſo acido vitriolico afficitur, vt, poſtmodum euaporata, ſal ſedatiuum compareat tandemque ſal GLAVBERI. Idem praeſtat acidum nitroſum, ſalinum et acetoſum, ita tamen vt mox nitrum cubicum, mox ſal commune,

mox

mox terra foliata cryſtalliſata praeter boracem remaneat. Idem contingit, ſi acido cuicunque diluto borax diſſoluenda traditur. Semper autem abundante acido opus eſt; alias enim ſalium inde emergentium cryſtalli a ſe inuicem non diſcretae, ſed mixtae ſunt atque de genere vtroque participant. Quamprimum vero a ſe inuicem ſalia media et ſal ſedatiuum fuere ſegregata, ſolutiones illorum denuo confuſae neutiquam ita miſcentur, vt cryſtalli oriantur ancipites, dummodo ab addendo ſale lixiuo temperaueris. Huic experimentorum enarrationi adiicitur a Cl. Auctore computus omnium eorum, quae ad boracem in partes ſuas diſſoluendam requiruntur; quo patet ſal ſedatiuum non acidi vitriolici vel alius cuiuſcunque eſſe progeniem, ſed vere in borace ipſa contineri.

Ex Noſtri ſententia ſal ſedatiuum acido vitriolico acido adipoſo et terra argillacea puriſſima conſtat. Acidi vices in borace gerit, quae tamen illius abundantiam non patitur ita, vt cryſtalli naſci queant. Effloreſcit adeo per complurium menſium moram ex eiusmodi maſſa acidum nimium continente, ſal ſedatiuum, relicta borace, qualis antea fuerat. Sal iſtud ignis patientiſſimum eſt, nec abſque affuſa aqua in altum extollitur. HOMBERGIVS caput mortuum vitrioli martis addere ſolebat, vtpote borace ipſa ad hanc operationem vſus. Atque poteſt omnino acidum colcothari illi adhuc inhaerens, ſal ſedatiuum prolicere, licet alia ſalia vitriolica metallica atque terrea aegre admodum id faciant. p. 157.

Cum dubium eſſet, an ſal ſedatiuum omne ſublimatione poſſet in altum extolli, Cl. Auctor, vt hac de re certior fieret, vſus eſt ad hanc operationem cucurbitis argenteis, quippe quae in ipſo igne aquae frigidae affuſionem facile ferrent; ita ſenis et ſexagenis

genis vicibus repetita ſublimatione ex vnciis ſalis ſedatiui ſex, praeter ſeptemdecim aquae drachmas, ſalis ſicci vnam vnciam cum drachmis tribus aſcendere expertus eſt. Relictae denique fuerunt in cucurbita drachmae quinque ſubſtantiae ſalinae nigrae vitriformis, quae a ſale ſedatiuo parum differret, nec tamen aliquid ſublimatione amplius extorqueri pateretur. Illud vero ſal ſedatiuum, quod cum aqua adſcenderat, denuo inſtituta ſublimatione duas vncias cum granis triginta ſex ſalis praebuit, relictis quadraginta octo granis materiei terreae inſipidae, quae partim alicui ſalis ſedatiui deſtructioni, partim aquae ipſi ad ſublimationem adhibitae tribuenda eſſe videbatur.

p. 166. Sal ſedatiuum igne, quo fundatur, paullulum vehementiore opus habet, quam ipſa borax. Eſt vero illius vitrum ſpiſſius; vnde colligit Cl. Auctor, ſali ſedatiuo plus terrae ineſſe, quam boraci. Sal
p. 169. ſedatiuum etſi ad dirimendam ſalium vitriolicorum mixtionem nihil valeat, ex nitro tamen et ſale marino acidum expellit; ſuperſtite ex vtroque labore ſubſtantia ſalina, ex qua poſt lotionem praeuiam borax emergit vegetabilis aut vulgaris.

p. 171. Abſoluta boracis et ſalis ſedatiui contemplatione, Cl. Auctor ad cryſtalliſationem ſalium deuenit. Omnis vero cryſtallorum efformatio duplici via peragitur, altera ſicca, altera humida. Formae cryſtallorum forſitan partium conſtituentium rationem ſequuntur, quae ſeſe inuicem attrahunt atque repellunt. Scilicet eorum partibus Noſter fauet, qui cum NEWTONO praeter attractionis vim, repellendi quoque facultatem per vniuerſam naturam dominari arbitrantur.

p. 178. Cryſtalli, quae ex humidis diſſolutionibus emergunt, mox euaporatione, mox refrigerio obtinentur.

nentur. Vtroque modo ſalis cum aqua coniunctio ex parte dirimitur; atque ſecedentibus partibus ſalinis et in cryſtallos coëuntibus, relinquitur vt plurimum liquor, ex quo cryſtalli nullae poſſunt amplius effingi. Terrea tamen ſalia integra cryſtalliſantur. Notandum vero eſt, plerorumque ſalium faciliorem vberioremque diſſolutionem aqua feruida fieri. Atque inprimis omne ſalium genus, cui vel aquoſi principii vel *aquae* ſic dictae *cryſtalliſationis* larga copia contigit, feruida aqua facilius diſſoluitur, adeoque etiam per refrigerium in cryſtallos congelatur. Ad ea vero ſalia diſſoluenda, quibus neutrum aquae genus magna copia adhaeret, nihil intereſt, feruida an frigida aqua vtaris; eaque omnia non refrigerio, ſed euaporatione formas cryſtallorum induunt. Vtraque vero ſalia intra aquam ipſam ita coëunt in cryſtallos, vt primum aliqua particula ex ſolutione decedat, cui deinceps ſenſim ſenſimque plures moleculae grandiorem cryſtallum, ſi collectae fuerint, efformaturae, velut per ſtrata apponuntur. Aquam ſi ſpectes intra cryſtallos collectam, eius triplex genus eſſe invenies. Eſt ſcilicet, quae ad naturam ſalis pertinet, aqua, (*eau principe du ſel*) ita cum eodem coniuncta, vt abſque ipſius ſalis plenaria deſtructione auferri nullo modo queat. Alterum genus cryſtallis ſalium adhaeret, ideoque, cum et forma et pelluciditas ipſi debeatur, *aqua cryſtalliſationis* dici conſueuit. Salia, quae multa eiuſmodi aqua inſtructa ſunt, difficulter plerumque ea penitus orbantur; quibus vero parcior inhaeret, ea facilius defatiſcunt; indole tamen plane non mutata. Tertium aquae genus *a diſſolutione* Cl. Auctori dicitur, ideo, quod eius ope tum ſal ipſum diſſoluatur, tum peregrina admixta eluantur. Quaedam huius aquae portio intra lamellas cryſtallorum deliteſcit, atque

exſicca-

exſiccatione demum earumdem abſumitur. Hinc ſaepenumero ex diſſolutione ſalina, quae manifeſto vel in acidam vel in alcalinam indolem vergit, ſal perfecte neutrum deponi obſeruamus. Quin adeo crebro, vt cryſtalli naſcantur grandiuſculae, abundante vel acido vel alcali opus eſt; neque tamen abundans illud cryſtallos ipſas ingreditur, vti ROVELLIVS exiſtimauit, tartarum vitriolatum acido poſſe ita ſaturari ſeu potius obrui ratus, vt ſal inde enixum acido abundet. Cuius opinionem vt refellat Cl. Auctor, cryſtallos iſtas, in quibus acidum dominatur, omni illo abundante facillimo negotio exui poſſe monet, dummodo chartae bibulae imponantur. Idem experimentis aliis cum nitroſo et ſalino acido inſtitutis, conſtitit. Omnis itaque ROVELLII error in eo haerere videtur, quod aquam diſſolutionis, in cryſtallorum interſtitiis adhuc latentem pro abundante acido habuerat, quod ad naturam ſalis ipſius pertineret. Simul vero apparet ſedulo diſtinguendum eſſe inter aquam cryſtalliſationis et diſſolutionis.

p. 206. Singulare atque mirandum fere attractionis et repulſionis virium, cryſtalliſationem moderantium, argumentum in eo cernitur, quod ex ſalinis ſolutionibus ſal coagulari ſoleat in eo inprimis vaſis pariete, qui aliud vas eodem ſalis genere impletum attingit. Id in ſalis mirabilis GLAVBERI ſolutione fieri Cl. Auctor expertus eſt, quod nempe ei vaſis parieti ſeſe apponeret, qui iuxta vas aliud ſale mirabili plenum collocatus eſſet. Quod ſi contra huic diſſolutioni appropinquaretur lagena ſale tartari plena, in oppoſito latere cryſtalli emerſerunt.

p. 207. Cryſtallorum formationi motus vehementior aduerſatur; modicus eandem iuuat, ita, vt ſaepenumero a motu cryſtalli ſubito compareant. Caeterum eo ipſo momento, quo ſalia coagulantur, calor oritur;

oritur ſimili ratione, qua aquam, dum congelatur, calorem producere Cl. Auctoris tentaminibus conſtitit. Forſitan aqua ſalium, tum illa, quae principii munere fungitur (*eau principe*) tum quae cryſtallos conſtituit, in illis ipſis congelata eſt.

Muriae ſalium (*eaux-meres*) dicuntur liquores p. 214.
ab vniuscuiusque ſalis cryſtalliſatione relicti, nullasque cryſtallos amplius praebentes. Perperam vulgo dicuntur muriae nitri et ſalis marini, quae peregrinis ſalibus e. g. ſali marino calcareo et ſale GLAVBERI inquinatae ſunt. Nomen iſtud proprie illis tantum liquoribus conuenit, qui ex diſſolutione ſalis cuiusdam puriſſimi etiam relinquuntur, poſteaquam cryſtalli, quotquot formari poterant, inde emerſerunt. Salia mineralia atque metallica parcam, terrea fere nullam, vegetabilia copioſam muriam relinquunt.

Salium omnium, dum diſſoluuntur et depu- p. 216.
rantur, aliqua pars deſtruitur. Hinc accidit, vt inflammabilis materia expediatur, atque ipſo humoris receſſu in arctius ſpatium ſenſim ſenſimque redigatur; adeoque, quod remanet, fluidam formam aſſeruet *). Hinc ſalia vegetabilia, vtpote copioſiſſimo phlogiſto inſtructa, plurimum muriae relinquunt. Salium porro mineralium ſolutiones adſperſo vini ſpiritu copioſiorem et acriorem muriam praebent. Deſtructo vero et abacto phlogiſto abundante, muriae in cryſtallos cogi poſſunt. Nimirum pro diuerſa ſalium, quas continent, ndole vel, exſiccandae vel adeo vrendae ſunt. Sal ab hac operatione reſiduum atque denuo ſolutum, in cryſtallos formatum eſt egregie, ſecedente tamen terra copioſa. Nonnulla muriae genera e. g. ſalis SEIGNETTE, tartari tartariſati etc. poſt aliquod tempus ſponte cryſtallorum formas induunt.

*) v. ſupra p. 562.

Salium

p. 220. Salium contemplatione ad finem perducta, ad metalla Cl. Auctor accedit. Indolem et facultates, his omnibus communes, breuiter exponit, atque ſic praeparatis Lectoribus ſpecialem metallorum tractationem ab arſenico orditur.

p. 227. *Arſenicum* de ſalium et metallorum natura participat. Album nempe, quae calx eſt arſenici, ſexaginta quatuor aquae partibus ſolui poteſt, neque cum oleis iungi aſpernatur. Cum phlogiſto mixta atque ſublimatorio igne tractata, calx iſta in metalli ſpeciem tranſit. Idem fuſione cum ſapone nigro et ſale lixiuo obtineri poteſt. Regulus iſte metallicus ipſo arſenico albo volatilior eſt, prius nimirum aufugiens, quam calx phlogiſto non vnita auolet; cumque arſenicum album aquam puram pondere quinquies ſuperet, regulus octuplo ponderoſior eſt. Acido vitriolico perinde ac ipſa calx arſenici ſoluitur; vitriolum inde enaſcens excandeſcit ſuper igne, antequam aufugiat. Acidum nitri facile ſoluit, neutiquam vero acidum ſalis communis regulo affuſum, quod ne nitroſam quidem ſolutionem turbat. Alcali fixum ex ſolutione nitroſa puluerem album in acido nitroſo et liquore alcalino ſolubilem praecipitat.

p. 239. Lixiuium alcalinum tantam arſenici albi copiam diſſoluere poteſt, vt inde naſcatur maſſa fragilis, fuſca, ad aërem deliqueſcens, quam *hepar Arſenici* MACQVERVS dixit. Aqua ſoluitur, non penitus tamen; remanente quippe materia flocculenta prorſus non ſolubili et ne ſumma quidem ignis vehementia mutabili. Quod cum alcali minerali paratur hepar arſenici, in cryſtallos redigi ſe patitur.

p. 242. Arſenicum per detonationem non aequali nitri portione, ſi aëris acceſſum non prohibueris,

maſſam

maſſam praebet vitriformem, atque in aprico deliqueſcentem. Quod ſi vero, vaſis clauſis, ad hunc laborem vtaris, *ſal* relinquitur *neutrum arſenicale* candidum, conſtanter ſiccum, inque cryſtallos quadrangulares priſmaticas, vtroque apice faſtigiatas, coaleſcens. Acidum nitroſum aufugit, atque, cum aqua recipulo infundi ſoleat, coeruleo colore tingitur. Cryſtallorum forma admodum inconſtans eſt, cum eae, quae prima vice naſcuntur, ſupra dicto modo configuratae ſint; reliquae mox parallelepipeda, mox acus, mox quadrangula aut triangula referant. Sal iſtud absque deſtructione fundi poteſt, nec facile deſtruitur, niſi phlogiſton addideris, quo arſenicum ſtatim abigitur. Si loco nitri communis, cubicum adhibeas, ſal *neutrum arſenicale minerale* naſcitur, quod mox opacum redditur, humores ex aëre attrahit, atque aqua ſolutum vehementer incaleſcit. Sal ammoniacum ab arſenico plane non mutatur. At nitrum flammans deſtruitur, acido aufugiente, alcalina vero parte arſenico nubente. Sal iſtud neutrum arſenico ammoniacale cryſtallis aciculatis planis, ſeſe mutuo decuſſantibus, effloreſcit. Non quidem ab acidis mineralibus, ſed omnino ab igne dirimi poteſt haec arſenici et ſalis lixiui volatilis miſcela.

Regulus Cobalti grauitate ſpecifica admodum variabilis eſt, quod biſmutho, plerumque ei inhaerenti, tribuendum eſt. Vt plurimum tamen octies aquae pondus ſuperat. Vehementi demum igne funditur, et, ſi in loco aperto committatur prunis, maximam partem in auras abigitur. In vaſis clauſis auolare recuſat. Si ſpathula hoc metallum, dum vritur, agites, in calcem ignis violentia conuertitur. p. 256.

p. 259. Cl. Auctor hac opportunitate ductus, de metallorum calcinatione quaedam vniuerſalia proponit. Absque aëris vero acceſſu metalla in calcem redigi prorſus nequeunt. Atque facili patet negotio, cur D'ARCETVS metalla, globis ex maſſa porcellanea factis incluſa, in calces mutata eſſe compererit, dummodo hoc argillae genus aquam et acidum vitriolicum continere plurimum, quae facile poſſint quandam aëris ſpeciem in cauo globo circa metallum intus latens producere, adeoque huius combuſtionem adiuuare. Si enim omnis aër remotus fuit, integra metalla manent. Quo fortiore autem igne in aëre libero vruntur, eo difficilius calces illorum fundi ſeſe patiuntur, eo fixiores ſunt atque minus colore tinctae.

p. 269. Cobaltum raro ab omnium aliorum metallorum admixtione liberum eſt. Frequentiſſime autem bismutho inquinatum reperitur, quod ne fuſione quidem ſeparatur, licet acida mineralia id abripiant. Difficulter vero, nec niſi coctio accedat, in vitrioli acido concentrato cobaltum ſoluitur. Quae ſolutio, mox roſeo, mox viridi colore tincta poſt euaporationem, duo ſalia praebet alterum viride, alterum albeſcens, cubicum; illud cobalto, hoc bismutho debetur. Ex ſolutione nitroſa cobalti pariter operoſa per refrigerium enaſcuntur cryſtalli rubrae, priſmaticae coaceruatae, deliqueſcentes. Si multa aqua hanc diſſolutionem nitroſam diluas, bismuthum, quod forte adhaeret cobalto, deiicitur. Etiam in ſalis acido concentrato ſoluitur cobalti regulus, omnium optime vero aqua regis, cuius ſolutionis, quod notum eſt, ea indoles eſt, vt litterae ea ſcriptae in charta, primum quidem non appareant, calore vero accedente viriditate ſeſe manifeſtent. HELLOTO huius inuenti gloria debetur. Singulare vero hoc

eſt,

eſt, ſolutionem nitroſam et vitriolicam hac virtute non pollere, quae contra ſoli tributa eſt ſolutioni ſalinae; qua ſcriptae litterae colore viridiore, dum calefiunt, ſplendere ſolent.

Sal lixiuum ex acido vitriolico, quo cobaltum p. 283. fuerat ſolutum, puluerem album, ex nitroſo autem et ſalino rubellum aut purpuraſcentem deiicit. Alcali volatile autem ex vitriolica et ſalina ſolutione flauicantem, ex nitroſa, coeruleſcentem calcem praecipitat. Si plus fuerit additum ſalis volatilis, diſſoluitur rurſus, quod ſubſederat, liquore in coeruleum mox in purpureum eundemque conſtantem colorem vergente. Ab alcali abundante deturbatur rurſus puluis ferrugineus. Omnes iſtae calces pondus metalli, ex quo orti ſunt, excedunt, quod commune eſt calci cobalti cum reliquorum metallorum praecipitatis. Atque iſtud ponderis augmentum Cl. Auctor particulis phlogiſticis tribuendum eſſe cenſet, quae nempe ex menſtruis ſalinis ad calces metallorum accedere ſoleant.

Salis lixiui, gypſi calcinati, picis, minerae p. 288. cobalti partes aequales commixtae atque in crucibulo fuſae, in duplicem miſcelae ſpeciem coierunt. Altera nempe, cui ſulphuris hepar inerat, colore ſubobſcuro et fragmentorum forma bismuthum imitabatur: alteram, argenteo colore, ſatis denſam, quae in crucibuli fundum ſubſederat, Noſter Niccolum fuiſſe ſuſpicatur. Soluebatur autem citius hic regulus acido nitroſo, quam cobaltum. Quae ſolutio, per aquae affuſionem omni adhaerente bismutho orbata, ab adſperſo liquore alcalino volatili caeruleſcere viſa eſt, decidente ſimul puluere ex albo viridi. Potuit is denuo ſolui acido nitroſo atque flauo colore indutus ex eodem praecipitari affuſo, lixiuio ſanguinis. Super

igne autem ruber euaſit. Culter immerſus ſolutione cuprea cruſta obductus fuit. Caeterum neque in vitri coerulei ſpeciem regulus ille abiit, neque eius ſolutio acido ſalino mixta *atramentum ſympatheticum* praebuit. Ex quibus omnibus conſtare Noſtro videtur hunc regulum ex ſulphure, arſenico, bismutho et cupro conflatum eſſe.

p. 290. Citius fundebatur cobaltum cum gypſi calcinati, picis, minerae cobalti vſtae, ſingulorum vnciis quatuor, quando ſex vnciae ſalis lixiui fuerant admixtae. Inde omne metallum ſulphuris hepati ſeſe iunxit, regulumque lamellatum aureo ſplendore coruſcum, micaceum, ſcoriis innatantem praebuit, qui ex aëre attracto humore deliquium paſſus eſt, ſolutio eiusdem aquoſa viridis erat fruſtulis micantibus plena. Absque acidorum auxilio cobaltum ſulphure hic obnuptum extrahi nequit. Scoriae, ab hac fuſione cobalti cum hepate ſulphuris reſiduae, poſtquam aqua ſolutae fuerant, intra vnius anni ſpatium cryſtallos formarunt quadrangulas planas, in marginibus ſingulis acuminatas ita, vt apex alterius lateris in ſuperiore, alter alterius in interiore ſuperficie eſſet. Sal iſtud pellucidum perfecte neutrum ſuper igne crepare atque, poſtquam excanduit, fundi ſolet, nullis tamen exhalatis vaporibus. Cum carbonum puluere mixtum in hepar ſulphuris abit. Ex aqua, quae ſuper hoc ſale ſteterat, adſperſum acidum quodcunque, pulverem rubellum ex ſulphure et cobalto conſtantem, detruſit. Quo ſeparato, humor adhuc ſuperſtes euaporatione abſumptus, ſal elaſticum granulatum, micae panis ſimile, reliquit.

p. 292. Reguli cobalti, ea, quam modo enarrauimus, ratione praeparati, longe citius funduntur regulo puro; quo magis vero ſulphure deſtituuntur, eo difficilius fluunt. Quantumuis autem ita vſſeris

eiusmodi

eiuſmodi regulum, vt nunc purum aemuletur, delitеſcit tamen ſemper magna ſatis ſulphuris portio, totius ponderis fere vnam ſextam partem aequans. In calcem adeo redigi, quam omni ſulphure exui, mauult ille regulus. Dum acidis ſoluitur, ſulphur decidit. Solutio, biſmutho et arſenico aquae affuſae ope exuta, ab alcali fixo turbatur, delabente ſcilicet puluere rubro, qui cum fluxu extemporali ſuper igne funditur quidem, ſed metallicam formam aſſumere reſpuit. Absque fluxu in vitrum intenſe coeruleum conuertitur. Cum alcali fixo cobaltum ſulphuratum in maſſam micaceam abit, quae aëri expoſita diffluit. A nitro deſtruitur, magna parte reguli in calcem mutata. Exiguus, qui elicitur regulus metallicus, a ſulphure nondum eſt immunis. Tandem ne ipſum quidem arſenicum omne ſulphur ex cobalto ſulphurato ſecum abripit.

Metallum *Niccoli* nomine a mineralogis p. 300. inſignitum, ex omnibus fere cobalti mineris poteſt hepatis ſulphurei ope fuſione elici. Cl. Auctori miſcelae quoddam genus eſſe videtur ex metallis variis conflatum; eamque ſententiam ipſis ſignis confirmari exiſtimat, quibus Cl. CRONSTEDTIVS a reliquis metallis niccolum diſcerni voluit. Ferro, cobalto, ſulphure et arſenico plerumque ipſi admixtis crebrius iterata calcinatione et fuſione orbari poteſt. Regulus niccoli excandefactus igne, liqueſcit atque funditur, auolat ex parte ſub ſpecie fumi albicantis. Reliqua pars in calcem nigram continuo igne conuertitur. Acido nitroſo, ſalino, et aqua regis diſſolui ſe patitur. Viridem colorem affectant hae ſolutiones nigrumque puluerem demittunt. Alcali volatile easdem coeruleo colore tingit, quemadmodum etiam, qui ſalis lixiui ope deturbatus fuit, puluerem viridiuſcu-

 lum

lum ſoluit. Sulphuris ſatis auidus eſt niccoli regulus, cumque illo commixtus durior flauidiorque euadit. Igni tunc expoſitus, ſcintillas ſpargit fulgidas. Nec non hepati ſulphuris miſceri poteſt, producta inde maſſa metallica ex viridi flaveſcente, cupri mineram referente.

p. 305. *Regulus antimonii* vehementiore igne excandefactus, in vaſis clauſis auolat. Vbi vero aëri acceſſus patet, in flores niueos, aciculatos, micantes conuertitur; quos ita parari commodiſſime Noſter ſuadet, vt crucibulum, quo continetur metallum, inclinato ſitu ſuper igne collocetur atque extra furnum parumper emineat, impoſito alio crucibulo ſubinde mutando, quod flores in ſe recipiat. Granum dimidium florum aquae vnciis octo ſoluitur.

p. 309. Quod ſi autem, lento igne aëre non excluſo, regulus antimonii vritur, griſea calx inde naſcitur, ipſo regulo volatilior, facilius in flores convertenda atque eadem, qua flores, aquae copia ſolubilis.

p. 312. Acidis difficulter ſoluitur regulus antimonii, omnium optime tamen aqua regis ex acidi ſalini ſingula nitroſi quatuor partibus, ita vt metallum minutim conciſum ſenſim ſenſimque iniiciatur.

p. 320. Non eodem ſemper ignis gradu calx antimonii in vitrum conuertitur. Quando vero difficulter fluit, Cl. Auctor fuſionem antimonii crudi mica exigua adiuuari poſſe expertus eſt, atque tunc praeter vitrum aliquot grana reguli in fundo vaſis reperiri.

p. 325. Duplex eſt *kermes minerale* praeparandi ratio. Atque illud quidem quod fuſione paratur, additione pauci ſulphuris inter fundendum opus habet, quo ſulphuris particula ab ignis ardore difflari ſolita compenſetur, et hepar ſulphuris, quo metallica

tallica pars omnis ſolui debet, ſufficiat. *Sulphur antimonii auratum*, ſi a diuerſo praeparandi modo ſeceſſeris, cum kermes minerali prorſus conuenit. Videtur autem in vtroque praeparato regulina pars ſulphuri multo laxius adhaerere, quam in antimonio crudo, cum illa emetica virtute polleant, qua deſtitutum hoc eſt. Alteram kermes mineralis ſpeciem notiſſimam illam coctione cum alcalino liquore paranda, LEMERIO Cl. Auctor vendicat, cui inuentionis gloriam Carthuſiani praeripuerant, pharmacopolae cuidam GLAVBERI diſcipulo illam tribuentes. Alcali cum antimonio crudo coctum, cauſticam indolem acquirit, neutiquam vero ſi cum regulo coquatur. Ipſum lixiuium ſaponariorum cum antimonio coctum, affuſo acido ſulphur antimoniatum praebet, quod tamen a praecedente terrae calcareae praeſentia differt. Nec non ex ſcoriis, quae ſub reguli antimonialis ex antimonio crudo praeparatione oriuntur, kermes minerale et ſulphur antimonii auratum elici poteſt. Vtrumque vero, ſi vritur, calcem antimonii praebet, ex qua deinceps, addito phlogiſto, regulus antimonii reſtitui poteſt.

Regulum ex antimonio diaphoretico reſtituere difficillimus labor eſt. Quem cum aliquando GEOFFRAEVS ſuſciperet, calcem illam vehementi igne cum ſapone nigro vrens, aperto poſt quinque horas crucibulo, iamiam refrigerato, vidit materiam cum ſtrepitu ac odore ſulphureo flamma conſumi. Aqua ſolui poſſe antimonium diaphoreticum, ROVELLIVS auctor eſt. Ex cunctis antimonii praeparatis fieri poteſt, dummodo phlogiſton omne abigere memineris. p. 348.

Sal ammoniacum aqua ſolutum cumque antimonio per aliquod tempus digeſtum aliquam p. 352.

P 5 metalli

metalli portiunculam ſoluit. Sal inde productum coloris eſt ex coeruleo albidi.

p. 355. Zincum inter omnia metalla tenaciſſimum eſt; hinc cum in mortario vix contundi poſſit, ſatius eſt illud igne liquatum aquae infundi atque ſic in granula redigi. Lento igne in griſeam calcem mutatur, quae, addito phlogiſto, formam metallicam facile recuperat: vehementiore autem igne inflammatur et in calcem niueam difficillime reducendam conuertitur. Calx iſta *florum zinci* nomine vulgo cognita, ipſo zinco ponderoſior eſt, ita vt ſedecim metalli vncias, poſtquam in flores conuerſae fuiſſent, ſex drachmis et quinquaginta quatuor granis auctas fuiſſe Noſter repererit. Ipſi autem flores flammae tantum impetu fugantur, per ſe enim igni expoſitae in auras abripi nequeunt. Neque vehementiſſimo igne funduntur, metallum vero ex iis, addito phlogiſto, non, niſi in vaſis accurate clauſis, poteſt reſtitui.

p. 359. Omnia acida mineralia Zincum facile ſoluunt. HELLOTO auctore omnium plurimum ſoluit acetum deſtillatum. Atque ex hac ſolutione, dum deſtillatur, liquor aethereus inflammabilis, deinceps flores albi pariter flamma coerulea flagrantes, tandemque oleum flauo aut viridi colore tinctum aſſurgit. Idem contingit cum florum zinci ſolutione. MALOVINVS zincum ab alcalinis ſalibus tam volatilibus, quam fixis ſolui contendit. Neque cum ſulphure neque cum ſulphuris hepate miſceri poteſt: fuſum cum alterutro, a particulis peregrinis metallicis liberatur. Cum nitro detonat flamma fulgidiſſima; reſiduum alcali aqua ſolutum Gallis dicitur *alkaheſt de Reſpour.*

p. 367. Cum arſenico zincum via humida miſceri nequit. An fuſione poſſint iungi dubium adhuc eſt.

eſt. Certe MALOVINI experimenta nihil aliud efficere videntur, quam hoc; paruam arſenici copiam zinco tenacitatem ſuam et ſplendorem demere. Cum regulo antimonii combinari poteſt, non vero cum regulo niccoli et antimonio crudo.

Bismuthum in vaſis clauſis ignitum adſcendit integrum. Ponderis augmentum, quod calci accedit, in ratione eſt $20\frac{34}{68}$: 19. Vehementiore igni vſtum flammula coerulea flagrat hoc metallum, ſurgente fumo craſſo luteo. Sic maxima eiusdem portio in flores abſumitur luteos. In vniuerſum autem calx biſmuthi omnis ab igne ſe fugari haud patitur; in vitrum potius pellucidum atque flauum abiens. p. 372.

Hydrargyrum per ſe calcinatum (*Mercurius praecipitatus per ſe*) vna decima parte metalli pondus ſuperat. In vaſis clauſis ſub cryſtallorum rubrarum ſpecie rubinorum inſtar adſcendit, nec absque phlogiſti additione in metallicam formam redit. p. 390.

Mercurius a calore ita extenditur, vt vehementi ardore vſtus, vaſa ferrea, quibus incluſus eſſet, magno cum fragore rupiſſe viſus fuerit. p. 393.

Mercurii in acido nitroſo ſoluti color ab initio coeruleus eſt, donec acidum prorſus metallo ſaturatum eſt. Inde per refrigerium cryſtalli aciculatae enaſcuntur, quae, in ipſo balneo arenae refrigerato liquore, ad perpendiculum poſitae ſunt, contra vero, ſi ab igne ille ſublatus fuit, proſtratae iacent. Relinquitur muria coloris vinoſi, ex qua aqua deſtillata affuſa puluis mercurialis flavus, turpetho ſimilis ſubſidet. Poteſt autem corroſiua nitri mercurialis indoles mitigari partim eius in charta bibula exſiccatione, partim ſolutionibus in aqua ſaepius repetitis. Ex his per euaporationem progignitur ſal cryſtallorum cubicarum p. 403.

ſpecie,

ſpecie, aqua parum ſolubile; eademque ſi dilutum fuerit, puluerem flauum demittens. Alcali fixum, lateritium, vitriolica ſalia, flauum puluerem ex nitroſa mercurii ſolutione deiiciunt. *Mercurius praecipitatus ruber* ab igne ſubitaneo deſtruitur ita, vt ſecedat acidum vaporum rutilantium ſpecie, et aliqua metalli portio reſuſcitetur; lente vero administrato igne acidum fugatur quidem, mercurius vero non reſtitutus intra vnius fere menſis ſpatium in calcem rubram conuertitur, quae etiam ab igne deſtillatorio attolli ſe patitur, mercurioque per ſe praecipitato omnino ſimilis eſt.

p. 410. Mercurius, Auctore HOMBERGIO, acido ſalis per ſe ſolui poteſt, dummodo per ſat longum tempus cum eo digeſtus fuerit. *Mercurius praecipitatus albus. Mercurius ſublimatus corroſiuus.* Eius drachmae duae cum granis duodecim calore modico vnciis aquae purae quatuor ſolui poſſunt. Cum balneis optimo cum fructu Noſter illo vſus eſt, in morbis venereis. Triginta fere balnea ei ad ſanationem viſa fuerunt ſufficere. Nunquam ſaliuae fluxum inde oriri expertus eſt, vergente potius medicamenti virtute ad aluum et veſicam. Gingiuae tamen intumeſcunt, percepto ſimul metallico ſapore.

p. 420. *Mercurius dulcis.* Crebrius repetita huius ſalis ſublimatio plus nocet, quam prodeſt. Quauis enim vice aliqua mercurii particula euoluta abigitur; quo fit, vt mercurius dulcis, acido ſalis iam non prorſus per metallum ſaturato, plus minusue de mercurii corroſiui indole participet. In panum ſublimatorum mercurii dulcis ſuperficie puluis ex mercurio corroſiuo et dulci mixtus reperitur. Poſſunt vero vterque a ſe inuicem ſeparari affuſa aqua, qua corroſiuus ſoluitur, dulci integro relicto. Acidum ſalis cum mercurio nullo modo ita iungi poteſt,

teſt, vt ſal inde oriatur, quod plus mercurii, quam ſublimatus corroſiuus et minorem metalli copiam, quam ſublimatus dulcis contineat. Semper enim vtrumque ſal ſeparatim ſublimatur. Hinc etiam fieri non poteſt, vt aequales mercurii ſublimati corroſiui et dulcis portiones per ſublimationem inter ſe in vnum ſal coëant. Optime itaque mercurii dulcis innocentiae conſulitur, ſi loco repetitarum ſublimationum, ille aqua feruida, cui paucillum ſalis ammoniaci admiſtum fuit, lotus ſuper porphyrio denuo trituratur. Parum enim in ſoluendo mercurio dulci poteſt ſal ammoniacum.

Per alcali tum fixum, tum volatile mercurius p. 432. ſublimatus corroſiuus deſtruitur. Idem ſulphuris hepate adiecto contingit, acido ſalis alcali fixum ſulphure autem mercurium aggrediente. Acidum nitroſum, dum feruet, mercurium corroſiuum ſoluit; cryſtalli vero ex hac ſolutione per refrigerium enaſcentes non aliae ſunt, quam ipſius mercurii corroſiui. Cum ſale ammoniaco is tam arcte iungitur, vt neque cryſtalliſatione, neque ſublimatione a ſe inuicem poſſint ſeparari. Adiuuatur autem mercurii ſublimati in aqua ſolutio addito ſale ammoniaco; ita, vt tres aquae vnciae, nouem drachmis ſalis ammoniaci foetae, quinque mercurii vncias in ſe recipere poſſint. *Butyrum antimonii*, interdum parallelepipedorum formam affectat; dum ſcilicet refrigerio inſpiſſatum fuit. Acidum nitroſum ei affuſum reguli antimonii in aqua regis diſſolutionem ſiſtit; quae tamen intra paucos dies albeſcit, calce antimonii paullatim ſedente. Caeterum decima fere acidorum pars vaporibus abſumitur, dum illa inter ſe miſcentur, aſſurgentibus. Mercurius ſublimatus corroſiuus cum biſmutho deſtillatus ſpeciem quandam *butyri Biſmuthi* praebet.

HOM-

p. 451. HOMBERGII experimentis conſtitit, mercurium aqua regis ſolui poſſe; praecipitari deinceps puluerem album, qui tandem rurſus ſoluatur. At vero aqua regis non qua talis hic agere videtur. Ab initio nempe mercurius acido nitroſo ſoluitur; deinceps vero cum acido ſalis combinatus ex ſolutione delabitur; tandemque ab aqua, quae menſtruo admixta eſt, iterum ſuſcipitur. Arguit hoc cryſtallorum ex euaporata ſolutione prodeuntium indoles; in quibus quippe ne minimum quidem acidi nitroſi veſtigium apparet.

p. 452. Acetum deſtillatum non quidem hydrargyrum ipſum, ſed tamen calcem illius ſoluit. Ex hac ſolutione per refrigerium cryſtalli micaceae ſplendidae naſcuntur.

p. 456. Ab alcalinis ſalibus hac ſola ratione ſolui poteſt mercurius, vt eius ſolutioni nitroſae alcalinus liquor ſenſim ſenſimque inſtilletur, donec mixtum fluidum ad alcalinam naturam omnino inclinaſſe videatur.

p. 462. Vt hydrargyrum ex cinnabari deſtillatione eliciatur, limatura martis adiici plerumque ſolet, etſi alcalia terraeque calcareae idem efficiunt. Hoc vero plane ſingulare eſt, odorem alcalinum volatilem ſurgere, dum cinnabaris cum marte deſtillatur. Alcali cinnabarim humida etiam via deſtruit, quod eo magis mirandum eſt, cum Cl. Auctor expertus ſit, aethiopem, et poſt aliquot annos cinnabarim, ex mixtis inuicem atque coctis hepate ſulphuris et hydrargyro ortum fuiſſe. Idem contingit, ſi hepati ſulphuris volatili aut ipſum hydrargyrum aut eius varia praeparata e. g. vitriolum mercuriale, turpethum minerale, ſolutio mercurii nitroſa, mercurius praecipitatus ruber aut ſublimatus corroſiuus admiſcetur, ita vt cinnabaris inde mox in-

tra

tra breuius, mox intra longius temporis ſpatium oriatur.

Tinctura mercurialis Comitis DE LA GARAYE ex vna mercurii viui, quatuor ſalis ammoniaci partibus inuicem exacte tritis et cum ſpiritu vini ſuper igne digeſtis paratur. In morbis venereis, ſingula vice guttae huius tincturae decem aut duodecim cum tribus aut quatuor aquae cyathis exhiberi poſſunt. Aluum vix mouet, forſitan ſaliuae fluxum parumper adiuuat. p. 469.

Cum regulo Cobalti, antimonii et niccoli mercurius ſeſe combinari haud patitur. POTTIVS tamen regulum antimonii cum calce paratum refert mercurio miſceri poſſe. MALOVINVS antimonio crudo iunxit tam trituratione, quam fuſione. Quae tamen experimenta accurate inſtituta fuiſſe Noſter negat; quippe cum ipſe viderit, mercurium ne diuturna quidem trituratione cum antimonio plane extingui poſſe, neque eandem cum ſulphure antimonii aut ipſo antimonio miſceri. Idem MALOVINVS zincum et mercurium fuſione miſcuit, nactus inde miſcelam variae duritiei pro diuerſa ſingulorum inter ſe proportione. p. 470.

Stannum malleo cuſum rigeſcit fragiliusque redditur; calefactum vero priſtinam tenacitatem atque mollitiem recuperat. Videtur autem in vniuerſum metallorum elaſticitas in duritiei et eius, qua citius tardiusque fundantur, facultatis ratione eſſe, ita, vt, quae duriora ſint, difficiliusque fundantur, ea ſub ictibus mallei rigidiora fiant et maiorem acquirant elaſticitatem. Veroſimile autem eſt, metallorum, quae cuduntur, particulas in anguſtius volumen cogi; teſtante id pondere ſpecifico, quo illa metallis fuſis antecedunt. p. 474.

Exiguo

p. 475. Exiguo calore ſtannum liquatur; dum excandeſcit, flamma ſurgit fulgida, adſcendentibus ſimul floribus albidis. MARGGRAFIVS candidam calcem, quae in vaſe exacte clauſo, ipſo ſtanno integro relicto, adſcenderat, arſenicum fuiſſe exiſtimat. Vehementiſſimo igne adhibito, apparuerunt in crucibulo, cui ſtannum inditum fuerat, duo florum genera; alterum aciculatum candidum, alterum braſſicae capitatae floribus ſimile, coloris lateritii: praeterea calx pulueruleuta alba, et ſub ea vitrum hysgini coloris, relicta ſubtus ſtanni non mutati portiuncula. Acido vitriolico ſuper igne ſtannum ſoluitur, naſcentibus inde, poſt aliquot dierum refrigerium, cryſtallis. Nitroſo corroditur ſaltim cum feruore. Solutio ſtanni, cum acido ſalis in arenae balneo facta, vapores ſpargit arſenicales; per euaporationem in cryſtallos ſplendidas aciculatas cogitur. Earum duplex genus eſt, alterum candidi, alterum roſei coloris. Si magna huius ſalis copia ſimul paratur, cryſtalli micaceae ſunt, ſali ſedatiuo ſimiles. Aqua regis ſtannum facillime aggreditur atque ſoluit. Paullo tardius autem in hoc labore verſandum eſt, alias acidi nitroſi praepotens efficacia metallum absque diſſolutione corrodit. Tandem aceto quoque ſtannum ſolui poteſt. Caeterum hoc notabile eſt, calces ſtanni, ex ſolutionibus eiusdem acidis delapſas, longe difficilius poſſe in metallum conuerti, quam quae vſtione paratae fuerunt.

p. 498. Cum arſenico facillime ſtannum fuſione combinatur. Labor iſte tunc maxime ex voto procedit, quando ſal neutrum arſenicale adhibitum fuit. Regulus ſtanni inde natus, fragilis admodum et lamelloſus eſt, neque funditur, niſi igne rubens. Arſenicum omne ne vehementiſſimo

mo quidem igne ex hoc metallo ſeparari poteſt. Neque cum regulo Cobalti Niccoli et Antimonii coniunctionem inire ſtannum reſpuit; ex antimonio crudo autem ſulphur ad ſe rapit. Fuſum cum Zinco praebet metallum pro diuerſa vtriusque proportione plus minusue durum atque ductile.

Plumbum fuſum paullatimque refrigeratum, p. 512. ſi ferro pulſatur, tinnit; cuſum vero hac facultate deſtituitur. An ab aqua pura ſolui aut corrodi poſſit dubium adhuc eſt: aquae ſeleniticae aliquantum omnino ſoluunt, donec recens plumbum eſt, nec terra iamiam incruſtatum. *Nitri ſaturnini* cryſtalli triangulares ſunt, angulis truncatis. Puluis griſeus ex ſolutione plumbi nitroſa delabi ſolitus, cum mercurio nihil commune habet, quod chemici nonnulli ſomniarunt, ſed plumbum eſt ſemicalcinatum. *Vitriolum plumbi*, cuius cryſtalli ſpicula referre ſolent, non modo acidi vitriolici ope, verum etiam ſalibus vitriolicis mediis adhibitis ex nitroſa plumbi ſolutione praecipitatur. Eadem ratione *plumbum corneum* cum acido ſalis naſcitur. Cum vero ex huius diſſolutione aquoſa, affuſo acido vitriolico, decidat vitriolum ſaturninum; apparet ſummam eſſe plumbum inter et vitrioli acidum affinitatem. Aqua deſtillata in parando *magiſterio plumbi* nihil valet; ſic potius id confici debet, vt nitroſae plumbi ſolutioni alcali purum affundatur. Saccharum ſaturni a ſalibus vitriolicis deſtruitur; acido vitriolico, plumbum, acetoſo vero alcali ſalis vitriolici arripiente.

Plumbum cum Zinco et Cobalto fuſione p. 538. miſceri nequit. Cum antimonii regulo diuerſas progignit metalli ſpecies, pro varia plumbi et reguli antimonii inter ſe proportione duriores aut molliores.

p. 544. Calces *ferri*, quas *crocos* vulgo dicunt, colore variant pro diuerſa metalli puritate. Ferri puriſſimi calx coccinea eſt, neque colorem iſtum igne vehementiori adhibito exuit.

p. 550. *Chalybis* conficiendi modum triplicem Cl. Auctor ex REAVMVRIO enumerat. Mox nempe ex ferro fuſo (*fer de greuſe ou de fonte*) extra furnum refrigerato, mox ex tali, quod intra furnum ipſum refrigeratum eſt, mox denique in ferro cuſo (*fer forgé*) cum cemento quopiam ignitus paratur, eaque chalybis ſpecies praeſtantiſſima eſt. Cementum duplex REAVMVRIVS propoſuit, alterum ex vſtae fuliginis ſedecim, carbonum contuſorum octo, cineris totidem et ſalis communis quinque vnciis; alterum ex cinerum, fuliginis et carbonum ſingulorum octo, ſalis marini quatuor vnciis. Ad ſingulam ferri libram vnciae binae cum drachmis tribus alterutrius cementi requiruntur. Ex eodem Auctore ſeptem ferri genera deſcribuntur, ex quibus, quod diffractum neque lamellarum neque granulorum ſpecies affert, chalybem praeſtantiſſimum progignit. Experimentis circa cementa varia inſtitutis effectum eſt, ea eſſe optima, quae plurimum materiei purae inflammabilis praebeant, inter ſalinas vero ſubſtantias ſal commune reliquis eſſe praeſtantiſſimum. Ferrum cuſum; ferro fuſo, dum fluit, immerſum, in chalybem idoneum conuertitur. Notatu denique et hoc dignum eſt, chalybem, tam pondere, quam volumine ferrum exſuperare; ita vt non poſſimus non ſuſpicari, acceſſiſſe aliquid ex cemento ad ipſam ferri ſubſtantiam. Extinctionem chalybis igniti plurimum poſſe ad maiorem duritiem ipſi conciliandam, nemini ignotum eſt. Varii huius extinctionis modi ab Auctore Noſtro recenſentur. Solet autem eo durior chalybs fieri, quo

quo magis igne excanduit et frigidior fuit aqua. Prae reliquis id extinctionis genus notabile eſt, quod Gallis *trempe en paguet* dicitur; immergitur nempe aquae frigidae chalybs in pyxide cum cemento concluſus atque ignitus. Non admodum vero neceſſarium eſt aquae ad chalybis extinctionem adhibendae quicquam adiici. REAVMVRIVS experimentis cognouit ad chalybis extinctionem ſpiritum vini et oleoſa omnia minus idonea eſſe ipſa pura aqua; huius vero virtutem in hac re aequare acetum vini ſuccumque raparum. Aquae forti immerſus chalybs parum ignitus, tantam aſſequitur duritiem, vt lima amplius tractari recuſet. Quod ſi denique ad naturam chalybis ipſam reſpicimus, Noſter ferro cuiuis aliquantum ſulphuris aut calcis ferri non metallici inhaerere arbitratur, quod vſtione cum cementis inſtituta partim deſtruatur, partim in metallum abeat.

Vitriolum martis dum aqua ſoluitur ſemper p. 570. aliqua ochrae martialis portione deſtituitur, quae fundum vaſis petere ſolet. Id prohibendi duplex ratio eſt; nimirum aut acidi vitriolici tantillum affunditur, aut ſolutio aliquoties coquitur. Ex aqua ad colcotharis vitrioli lotionem adhibita ſal quoddam euaporatione obtinetur, micaceum, in quo partim terreae, partim ferrugineae baſi acidum adhaeret. Vitriolum cum inflammabili quadam materia vſtum pyrophorum producit, vulgari tamen inferiorem.

Calces ferri materiam inflammabilem, qua p. 582. priuatae fuerunt, facillime recuperant, dummodo cum oleo vel pinguedine igni committantur, ita tamen, vt aëris acceſſum remoueas. MAIAVLTIO medico Pariſienſi hoc inuentum debetur.

Crocus martis aperitiuus STAHLII, qui ex p. 590. *tinctura martis alcalina* affuſo acido nitroſo decidit,

a magnete quidem non attrahitur, acidis vero ſolvi poteſt. Nitroſa eius ſolutio coloris ſtraminei eſt, qui in nulla alia martis ſolutione obſeruari ſolet.

p. 591. Vapores ex ſolutione martis in acido ſalino prodeuntes allium redolent flammaque admota cum ſtrepitu accenduntur.

p. 596. *Lixiuium phlogiſticatum* ſ. *ſanguinis*, quo affuſo ex ſolutione vitrioli martis *coeruleum Berolinenſe* praecipitare neminem fugere arbitramur, carbonum vegetabilium ope haud infeliciore cum ſucceſſu, quam cum carbonibus ex animali regno petitis praeparari poteſt; in illis tamen vehementiore igne, quo vrantur, opus eſt. Caeterum nulla eſt aluminis in conficiendo coeruleo Berolinenſi neceſſitas; neque, vt color eius fiat floridior, ad ſalis acidum refugiendum erit, dummodo lixiuio ſanguinis, antequam cum vitrioli ſolutione confundatur acidum qualecunque adſperſum fuerit. In coerulei Berolinienſis natura explicanda, Noſter MACQVERVM ſequitur, qui ferrum hac operatione phlogiſto abundanti onuſtum reddi exiſtimat; repudiatis GEOFFROY et MAINONII opinionibus quorum alter ſanguinis oleoſam partem bituminoſo ferri principio iunctam coerulei coloris cauſſam eſſe autumabat; alter vero colorem ferri proprium et natiuum quaſi hoc labore reſtitui volebat, dum nempe ferrum liquore alcalino phlogiſticato praecipitatum omni materia aliena et ſalina alias ipſi adhaerente priuaretur. Poſſet forſitan absque vitriolo fieri coeruleum Berolinenſe aethiope vel limatura martis et lixiuio phlogiſticato, inuicem commixtis atque per ſat longum tempus digeſtis. Per deſtillationem ex coeruleo Berolinenſi alcali volatile tam fluidum, quam ſolidum et oleum empyreumaticum elicitur; atque idem

idem ſemper huius laboris eſt euentus, ſiue animalem ſiue vegetabilem carbonem in lixiuio ſanguinis parando adhibueris. Coeruleum Berolinenſe ab affuſo lixiuio alcalino omni orbatur colore; liquor filtratus *alcali phlogiſto ſaturatum* (*alcali Pruſſien ſaturé*) ſiſtit, ſuccineo colore tinctum flores perſicae redolens, alcalinam naturam neque ſapore neque efferueſcentia cum acidis, neque coloris coerulei vegetabilium mutatione prodens; omnia tamen metalla ex ſolutionibus acidis deturbans. Semper tamen huic lixiuio phlogiſticato aliqua coerulei Berolinenſis particula ineſt, quae, adſperſo acido, manifeſtatur. Tutiſſima vero ratio illud ab omni coerulei Berolinenſis admixtione liberandi eſt, ſi acetum deſtillatum affundas, quod acidi genus nullo ferro adulteratum eſſe ſolet; deinceps vero omni peregrina ſubſtantia excluſa tantum ſalis lixiui addas, quantum ad ſaturandum acidum ſufficiat.

Sulphuris et ferri aquae adminiculo inter ſe p. 608. mixtorum ſpontaneum incendium plurimi Auctores a frictione particularum deriuare conati ſunt. Quorum ſententiae haud ſuffragatus Noſter, illud incendii phaenomenon aliunde potius repetendum eſſe cenſet. Cum nempe aquae magna erga ferrum, nec minor ſit ferri erga ſulphur propenſio, efficitur inde, vt ferrum, ab aqua corroſum diuiſumque ſubtiliſſime, ſulphur aggrediatur, quod, hac ratione euoluta aliqua phlogiſti ſui portione vehementer immutatur. Dum itaque ignis paullatim extricatur, calorque identidem augetur; fieri non poteſt, quin aqua vaporibus abſumatur, atque tandem exſiccata materies prae ſummo calore, ſulphur, quod a ferro nondum fuit deſtructum, flamma manifeſta deflagret. Terrae motus atque concuſſiones a ſimili cauſſa pendere viden-

tur. Caeterum et hoc notabile eſt, ferrum, ſi igne probe excandefactum eſt, ſtatim adſperſo ſulphure colliquari.

p. 616. *Crocus Martis* ZWELFERI ex nitri cum ferro detonatione ortus. *Flores ſalis ammoniaci martiales* falſo plerumque ita praeparantur, vt plus ferri, quam ſalis ammoniaci adhibeatur. Namque cum ferrum dirimere ſoleat coniunctionem, quae inter alcali volatile et acidum ſalis eſt, cauendum erit, ne ferrum prae ſale ammoniaco dominetur. Id enim tantum, quod ferri vim eludit, in flores compingi ſolet.

p. 621. Ferrum cum arſenico, regulo cobalti, niccoli et antimonii coniungi poteſt. Cum biſmutho, plumbo, et mercurio combinari recuſat. Mercurium ſublimatum corroſiuum humida via in partes ſuas conſtituentes reſoluit. Zinco perinde ac ſtanno imbracteari atque hac ratione a rubigine defendi poteſt.

p. 632. *Cuprum* vehementiſſimo igne tortum flamma coerulea flagrat, floribus ſimul auolantibus ex viridi cinereis.

p. 648. Quod cuprum ex ſolutionibus ſuis ferri adminiculo ſub forma metallica praecipitetur, ferroque immerſo apponatur, id Noſter abundanti ferri phlogiſto, quod cupro ſoluto ſeſe admiſceat, tribuendum eſſe cenſet.

p. 656. *Cuprum album* ex cupro et arſenico fabrefactum diutius protracta atque iterata fuſione mollitiem et tenacitatem, quam perdiderat, recuperat, conſtante tamen colore argenteo.

p. 658. *Metallum Principis* ROBERTI et *aurichalcum*, (*Tombac, ſimilor, cuivre iaune*) ex cupro, quod notum eſt et zinco fiunt. Quo plus, cupri additum fuit, eo obſcurior color eſt. Vehementi igne zincum omne abigitur ſuperſtite cupro rubro ſincero.

ſincero. Arſenico pallidior color huic metallo conciliatur.

Cum bismutho, Auctore GELLERTO cuprum coniungi poteſt. Mercurium ex acido nitroſo ſub metalli ſpecie deiicit. Dirimit etiam eiusdem cum acido ſalino coniunctionem. Cum ſtanno mixtum rigeſcit, fragiliusque redditur. Oriuntur inde varia metalli compoſiti genera ad campanas, et tormenta bellica idonea. Cum ferro Noſter cuprum nunquam fuſione miſcere potuit. p. 662.

III.

Icones plantarum ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, in ducatibus Sleſuici et Holſatiae, et in comitatibus Oldenburgi et Delmenhorſtiae: ad illuſtrandum opus de iisdem plantis, Regio iuſſu exarandum, florae Danicae nomine inſcriptum; editae ab eius operis Auctore GEORGIO CHRISTIANO OEDER. Volumen tertium, continens Faſciculos VII. VIII. IX. ſeu Tabulas CCCLXI—DXL. Hafniae. Typis Claudii Philiberti 1770. Volumen quartum, continens Faſc. X. XI. XII. ſeu Tabulas DXLI-DCCXX. ibid. 1777. fol.

Splendidi huius operis continuationem indicaturi id, quod iam alibi enarrauimus *), repetamus, Ill. O. F. MÜLLERVM a faſciculo XI. eius editionem curaſſe, atque ita diligenter, vt eadem elegantia atque cum ipſis plantarum prototypis conuenientia

*) vid. Comm. Noſtr. Vol. XXI. p. 173.

venientia confectas reperiamus icones, qua ſe priorum voluminum commendarunt tabulae. Exceptis enim paucis quibusdam, quarum color a naturali plantarum nonnihil recedit, imaginibus, omnes plantas ita bene repraeſentant, vt primo intuitu easdem cognoſcas. Eadem etiam eſt adhibita ſolertia in florum partibus ſexualibus extricandis, atque faſciculo duodecimo adiunctus eſt index plantarum omnium alphabeticus, et earum, quae iam depictae ſunt, et quarum imagines ſequentibus faſciculis tradentur. Reperiuntur itaque plurimae plantae Europae toti indigenae, adeoque ſatis notae, primum tamen viuis coloribus illuſtratae, quaeque, ſi opus perfectum reddendum erat, abeſſe non poterant: Vix dubitamus, quin plurimi botanici elegantiſſimas et fidas harum plantarum icones ſibi comparent vel ſint comparaturi. Ideoque hic nonnullas rariores tantum, atque nouas, vel eas, quarum LINNEVS nondum meminit, indicemus.

Ad priores referendae videntur.

Tab. 361. Dentaria bulbifera LINN.
- 364. Ruppia maritima.
- 386. Cardamine petraea.
- 389. Arenaria tenuifolia.
- 418. Koenigia Islandica.
- 557. Lepidium latifolium.
- 559. Silene armeria.
- 566. Anemone Groenlandica.
- 567. Lepidium Groenlandicum.
- 568. Scilla bifolia, in inſula Feroë habitans.
- 569. Lepidium Alpinum.
- 585. Chelidonium Glaucium, creuit in Iütlandia.

Tab.

Tab. 624. Arenaria peploides: in littoribus Daniae et Noruegiae.
- 630. Hordeum maritimum.

Nouas has notauimus.

Tab. 371. *Carex diuiſa*, ſpica compoſita, ſpiculis rotundis confertis androgynis, foliolo longiori inſtructis, culmo ſubtereti. HVDS. 348. In locis ſabuloſis maritimis.

Tab. 425. *Carex*, ſpica maſcula terminali, femininis tribus quatuorue ſubſeſſilibus axillaribus diſtantibus per totum culmum folioſum, caule repente. In arenoſis maritimis et ſyluaticis prope *Wemmeltofte* Sicellandiae.

Tab. 432. *Carex*, ſpica vnica ſubrotunda, glumis ouatis, breuiſſime ariſtatis. An HALL. 1354? In arenoſis maritimis *Noruegiae.*

Tab. 442. *Carex* ſpica maſcula et femineis tribus ſubſeſſilibus in ſummo culmo approximatis, cum folio ſingulae ſuo, infimo culmum excedente. An HALL. 1374? In vliginoſis ſyluaticis Daniae.

Tab. 444. *Carex* ſpica maſcula et femineis duabus ouatis approximatis ſubſeſſilibus in axillis ſuccingentium foliorum. An *Carex montana* LINN. In vliginoſis.

Tab. 441. *Iunci piloſi* LINN. var. floribus faſciculatis HALL. in Noruegiae ſyluis ſubalpinis.

Tab. 390. *Saxifraga* foliis caulinis palmatis petiolatis, caule bulbifero ſubramoſo et multifloro. An *S. bulbifera*. In Islandia.

Tab. 688. *Roſa mutica* germinibus globoſis, pedunculis petiolisque glabris, caule aculeis raris flaccidis. HALL. 1107. In fruticeto rupeſtri littoris *Dröbakienſis*.

Tab. 691. *Plantago ſquamata*, foliis ſemicylindraceis integerrimis baſi glabris, ſcapo tereti ſubpiloſo. Flor. Fridrichsd. 126. In ſabuloſis Ducatus Sleſuicenſis.

Tab. 701. *Agroſtis ſylueſtris* petalo exteriore pubeſcente, ariſta dorſali longa. Raro in agro Fridrichsdalenſi.

Tab. 703. *Carex maritima* ſpicis pendulis: maſculis pluribus, calycibus ariſtatis. In littore *Dröbakienſi.*

Multae ſpecies nouae ex Cryptogamiarum claſſe: vt Tab. 394. *Fucus* fronde cartilaginoſa, plana, ſupradecompoſita, ſegmentis linearibus, apice globuliferis. Quaeritur an ſit *F. gigartinus*, LINN. differt tamen hic *apice ſetifero.*

Tab. 405. *F. digitatus* aluneariorum *Loeſel.* Pruſſ. 4. 17. videtur nobis *Clauariae* ſpecies, forte *C. faſtigiata*, LINN.

Tab. 408. *F. cartilagineo corneus* teres, vagis ramis multifidus, apicibus acutis. An *F. albus* HVDSONI.

Tab. 420. *F. fungularis* IMPERATI 748. MORIS. III. 645. vix dubitamus, quin ad *Agaricos* pertineat.

Tab. 652. *F. roſeus* frondibus membranaceis repandis laciniatis petiolatis, caule tereti ſubramoſo. An *F. rubens* LINN. In Sinu Dröbakienſi.

Tab. 651. *Conferua ſericea*, filamentis geniculatis ramoſis, ramis faſciculatis, confertis, viridibus. Enum. Flor. Dan. 69.

Tab. 653. *Vlua incraſſata*, fronde ramoſa, ramis ſimpliciſſimis teretibus lubricis apicem verſus craſſioribus. Raro in Sinu prope *Laurvigen.*

Tab. 462. *Lichenoides* gelatinoſum atrovirens. DILLEN. 140. t. 20. f. 24. *Marchantia* LINN.

Tab.

Tab. 463. f. 1, *Lichen gelatinoſus*, laminis verticalibus vndato criſpis, ſuperficie denſi ceſpitis irregulariter criſpa, peltis marginalibus ſpadiceis. f. 2. *Lichen gyroſus*, gelatinoſus, laminarum verticalium marginibus ſubaequalibus, ſuperficie denſi ceſpitis eleganter gyroſa: peltis marginalibus ſpadiceis. Ambo terreſtres in vmbroſis.

Tab. 464. *Peziza polymorpha*, atrofuſca, carne cerea gelatinoſa, primum caua, per maturitatem farcta, pileo e medio ſuccreſcente rugoſo in ſtipite breui craſſo. In cortice ligni fagi. vid. MÜLL. act. Holm. 1762. f. 3.

Tab. 469. f. 2. *Peziza radiata*, pileo patente membranaceo fibroſo ſtriato et zonis picto. In Islandia.

Tab. 566. *Lichen Groenlandicus*, foliaceus repens, lobis ad horizontem obliquis, rotundis concauis, fungulis marginalibus, viridulo glauceſcens, inferne niger. Edulis eſt in Groenlandia, eoque multi contra haemoptyſin non ſine fructu vtuntur.

Tab. 467. f. 1. *Mucor*, (Trichia) capitulis miniatis, ſtipitibus breuibus nigris. f. 2. *Mucor* (Trichia) capitulis pyriformibus rubro aurantiis, ſtipitibus breuibus albis. Ambo habitant in cortice *Vini ſylueſtris* f. 3. *Mucor* (Trichia) capitulis nigris, ſtipitibus longioribus fuſcis. Paraſitica in aliis plantis.

Tab. 468. f. 2. *Lichen leproſus*, cinereo glauceſcens, ſine ſcutellis, cruſta rimis infinitis diuiſa. In ſaxis *Bornholmiae*. f. 3. *L. leproſus*, albicans cruſta rimoſa, inſulis ſubrotundo anguloſis, ſcutellis glaucis albo margine. *Ibidem.*

Tab. 470. f. 1. *Lichen leproſus*, ruber tuberculis nigris. f. 3. *L. gelatinoſus*, imbricatus, lobis obtuſis laceris, peltis fuſcis proliferis. Ex Islandia.

Tab.

Tab. 472. f. 3. *Lichen leproſus*, cruſta alba glauceſcente, rimis in maculas ſubrotundas diuiſa, tuberculis atris, in lineas curuas diſpoſitis. In ſcopulis maritimis Noruegiae.

Tab. 478. *Bryum* foliis ſtriatis acuminatis reflexis, capſulis ſphaericis ſubnutantibus, maturitate ſtriatis. In ſaxis irriguis alpium Noruegicarum rarius.

Tab. 538. f. 1. *Bryum* foliis capillaribus, capſulis oualibus erectis in pedunculis breuibus. f. 2. *Bryum* foliis ſetaceis curuatis, capſulis erectis obtuſe ouatis, capitello oblique roſtrato: apophyſi capitulo ſubiecta. In humo atra irrigua prope Chriſtianiam.

Omittimus Fungos nouos, vt *Amanitas*, Tab. 491. 540. 599. 600. *Eluelam* Tab. 534. *Phallos marcidum* et *conicum* Tab. 654. *Trichiam*, *Pezizam*, *Merulium* Tab. 655. 656. Id monentes Tab. 657. 658. *Clauarias* egregie depingi, in quibus Cl. MÜLLER loco ſeminum animalcula protrudi vidit, quemadmodum in Actis phyſicis Berolinenſibus egregie expoſuit*) vnde etiam easdem animalibus adiunxit **). Tab. 660. *Conferua ſtellaris* depingitur, de qua plura in diario, naturae ſcrutator dicto ***), diſſeruit Cl. Auctor.

Animaduertere licebit haec. Faſc. IX. T. 483. *Pulmonariae*, quae hic dicitur *anguſtifolia*, nimis lata pingi folia, vt nobis magis varietas latifoliae videatur, quam vera ſpecies Linneana, quae foliis prorſus lineari-lanceolatis inſtruitur, Tab. DXLV. in

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 686.
**) Zool. Dan. Prodr. p. 256.
***) *Naturforſcher VII. St. S.* 189.

in *Sambuco nigra* ſaepe ſtamina ſex picta ſunt, quae tantum quina adeſſe deberent. In T. DLIV. *Eryngii campeſtris* florem vnum, anatomice diſſectum, et magnitudine auctum deſideramus. Quae hic Tab. DLXIV. *Agroſtis ſtolonifera* dicitur, omnino *Alopecurum geniculatum* repraeſentat. Myoſotidis ſcorpioidis naturalis amoenusque color in Tab. 583, vix arte eſt ſatis imitatus. Neque apud nos locum habet, quod hic dicitur, flores eiusdem in locis aridis corollas luteas nanciſci. *Teucrium ſcordium*, quod hic Tab. 593. floribus purpureis pictum eſt, nobis ſemper floribus coeruleis obuenit. De Anthemide, Tab. 685. depicta, ipſe Cl. Auctor dubitat, an ſit *tomentoſa* LINN. etſi deſcriptio ab Eodem data ſatis conueniat.

IV.

NIC. IOS. IACQVIN Miſcellanea Auſtriaca ad Botanicam, Chemiam, et hiſtoriam naturalem ſpectantia, cum figuris partim coloratis. Vol. I. Vindebon. 1778. 4to pagg. 212. tabb. aer. 21.

Collegit Cl. IACQVIN in opuſculo, cuius ſummam iam indicabimus, varios tractatus, quos partim Ipſe, partim alii in Vniuerſitatibus Auſtriacis ſcripſerunt, ſiquidem ſic fuerint comparati, vt virorum doctorum mereri videantur attentionem. Continentur vero in primo hocce volumine:

1. NIC. IOS. IACQVIN. *Genitalia Aſclepiadearum*. Expoſuit hic ſtructuram partium florem conſtituentium diuerſarum *Aſclepiadum* plantarumque his affinium, quorſum *Periplocae*, *Cynancha*, p. 1.

cha, *Apocyna* atque *Stapeliae* pertinent. Retulerunt adhuc botanici has plantas omnes ad earum vegetabilium cenſum, quibus natura ſtamina quinque donauit. Cl. Auctor vero primus oculi armati ope detexit corpuſcula vulgo pro ſtaminibus habita hoc nomine neutiquam eſſe inſignienda, ſed alia quaedam, quorum in ſingulo flore reperiuntur decem. Nos in natura harum partium exponenda propterea erimus breuiores, quod iam olim, cum I. T. KOELREVTERI ſuper eadem re *) indiceremus commendationem, rem ipſam fuſius expoſuimus. Incitabatur vero KOELREVTERVS, ad harum plantarum diſquiſitionem, Cl. IACQVINI exemplo, cuius quoque aſſerta vario modo emendare ſtuduit. Sic *Periplocam Graecam* quinque modo gaudere ſtaminibus, antheras *aſclepiadearum* male pro fertililibus haberi, quia pollen contineant nullum, ipſarum corpuſculum truncatum, vt a LINNEO dicitur, male cum ſtigmate comparari, aſſeruit. His, introitus loco, a Cl. Auctore Noſtro recenſitis, ſingulae KOELREVTERI obiectioni ſatisfacere eſt anniſus. Quod ad *periplocam* attinet *graecam*, docet plantam reſpectu numeri antherarum decandris vtique eſſe adſociandam, quamuis ipſi quinque modo contingant filamenta. Cum itaque ſingulo filamento anthera duplex inſideat, minime reprehendendus videtur Noſter, ſi plantam ipſam decimae ſyſtematis Linneani claſſi inſeruerit. In denominatione antherarum, ſuam ſententiam propterea non mutauit Cl. IACQVINVS, quod dubium a KOELREVTERO motum, potius verba, quam rem ipſam ſpectat, parum enim certe intereſſe videtur, vtrum maſſa foecundans gluten ſit, an puluis tenuiſſimus, ſi ab hac

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 4.

hac ipſa materia modo foecundationis negotium peragatur. Corporis truncati figura cum alia re nulla tam idonee comparari poſſe Noſtro videtur quam cum ſtigmate, quare donec obſeruatis meliora fuerit edoctus ſententiae ſuae deditus manebit. His praemiſſis tranſit ad *Aſclepiadearum* p. 9.
Vindobonae viuentium generationem deſcribendam. *Apocynum Sibiricum*, *Apocyno cannabino* LINNAEI ſimillimum et *Periploca Graeca*, anthera in quouis filamento praedita ſunt duplici. *Periploca Africana* ſimilis eſt *Aſclepiadi Vincetoxico*, *A. nigrae* et *Cynancho acuto*, vagina ab nectario adſcendente piſtillumque ambiente, ſtaminibusque decem ſtigmati adnatis; hincque Gynandriae Decandriae, nec *periplocae* generi, annumerari debet. *Cynanchum erectum* bracteis vaginae loculamentis deſtitutis et ſtigmate elongato conico craſſo a congeneribus differt. Reliquae *Aſclepiadis*, quas disquiſiuit, ſpecies, gynandrae ſunt, ſquamis nectariferis cingunt ſtylos, antherasque in bracteis ex duplicatis nectarii productionibus confectis recondunt. *Stapeliae* tubercula ſtaminifera angulis marginalibus ſtigmatis adnata, ab alarum interiorum productione ſacciformi teguntur.

Ex ſitu hoc inſolito antherarum atque vaginarum, minus recte Cl. KOELREVTER collegiſſe videtur, quod per ſacculos hos materia foecundans deferatur ad germina; cum via pollinis exſudantis ad ſtigma accommodatior ſit, atque cum ſacculi hi piſtillum in marginis puncto modo tangant nec ei accreſcant. Formam florum iam nominatorum a tabula prima ad quartam tradi curauit.

2. *Compoſitiones medicamentorum pharmaceuticae generales*, a IOS. SONNAVER. Nobis libelli p. 32.
huius

huius perquam docte ſcripti ſummam, alia occaſione accurate exponere animus eſt.

p. 133. 3. NIC. IOS. IACQVIN *Semperuiuum ſediforme monſtroſum.* Aberrauit planta a naturali forma racemis ſuperius folioſis et floribus petalis quatuordecim inſtructis. A *Sedo rupeſtri*, cui *ſemperuiuum* hoc vel LINNEO teſte ſimillimum eſt, differt, quod huius folia in apicem acutum attenuentur, quae illi ſint obtuſiora; luteo deinde colore *ſedi* petala a *ſemperuiui*, albi nimirum, dignoſcuntur; caulis denique, qui ad efflorefcentiam vſque in *ſedo rupeſtri* nutat, in *ſemperuiuo ſediformi* ſemper conſpicitur erectus. Figura huius plantae tabula quinta cernitur.

p. 135. 4. EIVSD. *fungi quidam ſubalpini.* Primus illorum eſt *clathri* ſpecies, quam pro *denudato* LINN. Noſter habet. Omnis huius fungi ſuperficies rubra eſt, praeter verticem fuſcum. Cortex capituli, inſidet nimirum fungulus ſtipiti erecto tenui, glaber eſt et in breues pilos ita immutatur, vt nunc globus filorum rubrorum conuolutorum ſuperſit. Vertex fuſcus non mutatur. Quam naturam cum induit fungus, ſemina expellit plurima rubra minima. Fungus ipſe in tabula ſexta conſpicitur. In tabula ſeptima vero *Lycoperdum piſiforme* LINNAEI reperitur, quod rarius deſcriptum cum *Lycoperdo epidendro* multum conuenientiae alit. In tabula octaua fungus repraeſentatur ſuper *Agarico reticulato* etc. MICHELII natus, pultiformis, parum mammillaris, luteus, quam microſcopio teſte *Lycoperdis* annumerari poſſe ratur. *Hydnum gelatinoſum* monſtroſum acubus totum fungum obſidentibus tabula nona reperitur.

Fungus

Fungus in tabula decima depictus eſt *Peziza coronaria*, cyathiformis vtrinque glabra, limbo laciniato erecto; color intus fuſcus, foris pallidus. *Boletus medulla panis*, LINNEO incognitus, cruſtaceus albus, ſuper lignis putridis diffuſus, in ſuperficie ſuperiore foraminulis perforatus, ſuaveolens, in tabula vndecima eſt depictus. Tabulae duodecimae mandatus eſt *Boletus leptocephalus* ſtipitatus, pileo plano tenui, orbiculari, ſupra cervino ſubtus albo, ſtipes rarius centro pilei inſeritur. A *Boleto perenni* LINN. differt eo, quod faſciis illis diuerſicoloribus, quae *Boleto perenni* tribuuntur, ſit deſtitutus. *Tremella meſenteriformis* apud LINN., quamuis ab aliis multis deſcripta, non reperitur. Eſt vero gelatinoſa, tremula, pellucida, alba vel lutea, in plicas intorta, ſtipite caret. Figuram ipſius tabula 13. offert. *Tremella rufa* ad longitudinem dimidiato infundibuliformis, gelatinoſa, firmula tamen, ad ſolem pellucida, in tabula decima quarta cernitur. *Tubulifera arachnoidea*, fibris baſi tela arachnoidea conuexis quam maxime accedit ad *tubuliferam Ceratum* florae Danicae. Eſt fungus gelatinoſus, connexus, in ſuperficie exhibens minima tubercula, quae apices ſunt fibrarum craſſarum, totum fungum conſtituentium. Tab. decima quinta ipſius formam diuerſam ſiſtit. In tabula decima ſexta tandem depingitur *Tremella hydnoides* IACQVINI, compreſſo plana, difformiter digitata, hirſuta, gelatinoſa.

5. REV. FRANC. XAV. WVLFEN, *plantae rariores Crainthiacae*. *Draba Fladnizenſis*, a nemine adhuc deſcripta, in editiſſimis iugis ſuper Alpes Fladnizenſes radice perennat. *Cardaminen bellidifoliam* male cum *Cardamine reſedifolia* ab HALLERO coniungi, ex deſcriptione illius exhibita demon- p. 147.

monſtratur. *Saxifraga burſeriana* caule vnifloro ſemper gaudet, ſeiungenda itaque eſt illa huius plantae varietas, cui eſt caulis multiflorus. *Aſtragalus vralenſis*, *Ranunculus Pyrenaeus*, *Cineraria Alpina*, *Primula villoſa* et *Gentiana* quaedam, *nana* dicta, quarum plantarum plurimae LINNAEO iam cognitae ſunt, deſcriptae reperiuntur. Cum de *Primula villoſa* diceret omnium *Primulae* ſpecierum characteres, in LINNAEI ſcriptis non ſufficientes, accuratius expoſuit. Plantae nominatae, praeter *A. vralenſem* tabulis 17. et 18. ſunt delineatae.

p. 164. 6. FR. RVBEL *Agaricum officinale: diſſertatio inauguralis medica, publicae diſquiſitioni ſubmiſſa Viennae d.* 20. *Febr.* 1778. *emendata et aucta.* Praemiſſa veterum de ortu *Agarici* ſententia, in locum natalem fungi inquirit Cl. Auctor, ſuis aliorumque obſeruationibus perſuaſus affirmat, fungum in iis ſolummodo naſci regionibus, quae larices proferre ſolent. Colore variat, princeps tamen albus vocari poteſt. Inſeritur Cl. WVLFEN deſcriptio huius fungi, quae legi vtique meretur. Iam de tempore colligendi *Agaricum* ad medicos vſus deſtinatum. De viribus *Agarici* multum diſceptatur a practicis, ſunt enim alii, qui ſalutares, alii, qui noxias ipſi adſcripſerunt facultates. Audiuntur quoque chemicorum ſuper hoc fungo meletemata, quibus propria Cl. IACQVINI enchireſis ſubiuncta eſt. Tabulis 19-21. diuerſae figurae fungi ſunt delineatae.

p. 164. 7. *Aqua aërea Pragenſis excerpta ex diſſertatione inaugurali medica publicae diſquiſitioni ſubmiſſa* a IO. MICH. HORNSTEIN. *Viennae d.* 20. *Nov.* 1777. Hanc, proxime indicaturi, iam omittimus.

V.

Das entdeckte Geheimniß der Cryptogamie. Eine der Chur-Pfälz. Academie der Wiſſenſchaften zugedacht geweſene Preisſchrift. von IOSEPH GOTTLIEB KOELREVTER *der Arzneywiſſenſchaft D. Fürſtl. Badiſcher Rath und Profeſſor der Naturgeſchichte; der Ruſſiſch Kaiſerl. Academie der Wiſſenſchaften und der freyen oeconomiſchen Societät zu St. Petersburg; der Chur-Pfälz. Academie, der Fürſtl. Heſſiſch. Societät der Wiſſenſchaften, und der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde Mitglied. Carlsruhe.* 1777. 8. *Bogen* 10.

i. e.

Cryptogamiae myſterium detectum, Auctore IOSEPHO GOTTLIEB KOELREVTERO.

Conſiderat Cl. Auctor in hac diatribe inprimis fructificationis plantarum cryptogamicarum partes et quamuis recentiſſima HEDWIGII obſeruata, ſaltim in muſcis, ſaepe contrarium demonſtrant, tamen adhuc multa alia memorabilia et notatu digna in eadem leguntur. Poſtquam igitur demonſtrare conatus eſt, in plantis cryptogamicis antheras haud neceſſarias eſſe, neque pulverem in capſis lycopodii, polytrichi et aliorum muſcorum contentum pollinis munere fungi, ad Iungermannias progreditur, in quibus eam par- p. 9.
tem, quam SCHMIEDELIVS corollae nomine inſigniuit, pro parte maſcula habet, quam ex ſubſtantia corticali oriri, atque ſerpentinis et ſuccoſis vaſculis ornari monet. Sub hac parte maſcula reconditur globulus ſiue pars feminea, quae ex

R 2 medul-

p. 15. medullari naſcitur ſubſtantia. Sic quoque in fructificatione et vmbellata ſiue conica, et ſtellata Marchantiarum obſeruauit membranam aliquam fuſcam, et veſiculas, quae maſculae partis loco ſunt, atque ouaria, in quibus ſemina offenduntur, quae a nonnullis pro antherarum puluere ſunt habita. Foliola, quae in calyciformibus foliorum
p. 28. cauis animaduertuntur, alius generis ſemina vocat, quae nouas poſſint facile procreare plantas, quemadmodum variis obſeruationibus comprobaſſe ſibi perſuadet.

p. 30. Grana, quae ex tuberculis Blaſiae proueniunt, ſemina ſunt, puncta autem ſiue corpuſcula illa nigro vireſcentia, quae foliis inſident, pro foliorum gemmis agnoſcit. In Anthocerote vagina externa partem maſculinam conſtituere videtur.

p. 32. Deinde muſcorum partes fructificationis perſcrutatur, atque calyptram corticalem, vaſculoſam, et ſucco plenam maſculam partem nominat, atque experimentis inſtitutis ſuam opinionem confirmare annititur. Polytrichi, nimirum communis, nonnullas capſulas, quas pro veris ſeminum capſis habet, quasque ſemina continere dicit, calyptris piloſis orbauit, atque cognouit capſulas calyptris orbatas interiiſſe, capſulas vero calyptris ornatas incrementum laetum cepiſſe. Quamuis autem ex his concludat, calyptram eſſe partem fructificationis maſculam, tamen illa experimenta in multis aliis muſcis inſtituta nihil aliud fortaſſe probant, quam calyptram defendere et munire capſulas, ne exſiccent, intimamque eſſe coniunctionem operculum inter et calyptram,
p. 41. qua deleta vigor capſularum pereat. Verum enim vero nobis illa placuerunt, quae Cl. Auctor de perichaetio Polytrichorum et Hypnorum habet,

quod

quod in prima muſci iuuentute cum calyptra connexum putat, atque de interna calyptra, quam MEESE et LEERS iam obſeruauerant, proponit.

Flores ſtellatos ſiue roſulas *Polytrichi communis*, qui menſe Martio et Aprili conſpiciuntur, atque ex ſquamis variis, luteis clauis atque fuſiformibus corporibus componuntur, hermaphroditos agnoſcit atque arbitratur luteis clavis auram ſeminalem contineri, corpuſcula fuſiformia vero eſſe ſemina ſingularis naturae. Idem de *Mniorum* roſulis ſibi perſuadet, quae ſimilem propemodum habent ſtructuram et partes. Pulvis *Lycopodii* non pollen antherarum eſt, ſed ſemina conſtituit, quia in aqua non intumeſcit, ſeminis formam habet atque aliae partes fructificationis adſunt, nimirum membranae quaedam, quae ex corticali ſubſtantia originem ducentes capſam loco antherae circumdant. p. 61. p. 67.

Filicibus autem inuolucra ſiue velamenta quaedam data ſunt, quae ab initio alba, ſenſim magis fuſca, ſuccis copioſioribus repleta, ex vaſis ſerpentinis conſtantia atque tempore coitus ſplendentia ex corticali ſubſtantia prodeunt, atque maſculinas partes fructificationis conſtituunt, cum e contrario femininae partes ex medullari ſubſtantia originem ducant, atque illis ſubiiciantur. Quae inuolucra in variis *Polypodiis*, *Aſpleniis*, *Adiantis* et aliis filicibus varia notat atque quoque de ſeminum numero, varia figura et colore multa egregie et accurate commemorat. Sic quoque *Ophiogloſſum*, *Onocleam ſenſibilem*, *Oſmundas* earumque partes dilucidat, partesque fructificationis diſtinguit. Mox enarrat quaedam experimenta, quae cum filicibus inſtituit, quibus apparebat, collectiones capſularum inuolucro remoto interi- p. 76. p. 97. p. 109.

p. 112. re neque ſemina matura offerre. Semen filicum
eadem ratione inflammabile eſt, quemadmodum
p. 115. ſemen Lycopodii. Neque florem Equiſeti omiſit,
quem diligenter examinauit atque putat externam
ſcutorum atque capſularum ſeminalium membra-
p. 122. nam maſculam eſſe partem. Denique de Chara,
Marſilea, Pilularia et Iſoëte pauca adiungit.

p. 124. In Lichenibus quoque aſſumit medulloſam
ſubſtantiam ſemina formare, corticalem vero et
externam ſuperiorem laminam ſucco plenam fru-
p. 125. ctificationem exercere. Similem ſubſtantiam du-
plicem, medullarem aliam, aliam corticalem in
Fuco, Vlua, Tremella, Conferua et Byſſo quo-
que ſupponit. Fere eadem ratione explicat exem-
plo Lycoperdi ſtellati fructificationem in fungis.

p. 131. Denique collegit nonnullis propoſitionibus
libelli ſui ſummam, quarum praecipuae et princi-
pales ſic ſe habent: in plantis cryptogamicis, vti
in perfectis, ſexum locum habere; omnes earun-
dem veros flores ſeu partes fructificationis vtrius-
que eſſe ſexus, itaque flores hermaphroditos;
haſce plantas cryptogamicas non habere pollen,
ſed loco eius algis e. g. Iungermanniis, et Mar-
chantiis eſſe maſculos ſacculos, muſcis calyptras,
filicibus inuolucra, fungis membranas; plantas-
que cryptogamicas habere ſemina vera neque va-
num aliquem puluerem; tempus, quod hucus-
que in muſcis et reliquis plantis cryptogamicis in-
floreſcentiae tempus iudicauimus, eſſe ſeminatio-
nis et fructus tempus; denique magis per ſemina,
quam vlla alia ratione etiam pleraſque plantas cry-
ptogamicas vna hac ratione ſeruari. Quod etiam
acriter contra eos defendit, qui plantas cryptoga-
micas cum polypis comparant, autumantes per

gemmas propagationem fieri. Atque haec ſunto pauca ex pluribus, primae lineae ex libro lectu digniſſimo, qui praeter indagationem plantarum cryptogamicarum multas alias egregias annotationes continet. De eo verum dubitamus, quod Cl. Auctor ſperat, hoc ſuo inuento genera et ordines Linneanos atque totum ſyſtema cryptogamicum multas mutationes expertura eſſe. p. 135.

VI.

CHRISTIANI FRIDERICI LVDWIGII, epiſtola ad FRIDERICVM ANDREAM GALLISCHIVM. M. D. De ſexu muſcorum detecto. Lipſiae. Literis Breitkopfiis. 1778. 8. ½ plag.

Subiungimus hanc gratulatoriam diatriben, quippe quae in hiſtoria botanica literaria notatu digna ſit, quum in ea, et teſtibus oculatis, et ipſius Auctoris experientia demonſtretur, KOELREVTERVM, virum clariſſimum, neque primum, neque recte muſcorum ſexum detexiſſe. Etenim iam anno 1774. aut 1775. HEDWIGIVS, botanicus oculatiſſimus, M. D. Chemnizii, femineos et maſculos flores muſcorum detexit, ideoque KOELREVTERO, qui anno 1776. obſeruationes ſuas inſtituere coepit, prius. Detexit item HEDWIGIVS veras muſcorum antheras, iisque adpoſita fila ſucculenta articulata, vt et piſtillum: atque plurimos ex muſcorum familia dioecios, pauciores monoecios, pauciſſimos hermaphroditos inuenit. Tempore igitur antecedunt HEDWIGII obſeruata, atque analogiae cum reliquis plantis melius reſpondent: nos autem de iis ipſis, quae Cl. HEDWIGIVS ipſe iam euulgauit, dicemus paullo inferius plura.

VII.

Conamen mappae generalis medicamentorum ſimplicium ſecundum affinitates virium naturalium, noua methodo geographica diſpoſitorum, Auctore GEORG. CHRISTPH. WÜRTZ M. D. cum tab. aen. Argentorat. 1778. 4. ſumtibus ſociorum Bauer et Treuttel. pagg. 221.

Prima pars huius libri agit de praeſtantia methodi geographicae in delineandis corporum naturalium affinitatibus, quam ſpeciminis inauguralis loco in Argentina Academia iam defendit; ſecunda vero pars mappam ipſam per principia ſua illuſtratam ſiſtit, in qua potiſſimum theoria enucleatur a Noſtro, vnde totum de medicamentorum affinitatibus ſyſtema tam ſanae rationi, quam experientiae conſentaneum erui et haec ſcientia in certiorem aliquem ordinem redigi queat.

Praemiſſis variis veterum ac recentiorum naturae ſcrutatorum tentaminibus de ſcala et nexu naturae, de methodo naturali, de ſyſtemate naturae cet. ad methodum aliquam detegendam Cl. Auctor animum adſtrinxit, qua ſinguli hi diverſiſſimi nexus non amplius in ſcala quadam ſyſtematica, ſed in decuſſationibus potius in natura ipſa dictitatis omni luce depingi et per ſingulos affinitatum gradus delineari poſſent, et inueniſſe quandam credit, quae ni optima, tamen reliquis omnibus praeſtare, et ad hanc ſcientiam commodiſſime gratiſſimeque applicari poſſe videtur; putat methodum mappalem, cuius ſpecimen in adiecta tabula, materiae medicae affinitates exhibente, propoſuit Cl. Auctor. Eſt methodus,

dus, quae mapparum geographicarum tramitem et conſtructionem exactiſſime conſequitur, quae regnorum loco, genera, vrbium autem, ſpecies delineat, affinitates per vicinitatem, iſtarumque gradus per varias huius diſtantias deſignat. Cuius praeſtantia antequam fuſius demonſtretur, in hactenus vſitatas methodos, num nimirum inter eas iam aeque vtiles ſint, ac Noſtri methodus, inquiritur, ne omnis nouitatis ſuſpicio atque ſtudium a ſe remoueatur.

Perquiſitis ergo plurimis hactenus cognitis p. 12.
methodis, in quibus omnibus affinitates corporum vel plane neglectae, vel, vti Noſtro videtur, non ſatis accommodate ſunt propoſitae, ſuae ipſius nouae methodi praeſtantiam vberius perſequitur.
Ac primum quidem eſt ea ſimplicior, minus p. 18.
prae ceteris implicita, nec tot linearum interventu eget: *Secundo* gratior acceptiorque, inde ſurgit Lectori aſpectus. *Tertio* nexus eiusdem ſubſtantiae cum pluribus aliis generibus (qui antedictis methodis non niſi cum nimia rerum complicatione ſiſti potuiſſent) commodiſſime deſignat, eandem iſtis interponendo. *Quarto* corpora, quae caracteres plurium generum participant, non cum ſingulis hiſce aequo gradu conueniunt; ſi ordinem naturalem itaque preſſiori pede ſecuturi ſumus, etiam hi gradus erunt determinandi, quod nulli autem iterum, praeter mappalem, methodo datur, tam commode abſque verborum ambage ſenſui exhibere. *Quinto* corporum varias mixtiones, prouti hae innotuere, non rationi per longas diſſertationes et vaſtum verborum apparatum demonſtrat, ſed ſenſibus ipſis gratiſſime quaſi depingit. Atque illud ipſum, vltimo loco poſitum,

hanc methodum aliis potiſſimum praeſtantiorem reddere arbitratur.

p. 24. Omnia omnino corpora ex iisdem principiis ſunt conflata et eadem germina fouent in tribus naturae regnis. Haec ſunt elementa, quae, vt inde totus orbis conderetur, creauit Summum Numen et ex quibus, licet quadruplicis modo generis, tamen per diuerſiſſimas coniunctiones tam admirandum varietatum ſpectaculum nobis elaborauit. Conſtant ergo animalia, plantae et mineralia eadem materia elementisque; differunt ſola, qua compoſita deprehenduntur, horum proportione. Quam vt experimenta dilucidarent, diu chemici tentarunt, nequaquam autem artem detexere illius differentias vno eodemque intuitu ſenſibus exhibendi, qua ſolis oculis, ſepoſito omni ratiocinio, omnes illae in ſuo nexu conſpici, diiudicari et cuique experimento chemico iterum applicari poſſent: hunc defectum, autem luculentiſſime ſupplet, vti Noſter ratur, mappalis theoria, omnes iſtas per ſolum locum indigitans. Pone enim quatuor elementa ad quatuor plagas cardinales, vti in geographicis verſus Orientem, Occidentem cet. cum corpora proportione differant, quaedam plus terrae. alia plus aquae cet. in ſe vt contineant, neceſſe eſt: itaque vbi plus terrae corpori ineſt, admoue proprius terrae, vbi plus aquae, aquae e. ſ. p.

p. 28. Omnium in genere corporum in rerum natura offendendorum differentiam in ſola ipſorum elementorum *proportione* eſſe poſitam ratur Noſter et eandem ſententiam de medicamentis fouere cogitur, vt et de eorundem virtute in ſola ipſorum

rum *mixtione* latente. Quae Noſtro ergo plus terrae fouere videntur, verſus plagam terreſtrem ponit, quae plus aquae, verſus eam e. ſ. p. Ita per diſtantiam relatiuam a quauis plaga elementa, eorum proportionem inſimulque rationem, ex qua hi effectus medicati elucefcunt, deſignat; ita, ſi notum eſt principium acre irritare, ex ſimplici huius tabulae aſpectu mox elucet, in quonam gradu, quodque genus hoc praeſtet, pro ſua nimirum ab eodem diſtantia cet. Has ſimplices elementorum vires denuo ratiocinium in compoſitas coniungat, ſic ſi aliquod genus pari interuallo duabus plagis, acri et terreſtri ſit interiectum, concludas ad vim intermediam inter aequam roborantem ac irritantem; e. ſ. p. Quod nimirum in mappa ſua quodlibet genus compoſitam vim gerat, ex quatuor elementaribus quidem conflatam, ſed ad eam eo magis accedentem, cui propius adſcriptum: vt ita primo intuitu ad omnes virium combinationes ex ſola diſtantia a quatuor plagis cardinalibus concludere poſſis, nec vaſtiſſima medicamentorum farrago memoriam amplius ſua mole moleſtet. Mappa itaque haec generalis medicamentorum ſimplicium in icone eſt addita.

Progrediamur nunc ad alteram partem. Variis praemiſſis de principio actionis medicamentorum, de applicatione ad corpus humanum, in qua ad idioſyncraſiam et indiuiduorum mixtiones eſt reſpiciendum, experientia probatur, medicamenta non niſi relatiue agere. Hoc apparet ex diuerſitate effectuum pro diuerſitate corporum variantium, remediorum e. gr. laxantium, emeticorum, mercurialium cet. Relatiuos porro aequo modo eſſe effectus per totum naturae ambitum aſſentiuntur quaecunque ceteroquin corpora

P. II.
p. 46.
p. 48.

corpora naturalia. Quae enim aliis animalibus infeſta, eadem aliis viciſſim plane ſunt proficua. Homines purgat helleborus albus, brutis eſt idem venenum. Aqua bibitur ab omnibus lubenter et hydrophobici eam anxie reformidant cet.

p. 51. In ſectione altera principiorum diſquiſitionem, ex quibus medicaminum verae diiudicari queant affinitates, Noſter tradit. Haec ſunt claſſificatio ex ordine naturali, GALENI principium, criteria ex ſapore atque odore, obſeruationum fides, adminiculaque ex chemia.

p. 64. Quibus perpenſis nec vbique laudatis probatisque ad ſectionem tertiam progreditur Noſter et affinitates virium naturalium latere probat in ſola mixtionum cognatione et hoc variarum mixtionum principio Noſtri mappae nititur conſtructio.

p. 73. Iam de ſenſu chemico Noſter agit. Mixtionem vero naturalem appellat, quae ſenſibus noſtris percipitur, dum pharmaca non analytice per partes et ingredientia ſeorſim conſiderata, ſed in concreto et compoſitione, qualia quaecunque in pharmacopoliis aſſeruantur, rimatur et proportionem relatiuam quatuor elementorum, in quocunque medicamento integro obtinentem, nullis nec verbis, nec experimentis determinandam, ſed ſenſibus omnino dignoſcendam et ſua hac methodo exprimendam credit. Haec eſt, de qua ſemper in huius tractationis decurſu eſt locuturus Cl. Auctor, deſignans proportionem quatuor elementorum, inter pharmaca relatiuam, compoſita vis, ex quacunque tali oriunda et quam chemiam antea appellauerat, ex illa facili ratiocinio deducenda erit, nunquam licet verborum deſcriptionem admittat. Prior ſemper poſterioris eſt

eſt baſis, dum enim mixtionem naturalem ignoras, nec inde compoſitam vim chemicam deduces, nec cognoſces vim cuiusque medicamenti abſolutam, nec ex priori iam praeſagire ad quemque ſtatum relatiuam, nec cum certitudine tuum remedium poteris adhibere.

Habitus alicuius corporis chemicus Noſtro dicitur, ex quo dignoſcere poſſumus: an prae alio vel plus terrae, vel phlogiſti, vel aëris, vel aquae vehat, qui itaque indicat mixtionem ipſius naturalem. Hoc fieri ex habitu, ſcilicet relatiue, plus quam veroſimile redditur. p. 75.

In ſectione ſecunda Noſter progreditur ad criteria mixtionis naturalis. Sunt duo elementa ſolida, *Terra et Phlogiſton* et duo pariter fluida, *Aqua et Aër*. Corporibus vel potius his ipſis elementis inſunt caracteres tanquam fundamenta et fulcra qualiscunque diſtributionis. *Soliditas* 1) phlogiſtica viuida, acris torrida 2) terreſtris, rigida. *Laxitas* in ſolidis, alias autem fluiditas 1) aquoſa ſuccoſitatis ſpeciem prae ſe ferens 2) aërea, vappida languida, lenis blanda ſpongioſa? turgida? p. 83. p. 89.

Criteriis mixtionis naturalis demonſtratis, notas addit et ad ſectionem tertiam progreditur Noſter, cui ineſt demonſtratio mappae ſenſualis. Poſtea ad demonſtrationem mappae rationalis venit ac primum quidem de phlogiſto agit. Quod Cl. Auctor intelligit ſemper in ſtatu ſuo ſubtiliſſimo, puriſſimo et maxime elementari, nec varias diſtinctiones ſpecificas chemicorum curat cet. Phlogiſton porro eſſe acrimoniae principium Noſter probat. p. 107. p. 110.

Ergo

p. 134. Ergo accedit Cl. Auctor ad demonſtrationem praecipuarum affinitatum ac primum quidem differit de roborantibus, dein de abſorbentibus, adſtringentibus, ſubadſtringentibus, ad quae pro-
p. 144. xime accedunt amara. Porro agit de purgantibus et quidem ſpecificis, incidentibus, aromatibusque.
p. 148. Citri corticem crude ad aliquas drachmas manducatum valide purgare, Ipſe Noſter expertus eſt.
p. 151. Cum aromatibus arctiſſimum affinitatis vinculum alunt irritantia, rubefacientia, inflammantia nec aliter differunt, praeter vehementiorem acrimo-
p. 152. niae gradum. Tum ſequuntur emetica, reſinae,
p. 156. purgantia reſinoſa ſiue irritantia. Sopientia tan-
p. 159. quam acria agunt. Vis aromatum, reſinarum irritantiumque calefaciens non ſolo ſtimulo, quo ſolida afficiuntur, ſed et ſimul cuidam acrimoniae phlogiſticae, quam fluidis inducunt, eſt tribuenda.
p. 161. Tranſit Noſter ad reſoluentia, quibuscum conueniunt incidentia ratione effectus, minime autem
p. 167. ratione agentis principii. Diuretica, fragrantia purgantia, eccoprotica, emollientia demonſtrationem mappae rationalis finiunt.

p. 188. Cum vero per inſtituti noſtri rationem breuitati nobis eſſet ſtudendum, ſynopſin totius ſyſtematis argumentorum, quam Noſter addidit, trademus.

I. Medicamentorum vires quatenus per practicas obſeruationes illuſtrantur, non niſi ſunt relatiuae ad quemque ſtatum, morbum et praeſentium conditionum conſenſum; ergo nil certi et conſtantis ad generales pharmacorum affinitates ſtabiliendas nob s inde affluit commodi.

II. Ineſt tamen medicamentis aliquid ſempiternum ab ipſorum exiſtentia nunquam ſeparabile, illorum naturam conſtituens, et ex quo

tanquam

tanquam ex generaliori principio, omnes hi relatiui euentus, diiudicandi erunt, vis ſcilicet cuiuis abſoluta.

III. Hanc autem non niſi in ipſorum mixtione latere, atque ab hac ſola pendere, colligere licet ex conſideratione: mixtionem cuiusuis corporis et corpus ipſum, eſſe ſynonyma. Cum autem in vltimo delitefcat haec vis, et inſita eſſe debet illi priori.

IV. Sin autem a mixtione pendeant vires corporum abſolutae, a ſe inuicem debent differre in ea ratione, qua mixtiones a ſe inuicem diſcrepant.

V. Qualescunque mixtiones, chemica analyſi diiudicatae, ad eadem fere principia reducuntur: quo ergo a ſe inuicem diſtant, ab horum ſola varia proportione deriuandum.

VI. Huic autem exhibenda chemica experimenta nequaquam ſufficiunt; ſed alia patet via, qua clarius, diſtinctius accuratiuſue determinetur; via experientiae pie reſpondens.

VII. Eſt ea, quae ſenſuum diiudicatione exaratur, cuiuſque caracteres et principia Cap. II. §. II. explanauit Cl. Auctor.

VIII. Cum illorum ope, an et in quanam proportione, alterum quoddam prae altero corpus vel plus principii inflammabilis, vel terrae, vel aquae etc. vehat, relatiue delineare poſſimus, per eandem facilem gratamque encheireſin, quoque de ſingulorum corporum mixtionibus, in quibus abſolutae vires ſunt poſitae, certiores nos reddimus. Ergo has vltimas ſecuriſſime ſenſuum interuentu poſſumus exponere, earumque affinitates, ſola ad quatuor cardinalia puncta relatione, incorrupte exhibere.

His

p. 189. Quo facto in capite quarto notas miſcellas Noſter proponit, in quibus partim ad varias obiectiones reſpondet, partim ſuperius dicta illuſtrat, GALENI famam tuetur, qui de qualitatum cardinalium miſcela loquitur et quem Noſter imitatum vel ſecutum eſſe minime videri vult, ne ſi ſua ipſius propoſita forſan nonnullis diſplicerent, fama illius magni viri ita obſcuraretur; et vltimo loco quaedam ſigna, ob varia commoda nominibus adiecta, explicat.

p. 200. Mappae vſum et applicationem nunc oſtendit Noſter, ac primum quidem in facile eligendis remediis, dein in iis apte componendis atque recte praeſcribendis.

VIII.

Apparatus medicaminum tam ſimplicium, quam praeparatorum et compoſitorum in praxeos adiumentum conſideratus. Vol. II. Auctore IO. ANDREA MVRRAY. Gottingae. Apud Io. Chriſt. Dieterich 1779. 8. pagg. 465.

Vtiliſſimi huius inſtituti iam tum, cum primum volumen *) recenſuimus, laudata ratione, breuiter quaedam exempli gratia ex hoc altero volumine, quod, vti primum, lubenter atque facile perlegimus et alios quoque ita perlecturos eſſe ſperamus, excerpemus. In quo continentur ſequentes ſtirpes:

Rotaceae	Rhoeades
Sepiariae	Putamineae
Bicornes	Siliquoſae
Aſperifoliae	Papilionaceae
Verticillatae	Lomentaceae
Perſonatae.	

Gentianae

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 353.

Gentianae rubrae radix eſt praeſtantiſſima inter amara, comparari poteſt cum Quaſſia, ventriculi et inteſtinorum debilitati, inertiae bilis ſubvenit, pituitam tenacem ventriculi ſoluit, acidum primarum viarum frangit cet. Febrifugum inprimis ante tempora Corticis Peruuiani, antarthriticum, anticalculoſum cet. fuit. *Centaurii minoris* herbam, quae Gentianae ſimilis eſt, praefert Noſter ſummitatibus, quippe quae fere inſipidae ſunt. p. 11. p. 18.

Oliuarum fructus, praeter multos vſus hic ſedulo et vberius narratos, proſunt quoque morſui ſerpentum. Sed conciliare diuerſa iſta de effectu huius olei teſtimonia arduum Noſter putat, quoniam plerumque ſpecies ſerpentum non eſt ſignificata. Iteratis itaque tentaminibus res videtur digniſſima. Praeterea huc pertinet vulneris profunditas, pars laeſa, irae gradus, copia ſaliuae irati animalis cet. p. 33.

Vuae vrſi folia, quorum commentationem Noſter *) ſcripſit, lithontripticam exſerunt vim. Aliae huius plantae partes, paucis exemplis exceptis, vbi baccae maturae in puluerem redactae et radix in decocto ſunt exhibita, in medicum vſum non tranſierunt. Addit praeterea quoque eorum praeſtantiam in oeconomia. *Vitis idaeae* baccae et folia nondum recepta ſunt in officinis, merentur vero prae multis aliis. *Baccae* eximie refrigerant, ſitim ſedant, putredinem refraenant et refocillant. Adſtringit herba potenter, vt et inter coriarias locum habeant. In calculo pellendo **) aemulatur p. 54. p. 69.

*) vid. Comm. Noſtr. Vol. XV. p. 164.

**) vid. ibid. Vol. XIV. p. 674. Decad. IIdae ſuppl. p. 165. Vol. XVIII. p. 40. vbi de variis vaccinii ſpeciebus agitur, quas et Cl. MVRRAY addidit.

aemulatur vuam vrſi, quid quod praefertur vuae. *Roriſmarini ſylueſtris* herbae vtilitas cernitur quoque in tuſſi conuulſiua, angina ſtrangulatoria LINNAEI, vt gargariſma, inque exanthematibus lepro-
p. 85. ſis, vt decoctum pro lotione *). *Alcannae verae ſ. Orientalis* radici ſubſtituitur in officinis radix *anchuſae tinctoriae*. Adſtringendi vim illi adſcribunt et coloris rubri grati conciliandi ergo addunt de-
p. 91. coctis, tincturis cet. Cineres *tamariſci* ſal mirabile GLAVBERI verum erogant.

p. 114. *Herba Scordii* calidae eſt naturae, ventriculi robur reſtituit, putredinem efficaciter coërcet, obſtructiones viſcerum reſerat, ſudorem mouet. Et haec quidem experientia ſaepe repetita docet.

p. 150. *Mentha piperita* reliquis menthis efficacior eſt odore forti non ingrate fragrante, ſaporeque ſat
p. 153. acri aromatico et camphoraceo **) gaudet. *Pulegium* plerumque cum mentha criſpa vi conuenit.

p. 183. *Linariae* herba et flores. Suſpecta planta tam ob affinitatem, quam odorem, dum recens eſt, viroſum, qui Ebulum aemulatur, ſaporis ſubamari ingrati. Alias igitur anthirrini ſpecies, vt Anthirrinum maius, Orontium, ſpurium, Cymbalaria, quarum paſſim in libris de materia medica mentio fit, ſilentio hic praeteriit Noſter, quum ſibi quaedam dubia de effectuum hiſce adſcriptorum veritate obuerſentur. Vnguentum de linaria in haemorrhoidibus coecis et dolentibus externe applicatum praeſtat.

p. 197. Gratiolae menſtruum optimum eſt aqua. Praecipua vis purgans latet in pulpoſa ſubſtantia et ideo decoctum diu paratum, efficacius Noſter cenſet infuſo. Herbam conquaſſatam externe in arthritide

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 265.
**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 476.

de et rheumatiſmo, nec non tumoribus a coagulo tam lacteo, quam ſanguineo, vt ecchymoſi, praeſtantiſſimum reſoluendo effectum exſerere narravit Cl. TISSOT fratri Noſtri ADOLPHO Profeſſori Vpſalienſi. Radicem vix cedere herbae recentiorum exempla monſtrant, ex quibus patet, ſtirpem hanc, reſoluendo tenaces humores et materiam peccantem multiplici via, e. gr. ptyaliſmo, diureſi, euacuando ſalutarem ſuam efficaciam exercere.

Papaueris nigri ſemina, capitula, *albi* ſemina p. 215.
folia. Ex vtroque papauere *opium*. A bono opio p. 223.
requiritur, vt vniforme, laeue, tenax ſit, pondus conſtituat quoad molem ſuam leuius, nullas interne ſordes prodat, diſſectum ſcintillas ſalis volatilis oleoſi exhibeat, amaritie, calore ac acrimonia emineat, empyreuma non ſpiret, candelae admotum mox ardeat, aqua omnino ſoluatur,
ſolutum rubicundam tincturam praebeat. Effe- p. 234.
ctus opii, vtut multiplices, duplicem tamen opii potentiam ſpectant, alteram, qua ſtimulum exercet, alteram, qua ſenſum obtundit motusque fibrarum pacat. Ob poteſtatem vires vitales ſeruandi et augendi ad efficaciſſima cardiaca refertur
opium a Cl. TRALLES *) aliisque. Tranſit No- p. 245.
ſter ad varios morbos, quibus auxilium opium affert. In hiſce nominatim virtutis eius, ſomnum inducendi, dolores mitigandi, ſpaſmos delendi et excretiones omnes nimias, praeter ſudorem, ſiſtendi ratio eſt habenda. Latus igitur tam acutorum, quam chronicorum patet campus, in quibus ob horum vitiorum aliquod opii exhibendi neceſſitas ſubeſt. Egregiam rurſus, vti ſolet Cl. MVRRAY, hic omnino inuenias collectionem multorum morborum tam acutorum quam chronicorum, quibus opio vſi ſunt medici externa et

 interna

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 670.

interna, et alia atque alia, quae pertinent ad eius hiſtoriam et ad varia praeparata. Opium crudum vero iure meritoque hic omnibus praeparatis praefertur a Noſtro.

p. 316. Nobis pariter, vti Cl. MVRRAY magis placet
ſyrupus de *eryſimo* ſimplex GEOFFROY ex ſucco
et melle, quam LOBELII aliorumque nimis com-
poſiti ac praeparati ſyrupi.

p. 319. *Cardamines* flores antiſpaſmodicam vim ha-
p. 341. bent *). *Cochleariae hortenſis* herba antiſcorbuti-
ca gaudet virtute. *Burſa paſtoris* eſt ſuperflua.

p. 355. De anodyna vi atque emolliente *Meliloti*
p. 385. Noſter dubitat, diſcutientem externam vero lar-
gitur. Cantharidum, externe ſi vt veſicatoria ap-
plicantur, dolores mitigat melilotus.

p. 398. Pulpa *Caſſiae* laxat ſine torminibus vel exae-
ſtuatione, acore ſuo temperat, ſitim refraenat, bi-
lem vitiatam corrigit atque lotium interdum tin-
git. Perpetua vero haec decoloratio lotii ex caſſia
dici ſaltem nequit.

p. 415. *Terra catechu* ſ. *Japonica* potius eſt extra-
p. 429. ctum, cuius origo et vſus fuſius enarrantur. *Cam-
pechenſe* ſeu *Compeſcanum lignum Sappan lignum* a
p. 436. quibusdam dicitur. *Senegae* vulgo ſ. *Senekae* E-
dinb. radix **) in paucis officinis adhuc venalis ex-
ſtat, etſi maiore iure, quam tot alia remedia, adeſ-
ſet efficax haecce reſoluens et per varias excreto-
rias vias aliena euacuans.

Monitum tandem communicat hic Noſter: „Quum ad cognoſcendas ſtirpes officinales, vt quaslibet alias, iconum fides et elegantia haud exiguum adiumentum afferat: adiicere hic intereſt

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 690.

**) v. comm. noſtr. 1mae decad. Suppl. p. 96. item Vol. XV. p. 516. et Vol. XX. p. 456.

eſt deſignationem earum, quae abſoluto iam primo libri huius volumine in publicam lucem prodiere, vna cum paucis quibusdam, quae et ad praeſens volumen pertinent. Ob defectum harum ſaepe in BLACKWELLIAE opere ſubſiſtere antea coactus fui, quae neceſſitas ſerius rarior fuit, ſuppetentibus figuris praeſtantioribus. IOANNIS MILLERI Illuſtrationem Syſtematis ſexualis Lond. a. 1777. Fol. max. et REGNAVLTI Botanique miſe à la Portée de tout le Monde, à Paris, inde ab a. 1774. Fol. max., quorum operum pretium icones praecipue conſtituunt, per numeros ſignificare non vacat, quum vtrumque per faſciculos absque ordine prodierit. Poſſeſſores vero horum facillimo negotio Tabulas in ordinem Syſtematis Linneani redigere poterunt, quodſi factum fuerit, quaerentes imaginem ſignificatam non alia norma egebunt."

Quae itaque ad primum ac ſecundum volumen pertinent icones, has ſimul inuenias.

IX.

Via et ratio formulas medicas conſcribendi in vſum praelectionum Academicarum edidit D. CHRIST. GODOFR. GRVNER Sereniſſ. Duc. Saxo-Vinariens. et Iſenacens. a Conſil. Aul. Bot. et Theoret. in Vniuerſ. Litt. Ienae Prof. Publ. Ord. Facult. Med. Aſſeſſor Acad. Caeſ. nat. Curios. et Mogunt. Scient. vtil. nec non Societ. Acad. Principal. Haſſ. Sodalis. Halae apud Ioannem Iacobum Gebauer. 1778. 8. plagg. 146. praeter praefationem.

Iure meritoque vrget Cl. GRVNER, vti ex praefatione

tione intelleximus, ſimplicitatem in formulis medicis conſcribendis et ſponte promittit remedii inuentionem, morbi modo cognitione acquiſita, quippe quae primum ſit in facienda medicina. Hanc ſimplicitatem ſequebatur quoque Cl. Auctor in hoc tractatu, in quo conſcribendo ita eſt verſatus, vt ſine vllo verborum ornatu ſcitu neceſſaria et commoda proponeret, vſus auctoritate ac praeceptis clariſſimorum virorum, inprimis Ill. GAVBII, deinde noua, ſi quae exſtabant, adderet, tandem exempla ſubiiceret, quae apud probatiſſimos artis noſtrae Auctores ſe reperire meminerat. Quaedam formularum exempla adhibenda duxit Cl. Auctor, non quod probaret, ſed vires ingenii excitaret ad perſpiciendam differentiam, quae inter laudabilem ac malam formulam intercedit. Praeterea ſcripta huc pertinentia Noſter accurate et ſtudioſe commemorat.

p. 6. Baſis, adiuuans, corrigens atque conſtituens formulam medicam efficiunt: Quibus explicatis et variis vtilibus cautionibus additis, adiungit Noſter pondera atque menſuras, medicamentorum doſes et praecepta generalia, quae ſpectant accurationem, prudentiam, mixtionem, ſimplicitatem ſelectum cet. in praeſcribendis medicis formulis.

p. 25. Viam et rationem nunc perſequitur Noſter in explicandis formularum praeceptis. Atque Cl. GRVNERO videtur natura rerum imitanda, quae res medicinales duplices eſſe voluit, aut *ſolidas* aut *liquidas* ideoque his placita ſua accommodat. En tabulam et normam:

Caput I.
De
Regulis in confectione medicamentorum ſolidorum obſeruandis.

Sect.

Sect. I. De Pulueribus. Quo pertinent *Aſpergo, puluinaria, ſacculi, cucupha, frontale, errhinum, dentifricium, ſcutum ſtomachicum ſiccum.*
Sect. II. De Bolis.
Sect. III. De Electuario, ſub quo deprehenduntur *morſuli ſ. tabulae, rotulae, paſtilli ſ. trochiſci.*
Sect. IIII. De Pilulis.
Sect. V. De Vnguentis, balſamis, linimentis.
Sect. VI. De Emplaſtro et Cerato, quo et *ſinapiſmus et veſicatorium* referuntur.
Sect. VII. De Suppoſitoriis et Peſſariis.

Caput II.
De
Regulis in confectione medicamentorum fluidorum obſeruandis.

Sect. I. De ſuccis expreſſis.
Sect. II. De Infuſionibus, maxime Emulſionibus.
Sect. III. De Decoctionibus ſ. Apozematis.
Sect. IIII. De Potionibus et Miſturis.
Sect. V. De Linctibus ſ. Eclegmatis.
Sect. VI. De Iniectione ſ. Enemate. Quo refertur *collutorium, gargariſma, clyſma.*
Sect. VII. De Epithemate liquido ſ. Fomentatione. Huc *balnea, collyrium, apophlegmatiſmi, ſtomatica, et cataplaſmata* pertinent.

Atque ita his regulis in ſingula ſectione, quas hic repetere nequimus per inſtituti noſtri rationem, traditis, exempla formularum addit, a SCHLEGEL, TISSOT, LVDWIG, KLEIN, WHYTT, MONRO, PRINGLE, STÖRCK, COLLIN et aliis compoſitarum.

X.

Neue Sammlung von Verſuchen und Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. Erſter Band. Mit illuminirten Kupfern. Danzig bey Daniel Ludwig Wedel. 1778.

i. e.

Noua tentaminum et tractatuum collectio Societatis phyſicae Gedanenſis. Vol. I.

Intermiſſam inde ab anno 1756. ſeriem actorum cum Societas non impedire poſſet: nunc *nouorum* actorum nomine in edendis commentariis pergere coepit. Praemittitur itaque fatorum et mutationum, quae Societati contigerunt, relatio, atque nomina Sociorum nouorum. Tum ipſi ſequuntur tractatus:

p. 1. 1. *Nouae de vſu viſus obſeruationes*, Auctore MICH. CHRIST. HANOV. Phyſicae et ſatis ſubtiles ſunt disquiſitiones cauſſarum, cur, ſi trans radios calami ſcriptorii videas, colores iridis appareant; obſeruationum, quibus extra focum res mire augeri apparet. Deinde oſtendit, oculos res etiam minutiſſimas accurate videre, ſitu quodam obiecti conueniente; et, quibus cauſſis, res etiam remotae clare perſpiciantur: exempla deinde et obſeruationes nonnullorum, qui et in tenebris viderunt, refert, et denique oculi artificialis correctionem docet.

p. 20. 2. *Diſquiſitio, quo modo ſyſtema mundi in venere et Luna appareat*, Auctore GODOFREDO REYGER.

3.

3. *Certior ſubtilitatem pilorum et ſubtiliorum ſilorum definiendi ratio*, Auctore M. C. HANOV. Ipſa nimis ſubtilis tractatio. p. 83.

4. GODOFR. REYGER *curatior interitum ſolis ipſiusque altitudinem meridionalem determinatio, qualia* Gedani *occurrunt.* p. 92.

5. EIVSD. *de modo, quo crepuſculi duratio magis ſollicite* Gedani *definiri debeat.* p. 101.

6. *De lapſu corporum grauium in aqua pura et in aqua ſalina*, ab EPHR. KRÜGER *). p. 112.

7. *Tentamen tractatus de Phoſphoris, Lectio* I., Auctore BENIAM. GOTTLIEB VON SCHROEDER. Phoſphororum diuiſione in naturales et artificiales, eorundemque diſcrimine a corporibus, quae aliena luce lucent, vel comburunt, ab electrica materie, et pyrophoris indicatis; ipſos phoſphoros ex tribus naturae regnis obtineri docet. Phoſphorus animalis reliquis praeſtat. Ex ſanguine animali eundem parari poſſe dubitat. p. 128.

Lunariae, quas GESNERVS **) deſcripſit, vix lucem ſponte edere videntur: neque id vir egregius ceteroquin diſertis verbis dicit, ſed ſplendorem, quem folia ſicca et ſiliquae edunt, cum lumine comparauit: quare vix has plantas phoſphoreis adnumeraremus. p. 136.

Lucem atque ignem eiusdem naturae, inter corpora referenda, atque materiem ſulphuream p. 138.

S 5 eſſe

*) conf. Comment. de Bononienſ. Inſtit. Tom. V. Bonon. 1767. p. 39. et Opuſc. p. 280.

**) CONR. GESNERI de raris et admirandis herbis, quae lunariae vocantur. 1669. 4.

eſſe putat. Haec quoque in omnibus phoſphoris adſunt. Omittimus reliqua.

p. 174. 8. *Tentamen cum ligno quaſſiae, inſtitutum* a IO. GVIL. IOHN. Quatuor ſectionibus Noſter hanc rem perſequitur, quarum prima particulas conſtitutiuas quaſſiae complectitur, altera attinet eius effectus in varia ſalia, tertia ſpectat eius vim putredini reſiſtentem, vbi et cum cortice Peruuiano illud comparatur, et quarta reſpicit edulcorantem vim quaſſiae, an et quatenus ei haec poſſit tribui. Multa experimenta hic legi poſſunt. Quod attinet ad partes conſtituentes quaſſiam *), ei plus gummoſi, quam reſinoſi Noſter adſcribit et quoniam vtrumque aegre purum elicitur per tentamina, Noſter vtrumque coniungit et nominat gummi reſinoſum, quo tamen gummi eminet. cet. Ad effectus quaſſiae in varia alia **) monſtrandos Cl. SCHLEGERI experimenta repetiit et diſquiſiuit Noſter. Quaſſia fibras non ita ſolidas atque firmas reddit, vti cortex Peruuianus, adeoque minus reſiſtit putredini quaſſia quam cortex. Denique quaſſia ſerum ſanguinis in ſtatu quieto quodammodo incraſſat et condenſat, impedit vero inſimul, quominus fibrae ſeſe coagulent, id quod de cortice minus dici poteſt. Quaſſiae ineſt aeque ac cortici vis fermentans a qua edulcoratio pendet. Qua occaſione de aëre fixo ſ. gas ſylveſtr; ***) diſputatur.

p. 200. 9. *Cogitata de terra bituminoſa*, Auctore CAROLO AVGVSTO THERKORN. De ea inprimis

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 551.
**) v. ib. Vol. XX. p. 322.
***) v. ib. Vol. XXII. p. 694.

mis, quae in Saxoniae variis locis effoditur, bituminoſa terra agit: atque primo de facie eiusdem externa et ſitu, in quo inuenitur, egit, deinde corpora naturalia indicauit, quae eidem immixta ſunt, tum eiusdem partes conſtitutiuas diſquiſiuit, et vſum oſtendit, denique de origine coniecturas ſubiunxit.

In venis ſed hinc inde cumulatim non procul a ſuperficie telluris inuenitur haec terra bituminoſa, ideoque ex loco natali difficulter exploditur. Diſcrimen eiusdem a Turfa et lithanthrace. In ea pyrites, lignumque bituminoſum et vitriolum, etiam conchylia reperiuntur: quorum ſingulorum exemplar in tabula aenea depingitur. Partes conſtitutiuae ſunt aqua acida, ſpiritui vitrioli ſimile ſal, oleum aethereis vaporibus iunctum, ſal acidum, et ferri ochra. Adhibetur, loco ligni, ad calefaciendum vario modo; vitriolum exinde coqui poteſt; oleum et ſal medicamentum praebere poſſet: atque cineres eiusdem fimi loco vtiles ſunt. p. 201.

Acidum vitriolicum calore telluris agere incipit, atque terram, ligno, quod reſinoſas partes cum terra communicauit, mixtam penetrat, ſicque partes igneae et terreae intime iunguntur, ſicque oritur terra bituminoſa: Quodſi per multa ſecula haec actio continuauerit, lithanthrax oritur. p. 207.

10. *Cogitata de mammalium generibus et ſpeciebus, impoſterum detegendis*, a FRID. AVGVST ZORN VON PLOBSHEIM. Nouiter detectis animalibus indicatis, praeſertim a Cl. ZIMMERMANNO diſſentit: neque a proportione inter regiones detectarum et incognitas, ad multitudinem animalium nouorum colligi poſſe, neque multa p. 209.

magna

magna animalium genera latere, neque ideo ea in poſteris temporibus detegi poſſe arbitratur.

p. 234. 11. *De Electro et Lyncurio veterum*, Auctore D. IO. PET. ERN. VON SCHEFFLER. Electrum eſſe demonſtrat Calcedonium flauum, eiusque diſcrimen a Carniolio flauo ſubiungit: Lyncurium autem a falſa lectione nomen habere, eſſeque legendum Ligurium lapidem, ſicque eum eſſe Topazium Bohemicum.

p. 247. 12. *Deſcriptio conchyliorum*, *Tab. II. III. depictorum*, Auctore F. A. ZORN VON PLOBSHEIM. Maxima ex parte haec conchylia e regione Auſtrali aduenerunt, nonnulla tamen ſunt Magellanica. Icones ſunt elegantiſſimae. Species omnes nouae e genere *Turbinis*, *Mytili*, et quidem varietas Mytili frondis LINN., noua ſpecies Mytilorum ventricoſorum, quae intus ſplendore violaceo, eo quo *Anomia cepa* pollet, ſuperiore, nitet: varietas *Trochi ſcabric.* LINN. *Patella*, vt videtur, *granatina* iunior: *Muricis Erinacei* varietas, *Buccinum*, *Volutae Lapponicae* LINN. ſimile; et aliud eiusdem ſtructurae, ſed minus.

Has deſcriptiones, diligenter factas, ſequitur catalogus Conchyliorum, quae Societati a D. HVMPHRON miſſa ſunt, nominibus Anglicis, addita deſcriptione ſuccincta. Numerus eſt 182.

p. 288. 13. EIVSD. *deſcriptio Ferri natiui*, quod Cl. PALLAS *) inuenit, et cuius exemplar, hic Tab. IV. depingitur. Eiusmodi icones vero nobis parum prodeſſe videntur, neque enim colore, neque figura conueniunt ea fruſta, quae nos ipſi vidimus et poſſidemus. Color brunus, hic pictus.

*) vid. EIVSD. iter Tom. III. p. 417.

ctus, non eſt ferro proprius, potius a croco martis pendet *).

14. GODOFREDI REYGER relatio de vitae geſtis PAVLI SWIETLICKI, Paſtoris Gedanenſis. p. 291.

15. CHRISTIANI SENDEL *vitae deſcriptio* BALTHASARI HAGEMEISTERI, Mercatoris. p. 297.

16. Elogium IACOBI THEODORI KLEIN, Auctore EODEM. p. 300.

X.

GEORGII PROCHASKA Med. Doct. et Profeſſoris Anatomiae in Vniuerſitate Vindebonenſi Extraord. De carne muſculari tractatus anotomico-phyſiologicus. Tabulis aeneis illuſtratus. Viennae ap. R. Graeffer. 1778. 8. pagg. 136. Tab. VI.

Demonſtrat Cl. egregii huius libelli Auctor, p. 2. vnicuique muſculo inter ſepimenta data eſſe cellulosa mox maiora, quemadmodum deltoideo, quem tanquam muſculum ex pluribus conſtantem aſſumere poſſemus, mox minora vel exigua, ſicuti videre eſt in muſculis tranſuerſim ſectis. Sed faſciculi hi muſculorum interſepimentis circumſcripti continent iterum plures alios faſciculos interſepimentis diſtinctos, ita, vt demum vltimi faſciculi meras contineant muſculares fibras. Verum enim vero et in minoribus animalibus p. 8. muſculos inuenit, qui plane nullis diſſepimentis diſtinguerentur. Vt fibrarum muſcularium natu- p. 25. ram

*) cf. MEYERI experimenta *in Berl. Beſchaeft.* P. II. et III.

ram intelligeret, carnis bubulae elixae lacertum duas treſue lineas craſſum ſumſit, obtuſo aliquo inſtrumento contudit, donec mollis euaderet, et poſtea tela celluloſa ſic ſoluta, in liquore limpido abluta filamenta ſeu fibrae muſculoſae apparebant.
p. 27. Quae fibrae microſcopio obſeruatae latae conſpiciebantur. Sed anne illa latitudo a contuſione lacerti?

Porro longitudini ipſius muſculi aequales has fibras in ipſo ſartorio longiſſimo omnino muſculo inuenit, atque irregulariter polyedras neque
p. 32. cylindricas, vt MVYSIVS habet. Craſſities fibrarum muſcularium variat partim pro diuerſitate animalium, ita, vt potiſſimum in quibusdam piſcibus mira ſit varietas, partim pro aetatis diuerſitate, quae omnia iconibus egregie declarauit.

p. 39. In capite tertio primae ſectionis fila carnea, ex quibus fibrae muſculares componuntur, conſiderauit eaque, vti fibras, haud circularia, ſed mox recta, mox ſerpentina via progredi vidit, eorumque ſubſtantiam diaphanam atque craſſitiem diuerſam
p. 49. inuenit. Numerus filorum carneorum pro diuerſitate craſſitiei fibrarum differt, neque vltimum filum muſculare cauum apparet, ſed ſolidum eſt et vix diuidi poteſt. Quapropter Cl. Auctor cum MVYSIO in filis carneis finem muſcularis diuiſio-
p. 51. nis aſſumit. In faſciculis fibrarum, fibris muſcularibus et filis minimis deprehenduntur rugae, quae mox profundiores, mox altiores, modo pauciores, modo frequentiores occurrunt, atque a celluloſae telae filis, arteriis, venis et neruis, muſculum percurrentibus efficiuntur. Denique demonſtrata vaſorum omnis generis neruorumque in muſculis exiſtentia, de ſtructura muſculari cordis, ventriculi, inteſtinorum, et veſicae vrinariae

quaedam

quaedam ſubnectit. Cor habet fibras haud parallelas, ſed anaſtomoſantes, atque craſſiores, quam muſculi voluntarii; veſica vrinaria faſciculos reticulatos muſculares; oeſophagi denique inteſtinorumque tunica, partim ex longitudinalibus, partim orbicularibus componitur. p. 62.

In altera ſectione Cl. Auctor ſuam de actione muſculari opinionem ſeu theoriam proponit, qua credit, a ſanguine inter fila, fibras et faſciculos muſculorum ſerpentine moto muſcularem abbreviari carnem, ab imminuta vero ſanguinis copia rurſum elongari. Indicat, quoque a minima irritatione, ab ira, pudore, ſanguinem protinus congeri in vaſa, et explicat noua ſua theoria adiutus phaenomena actionis muſcularis, quae HALLERVS *de partibus corporis humani ſentientibus et irritabilibus* proponit. Sic demonſtrat; cur muſculi in fruſta diſſecti ſingula pars vi ſe contrahendi polleat, ita, vt dicat, in omni fruſto adeſſe neruos et vaſa humores continentia, variis vaginis incluſa, quae irritata facile actionem muſcularem producere poſſent. In quarto poſtea capite offert quaedam dubia, quae contra ſuam contractionis muſculorum theoriam moueri poſſent, eaque ſoluere annititur. Irritatus enim muſculus ſubito contrahitur, irritata vero alia pars, neque ſubito rubet, neque rurſus ſubito palleſcit. Quod ex organorum, vaſorum minimorum et coloris ſanguinis diuerſitate illuſtrat. Has duas ſectiones ſequitur tertia, quae continet tabularum explicationem. Depinguntur enim figuris ſexaginta et ſex in ſex tabulis variae carnis muſcularis ſectiones, quas Cl. Auctor in variis animalibus inſtituit, atque adminiſtrauit. p. 68. p. 79. p. 94. p. 97.

XI.

EIVSDEM de ſtructura neruorum tractatus anatomicus tabulis aeneis illuſtratus. Vindobonae 1779. 8. pagg. 137. Tab. VII.

In tractatus huius prima ſectione omnis aeui Auctores eorumque placita de neruorum ſtructura a Graecis inde ad MARIAM DELLA TORRE, qui in omni cerebri, cerebelli, medullae ſpinalis et neruorum ſubſtantia globulorum congeriem magnitudinis variae aſſumit, enarrat et proſequitur.
p. 49. Mox autem ipſam neruorum ſtructuram, eorundemque inuolucra conſiderat Cl. Auctor, qui praeter iam nota inuolucra celluloſam telam neruum ambientem et interſepimenta, quae a pia matre orta medullam neruorum diſtingunt eamque duram reddunt, deſcripſit.

p. 57. Poſtea neruorum funiculos perſcrutatur, atque inuenit *olfactorium neruum* duobus oriri funiculis, *opticum*, mox in plures dirimi tenuiores funiculos, tertium par pluribus, quartum vno ordiri funiculo. Quintum par plurimos numerat funiculos, quemadmodum reliqua cerebri paria; cum e contrario omnes ſpinales nerui, quorum triginta numerauit paria, duplici tantum principio
p. 67. ortum ducant. Poſtquam igitur demonſtrauit, corticalem et medullarem cerebri, itaque quoque neruorum medulloſam ſubſtantiam ex multis minutiſſimis fieri globulis, qui celluloſa tela et vaſis coërcerentur et ſanguinis globulis octies minores eſſent, vna cum R. DELLA TORRE monet globulos hos in neruorum medulla ordinem aliquem ſeruare atque in fibras diſponi, cum e contrario in cortice et medulla cerebri promiſcue ponantur.

In

In ſectione tertia tabulae aeri inſculptae explicantur. Tab. I. fig. 3. ff. depingit arbuſculum cinereum in oliuaribus corporibus, et gg. cineream in corporibus pyramidalibus poſticis ſubſtantiam. Tab. II. fig. 3. depingit fungoſitatem aliquam ſubſtantiae medulloſae neruorum ab amputatione brachii ortam. Praeterea variorum parium ex funiculis ortus, varii plexus atque neruorum interior ſtructura iconibus illuſtratur. p. 83.

XII.

Diſſ. de nono pare neruorum cerebri. Auctore IOANNE FRANCISCO WILHELMO BOEHMER. Goettingae 1777. 4. c. tab. aen. 2. pl. 8.

Tribus haec diſputatio abſoluitur ſectionibus, quarum prima Auctores, qui de nono neruorum cerebri pare ſcripſerunt, indicat, altera anatomicam eiusdem deſcriptionem ſiſtit et tertia functiones noni paris atque nonnullos morboſos, qui ab eo laeſo pendent, affectus pertractat. Primum itaque a GALENO vſque ad SABATIERIVM omnium celebrium anatomicorum deſcriptiones commemorat, diiudicat et inter ſe comparat; paulo poſt vero ad ipſam paris noni deſcriptionem abit. p. 1.

Refutata ANDERSCHII cerebri neruorum diviſione, qua ſcilicet nono pari decimi paris nomen impoſuit, deſcriptoque arteriae vertebralis et nervi acceſſorii WILLISII itinere, initium noni paris ex anteriori ſuperficie inferioris medullae oblongatae partis et quidem ex ſulco, qui inter corpora pyramidalia et oliuaria intermedius eſt, ex pluribus filamentis compoſitum demonſtrat. Filamentoſae origines, quae quatuor inprimis faſciculos p. 21. p. 29.

formant, ambiunt vertebralem arteriam ſeque mox in duos inprimis ramos vel in vnum ſaltem colligunt, qui per aperturam externam canalis condyloidei anterioris egreditur atque in progreſſu cum ſurculo nerueo octaui paris atque neruulis a ganglio ceruicali ſuperiori nerui intercoſtalis exortis connexus, arcum format et ad muſculos
p. 34. oſſis hyoidei abit. Ex arcuata hac nerui via provenit *ramus deſcendens*, qui cum alio a ceruicalibus deſcendente arcum efficit atque alios ſurculos plures muſculis coracohyoideis, ſternohyoideis, ſter-
p. 38. nothyreoideis largitur. Denique progreſſum nerui noni ad muſculos linguae eiusque apicem vſque conſiderat.

p. 40. In tertia ſectione examinat et pertractat GALENI, BOERHAAVII et WILLISII de vſu noni paris opiniones, et affirmat lingualem hunc neruum motum tantum ſpectare, atque in voce regenda, et maſticationis ac deglutitionis negotio
p. 52. multum valere. Explicat porro varia morboſa ſymptomata, connexionem arteriam vertebralem inter et noſtrum neruum, phreniticorum linguam tremulam, ebrietate affectorum loquelam impeditam vel deficientem, paralyſeos linguae prae-
p. 53. greſſum ante apoplexiam et alia. Denique conſenſum noni paris cum aliis cerebri paribus atque ſymptomata hinc prouenientia perſcrutatur.

XIII.

Verſuch einiger praktiſchen Anmerkungen über die Nerven, zur Erleuterung verſchiedener Krankheiten derſelben, vorzüglich hypochondriſch und hyſteriſcher Zufälle, entworfen von D. IACOB FRIDRICH ISENFLAMM. *Erlangen bey Wolfgang Walther* 1774. 8. 200 *Seitt. auſſer der Vorrede.*

i. e.

Tentamen nonnullarum practicarum annotationum ſupra neruos ad illuſtrandos varios morbos, inprimis hypochondriacos et hyſtericos. Auctore Cl. IACOBO FRIDERICO ISENFLAMM.

Pertinet hic lectu dignus liber ad anatomiam practicam et vbique profecto reſpicit Cl. Auctor in eo ad medicinam clinicam. Quapropter vel prorſus omiſit ea, quae inutilem ſubtilitatem et obſcuritatem theoriae de neruis ſapiunt, vel breuiſſime eam theoriam perſequitur, quatenus nempe nerui quibusdam morbis ſunt expoſiti. Non immodeſte inſcripſit Cl. Auctor hunc librum tentamen, quod ipſe facile largitur, offerri in eo aſſerta non omnibus numeris abſoluta vel non ſatis definita vel non clare illuſtrata et certo probata. Ratio eſt habenda medico cauſae efficientis et p. 9. effectus, atque attendenda irritabilitas corporis humani, a qua pendent ipſorum medicamentorum effectus varii.

Ad deſcriptionem neruorum nunc ſeſe accingit Noſter, nec curat hic eorum ſitum, diſtributionem coniunctionemque, ſed potiſſimum p. 24.

reſpicit ad naturalem ſeu impeditam neruorum
p. 33. actionem. De fluido nerueo quidem varii varie ſentiunt; attamen vtrum ſit electricum ſeu electricitati ſimile ſeu cum ea affine, coniunctum et mixtum, an talis electrica materia in corpore humano quodammodo mutata et elaborata, non diſcernit; ſaltem arbitratus eſt Noſter, ſapientiſſimum Creatorem elementa (*Grundtheile*) eiusdem materiae in omnia nutritioni et conſeruationi corporis humani ſeruientia corpora, quid quod in aërem ipſum ſeu ſecundum nonnullorum virorum doctorum ſententiam in vniuerſam naturam diſtribuiſſe.

p. 36. Primum et ſecundum par neruorum et mollis portio ſeptimi paris ſeruiunt ſoli ſenſui, caeteroquin non eſt confectum, num nerui ſenſus et motus ſimul ſeu ſeparatim inſint corpori. Omni difficultate non eſſe deſtitutam hanc rem Noſter aſſerit. Sedes animi eſſe ſenſorium commune videtur.

p. 51. Viſcera habent ſuum definitum irritabilitatis gradum et eius incrementum humorum affluxum
p. 77. et ita ſecretiones poteſt augere. Quemadmodum omnibus febribus quid ſuperuenit, quod cor ad celeriorem contractionem ſtimulat, ita omnibus in morbis neruoſis quid apparet, quod naturalem motum fluidi neruei impedit vel mutat. Nihilominus tamen, aucto cordis ſtimulo, reſpicit Noſter ad fluidum nerueum, quod ſuos effectus hic coniungit.

p. 96. Variis monitis, de retrogredientibus et reprimentibus miaſmatibus morboſis eorumque peſſimis effectibus, praemiſſis a Noſtro atque exemplis illuſtratis, duplicem quaeſtionem ſeu obiectionem mouit: Qualem habeant haec miaſmata ſingularem rationem, mixtionem et naturam, vt ad hos

neruos

neruos ſeſe conferant, neque ad alios. Proditne hoc ſimilitudinem ſeu connexionem cum fluido nerueo; porro quodnam huius celeris mutationis quoad ſedes harum materiarum in neruis ſit fundamentum, ſiue cur hae tam ſubito a neruis externarum partium ad neruos internarum depellantur, cum hae acrimoniae potius, externas partes occupantes, in vicinas externas partes tranſire deberent. Rheumatici facile ſentiunt hanc celerem mutationem et diligenter enarrant, quomodo rheumatiſmus vagetur et ab externis ad internas partes ſeſe conferat e. gr. ad cor, pulmones, ventriculum cet. et palpitationes cordis, anxietates, nauſeam et vomitum efficiat; cet.

Diuerſis ſymptomatibus, ſi catamenia et hae- p. 110.
morrhoides minus rite fluant, diſquiſitis, quae neruos turbant, Noſter quaeſtionem mouit: eſtne medulla ſpinalis continuatio cerebri, atque ita pars cerebri ipſius, ſiue ramus nerui magnus? Reſpicit nempe Noſter hic potius ad actionem, quam ad ſubſtantiam medullae. In p. 116.
conſenſum neruorum inquirit et variis exemplis illuſtrat Cl. Auctor, nec non diuerſitatem ſyſtematum neruoſorum in aliis atque aliis oſtendit. Inter exempla idioſyncraſiae notamus hoc: Duo- p. 153.
bus catulis quotannis vena ſecabatur vere, et autumno, euacuatione aluina inſtituta. Accidit interea, vt alter, qui ſanguinem videbat et accurate attendebat, inopinato inciperet trepidare et oculis caliginoſis in lypothymiam cadere, aqua adſperſa reſipiſcebat et venaeſectio tum intermittebatur. Quoniam hic caſus Noſtro mirus videbatur, petebat, vt proximo aequinoctio idem tentamen inſtitueretur, ſed recuſabatur, et nonnullis menſibus poſt moriebatur catulus. Qualis imbe-

cillitas atque mollities in animali alias rabido?

p. 170. Exemplum exſiccati nerui optici hic narratur.

p. 185. Malum hypochondriacum et hyſtericum iam Noſter coniunctim contemplatur, quoniam vtrumque magnam ſenſibilitatem et irritabilitatem prae ſe fert et magnam alit ſimilitudinem. Malum hoc eſt cum et ſine materie, cuius ſymptomata ſingulari ſenſibilitati, mobilitati, irritabilitati, debilitati, rigiditati laxitatique adſcribantur et

p. 197. ſedes in abdomine. Tenſio non cadit in neruum, etiamſi haec neruis interdum tribuitur. Vberius hic inquirit Noſter in vocem tenſionis in neruis, varie de hac diſputat et triplicem modum tenſionis huius contemplatur.

p. 219. Confectum eſt, actionem neruorum ope ſubſtantiae medulloſae, et valde probabile ope motae materiei neruoſae fieri. A preſſione neruorum alii atque alii oriuntur effectus. Senes et teneri infantes malo hypochondriaco et hyſterico non adeo facile ſunt expoſiti.

p. 232. Nullum eſſe ſymptoma, hypochondriaco et hyſterico malo ſolenne, quod non deriuari et explicari poſſit a praeternaturaliter magna vel parua neruorum ſenſibilitate et aucta vel imminuta irritabilitate viſcerum et aliarum muſculoſarum partium, vno exemplo probat Noſter, quod cernitur in vrina ſpaſtica eiuſmodi aegrorum, plerumque prodromo inſultus hypochondriaci ſ. hyſterici.

p. 238. Quaeritur porro: num ii, qui inter eruptionem dentium et variolarum tentantur conuulſionibus, adultiori aetate, malo hypochondriaco et hyſterico eo magis ſunt expoſiti? Incrementum et decrementum, progreſſus et finis vtriusque mali admodum variat. Quapropter Noſter et remedia hic non prorſus reiicit, vti nonnulli

ſolent,

ſolent medici, ſed quaedam offert, diuerſis vtriusque huius mali accommodata gradibus. Motus eiuſmodi hominum ſit diuerſus. Attenuantia, reſoluentia, roborantia cet. remedia interdum vix ſufficiunt ad ſymptomata hypochondriaca et hyſterica compeſcenda. Neceſſe igitur erit, vt neruis naturalis gradus ſenſibilitatis et viſceribus idem gradus irritabilitatis concilietur. Hoc fit ſupprimendo aut excitando neruos. Prius efficiunt narcotica, anodyna et antiſpasmodica e. gr. opiata crocus, aſa foetida, camphora, moſchus, caſtoreum cet., poſterius praeſtant aromata et plantae, quae multum volatilis ſalis et olei in ſe continent. Et his remediis competit recte nomen neruos roborantium remediorum, quae Noſter diſtinguit a neruinis reliquis remediis et ſpeciem neruinorum appellat. Inter quae horum vtrorumque remediorum num phoſphorus cum ſaccharo tritus et in epilepſia non fruſtra adhibitus, erit referendus? quaeritur a Noſtro. Radice poeoniae et viſco querno ſimilibusque remediis Noſter cum fructu vſus eſt in morbis neruoſis. Omnia remedia vniverſalia antihyſterica et antihypochondriaca prorſus Noſter reiicit. p. 260.

Quaecunque hic de hypochondriacis et hyſtericis morbis eorumque cauſa proxima a Noſtro docte et vtiliter aſſerta ſunt, poſſunt de omnibus morbis cerebri et neruorum dici et, diuerſae proximae cauſae, hos morbos ſiſtentis, habita ratione, ideam, quae de morbis neruoſis in genere et in ſpecie nobiſcum hic communicatur et de eorum proxima cauſa, vtilitatem poſſe afferre arbitratur Noſter iis, qui varia remedia et alias atque alias medendi his morbis neruoſis methodos pro eorum diuerſitate adhibent. Quapropter p. 279.

 etiam

etiam reliquos morbos neruoſos hic Cl. Auctor omiſit.

XIV.

Des Herrn D. OLOF ACRELL *chirurgiſche Vorfälle in dem Königl. Lazareth und auſſerhalb demſelben angemerkt. Erſter Band. Nach der zweyten mit beträchtlichen Vermehrungen und Kupfern verſehenen Ausgabe. Aus dem Schwediſchen überſezt von D.* IO. ANDREAS MVRRAY. *Göttingen bey Iohann Chriſtian Dietrich* 1777. 8. 479 *Seitt.* praeter dedicationem praemonitionem et praefationem. *Zweyter Band* ib. eod. 472 *Seitt.*

i. e.

Caſus chirurgici. Auctore OLOF ACRELL. **Vol.** I et II.

Non ſolemus quidem verſiones indicare, ſed autographos ipſos, attamen diligentia huius et aſſiduitatis ſtudium Cl. MVRRAY noſtram inſtituti rationem hic facile mutarunt. Praeterea accedit et augmentum huic verſioni Germanicae, quod deeſt ipſi Suecico libro, tres nempe tractatus in appendice, quorum duo Cl. MVRRAY a Cl. Auctore Ipſo ſunt traditi et vnus eſt ex actis Holmienſibus *) repetitus. Prima verſio Germanica **), ſecundum primam Suecicam editionem facta non laudatur a Cl. MVRRAY et ab aliis et inſuper deſtituta eſt his nouis iisque multis vtilibus additamentis. Nos vero, cum primam huius

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 353.
**) *Chirurgiſche Geſchichte etc. Lübeck und Leipzig* 1777. 8.

huius lectu digniſſimi libri editionem *) iamiam indicauimus, ea, quae nouiter addita ſunt, potiſſimum curabimus et ex iis quaedam, quantum licet ob breuitatem, qua nobis ſtudendum eſt, exempli loco repetemus. Nam ſunt profecto Lectores ad ipſum librum legendum a nobis incitandi. Seruauit Cl. Auctor eum ordinem, quem loco non multum ante, laudato legimus, nouis autem exemplis ditauit et in Germanica hac verſione Cl. MVRRAY eam appendice, qua deſtitutus eſt Suecicus ipſe liber, vti ſupra monuimus, locupletauit. Gratus itaque offerendus tradendusque eſt Cl. MVRRAY animus pro ſtudio huius Germanicae verſionis edendae, vt linguae Suecicae minus gnari fructum vtilitatemque ſat magnam inde etiam capere queant.

Pars I.

De fungoſo et cancroſo tumore in et ſub ſiniſtro oſſe bregmatis. Qui ſequebatur, capite ita vehementer impacto, vt aeger lipothymiam pateretur. Reſipuit autem non diu poſt et ſecure ſe negotiis ſuis dicauit. Atque ita annus vnus et dimidius praeterlabebantur ſub inſolitis capitis doloribus nullaque medicina vtebatur aeger. Interea tumor creſcebat, qui aegri et adſtantium attentionem excitabat. Aeger vrgebat inciſionem, medentes eam recuſabant. Tandem autem tumor incidebatur et, euocato partim tenui, partim coagulato ſanguine, ſopore afficiebatur aeger, ſenſu et motu carens. Poſt tres dies conuulſionibus obiit, ſingulari memoria hic vir gaudebat eamque ſine vlla mutatione vſque ad mortem ſeruauit. p. 36.

Bis emphyſemata capitis ex onere capiti impoſito et ex ictu eius Noſter obſeruauit. Erat tumor elaſticus in parte capillata capitis et frontis p. 43. et 46.

 ſine

*) v. comm. noſtr. Imae decad. Supp. p. 656.

ſine fluctuatione, qui laxantibus et epithematibus ex aceto, abſynthio, mentha criſpa, meliſſa citrata et lauri baccis intra viginti et vnum diem ſine criſi diſparebat. Noſter eiuſmodi tumores flatulentos ſine vlla laeſione capitis deriuat a preſſione contextus, qua ſolida robur ſuum amittunt et fluida nimis copioſe affluunt et dein ſeſe extendunt. Cl. GOOCH *) hunc caſum quidem deſcripſit, attamen videntur obſeruationes eius cum laeſione capitis fuiſſe.

p. 63. Labium inferius praeternaturaliter magnum Noſter feliciter curauit. Dicitur eiuſmodi labium *Leopoldinum*, quoniam Imperator Romanus LEOPOLDVS eiuſmodi labium habuit, inprimis ſi ira commotus fuit.

p. 130. Lentem cryſtallinam calculoſam Noſter extraxit coloris flauo fuſci, rotundam, grauem, calculo ſimilem nuclei parui ceraſi magnitudine. Quae non erat lamelloſa, ſed granuloſa, et habebat cum aliis concretionibus calculoſis in corpore humano ſimilitudinem.

p. 143. De hernia et fiſtula lacrymali earumque diverſitate ob cauſarum, quas Noſter, vti ſolet, accurate enarrat, varietatem, hic recenſet, quae aliam atque aliam ſanationem poſcit, hic propoſitam et exemplis illuſtratam.

p. 166. Narium ſarcomatum feliciter ſanatorum duo exempla cum methodo ſanandi traduntur.

p. 172. Ranula eſt tumor, continens tenacem et limo ſimilem aquam, ſedens plerumque ſub lingua. Si magnus eſt hic tumor turbat loquelam. Ob ſimilitudinem cum ranis facta eſt a nonnullis Auctoribus haec denominatio. Alias poſſunt eiuſmodi tumores aliis quoque oris in locis oriri, vbi ductus ſaliuales et vaſa abſorbentia ſunt. Atque ita apparent

*) v. comm. noſtr. IIdae decad. Suppl. p. 592.

parent eiuſmodi tumores in labiis, genis faucibusque. Quod ſi enim tenax lympha eiuſmodi vas obſtruit, parietes eius ſubinde ita extenduntur, vt illud rotunditatem leguminis nanciſcatur. Tres caſus hic narrantur memoratu et lectu digni.

Exfoliatio ſingularis maxillae inferioris totius, praegreſſo morbo, noma*) dicto in ambobus genis. Addita quoque eſt icon. p. 192.

Oſteoſarcoſis menti, quae diu durauit et ſat magna et longa dependebat ſacci inſtar et faciem valde defoedauit, vti ex icone apparet, a Noſtro ſanata eſt. p. 195.

Epulis ſcorbutica, ſpinoſa, cum carie et cancro hic a Noſtro commemorantur. p. 199.

Bucca feneſtrata feliciter a Noſtro ſanata eſt. Simile exemplum nos vidimus, quo ductui Stenoniano in dilatatione vlceris pulchre chirurgus parcebat, etiamſi ille inciſioni proximus erat.

De difficilibus vulneribus in faucibus et collo per fractas fiſtulas tabacarias **) tria exempla cum felici exitu proponuntur. Vnus per annum dimidium fractae fiſtulae tabacariae partem ſupra ſcapulam ſine moleſtia tulit, praeter febrem lentam, quam ad hunc caſum non pertinere credebat. Non diu poſt autem apparebat abſceſſus, quo aperto, fracta pars extrahebatur et aeger ſanitati prorſus reſtituebatur. p. 239.

Aneurysma verum internae et ſiniſtrae arteriae carotidis ita compreſſione ſanatum eſt, vt poſt quinque p. 255.

*) vid. comm. noſtr. IIdae decad. indic. tripl. verbum *noma*.

**) Nos ſimile exemplum nuper vidimus, dilaceratio partium in faucibus autem erat tanta, vt aegro eſſet moriendum. Plures eiusmodi caſus plerumque vero letales leguntur apud Auctores.

quinque vſque ſex menſes arteria ſuum robur, diametrum atque magnitudinem nacta ſit. Sequebatur hoc aneurysma poſt pugnam, qua globulus plumbeus per ſclopetum in anteriorem colli partem inter arteriam aſperam et aſcendentem ramum ſiniſtrae carotidis immiſſus fuerat. Mirum profecto huius globuli iter et omnino mirus et rarus caſus.

p. 267. Caries clauiculae ſiniſtrae cum haemorrhagia magna.

p. 275. Aneurysma ſpurium cum haemorrhagia.

p. 290. ſeqq. Exempla cancri occulti, vbi exſtirpatio in vno bis eſt inſtituta, hic collecta ſunt, et Cl. ACREL affirmat, donec internum miaſma carcinomaticum alterans et corrigens remedium non inueniatur, operationes externas diiudicandas eſſe, vt palliatiua remedia eaque dubia et minus ſecura, etiamſi multi Auctores exſtirpationem pro vnico et certo remedio habeant.

p. 315. Empyema ſiue abſceſſus pleurae cum febre ceterisque omnibus ſymptomatibus malignis, per tredecim ſeptimanas durans mortemque minans decocto anſerinae, cuius duas libras aeger quotidie potabat, ita mutabatur, vt omnia in melius vergerent et aeger triginti et octo annorum priſtinae valetudini et robori prorſus reſtitueretur. Tribuit quidem Cl. Auctor hanc celerem et bonam mutationem non ſoli huic decocto, quoniam incertum ei videbatur, poſt aliquot dies tamen, cum eo vteretur aeger, haec ipſa eſt animaduerſa. Apparebat quoque tumor, cuius inciſionem debilitas ſumma et timor aegri et incertus euentus huius operationis, qui potius in acceleranda, quam arcenda morte plerumque cernitur, vetabant.

p. 320. De carie coſtarum tria exempla cum bono euentu proponuntur.

Letalis

Letalis lenta febris ſequebatur abſceſſum omenti. Aperto cadauere omentum omne erat conſumtum vſque ad colon et ventriculum ita, vt vix veſtigia adhaeſionis in his partibus reſtarent. Meſenterium erat atro coeruleum et ita emaciatum, vt accurate omento ſimile eſſet, ſi omentum ſcilicet deperditum eſt et ſolae membranae ſuperſunt, ita vti obſeruauit Noſter in aſcitibus et in aliis phthiſibus, a viſceribus laeſis ortis. p. 357.

Caſum enarrat Noſter herniae incarceratae ſcrotalis, quae operationis ope reponebatur. Qua occaſione de vtilitate huius operationis per ſe non adeo periculoſae diſputat Cl. ACREL, eam oſtendit et ad nonnullas obiectiones reſpondet. p. 395.

Anus inguinalis per duos annos durans feliciter ſanatus eſt. p. 400.

Separationem ſymphyſeos oſſium pubis ſiſtens exemplum hic Noſter enarrat, orta a pure in ea regione collecto et corrupto, quod cartilaginoſam ſymphyſin arroſit et ſeſe in muſculis abdominalibus extendit. Inciſionibus autem rite factis et pure euocato, vndecima ſeptimana eſt haec puerpera prorſus reſtituta ſanitati. p. 430.

De fiſtulis ani praemiſſis exemplis, nonnullas annotationes addit Noſter, harum fiſtularum cauſas potiſſimum concernentes. Quarum quatuor Noſter recenſet, ac *prima* quidem corpora peregrina deglutita in inteſtinum rectum delata et vel inferius vel ſuperius ibidem morantia, *altera* ſuppurationes in viciniis recti, quae illud perforant, *tertia* varicem perforantem et *quarta* violentos caſus, rectum ita irritantes et mutantes, vt in eo tumores, ſuppurationes cet. oriri oporteat, ſiſtunt. Finiunt has annotationes cautiones de cicatrice ita formanda, ne fiſtulae reuertantur. p. 432.

Varias

p. 457. Varias hic collegit Cl. Auctor ſarcoceles ſpecies, vt ſarcocele, cum teſticulis ſphaceloſis, cum
p. 470. ruptura recti teſticuli cet. Porro mentionem facit exſtirpationis omnium partium genitalium, quam vir aliquis ob infauſtum amoris commercium ipſe ita inſtituit, vt ne de vita periclitaretur.

p. 472. Racoſis *) exemplum hic commemoratur. Erat infauſta abbreuiatio ſcroti relaxati. Etiamſi haec operatio fere ſemper habuit infauſtum euentum, tamen Noſter, cautionibus omnibus adhibitis, eam ſuadet.

p. 475. Sarcocelen comparatiuam hic commemorat. Tumor hic ſarcoceli ſimilis, erat in partibus genitalibus virginis nouemdecim annorum, ab initio ceraſi magnitudine, quem ſine vllo moleſtiae ſenſu ferebat. Non diu poſt hic tumor celerrime creſcens e genitalibus propendebat nigro colore et carcinomatico foetore, mali magnitudine.

Ligaturis autem, quas praefert Noſter exſtirpationi in eiusmodi exemplis, quoniam nec adeo facile nec perſaepe maligniores reuertuntur poſt ligaturas, quam poſt exſtirpationem, hic tumor prorſus abſceſſit.

Pars II. Progrediamur ad alteram, partem in qua
p. 19. exempla calculorum in veſica vrinaria inprimis ſexu in potiori, cum aneurysmatibus leguntur. Addit Noſter inſtrumenta lithotomica, quibus vſus
p. 54. eſt et quae quidem conueniunt cum PALVCCI **) et LE CAT †) inſtrumentis, attamen numerum eorum

*) Seu *proptoma* eſt partis externae, etiam ante lapſum conſpicuae et a palpebris, bulbo oculi, lingua ac gurgulione diuerſae procidentia. v. SAUVAGES noſolog. methodic. Tom. II. Part. I. p. 99.

**) Lithotomie perfectionnée. Vienne 1757 av. fig.

†) Parallele de la taille laterale. Amſterd. 1766.

eorum Noſter imminuit, vti ex comparatione, deſcriptione et iconibus patet.

Calculi veſicae vrinariae in ſexu ſequiori p. 56. ſunt rariores ob maiorem vreteris amplitudinem et breuitatem. Interim tamen recentiores et veteres exempla memoriae tradiderunt et Noſter quoque quaedam hic addit. Calculi veſicae et p. 63. renum ſimul. Tres calculi erant veſicae et vnus renalis quorum icones ſunt additae. Singularis p. 69. cauſa dyſuriae, quae calculoſi quid mentiebatur, erat ſacculus quidam ex ipſis veſicae membranis conflatus in veſica, qui et hic in icone ſpectatur. Phthiſin cum calculis in vrethra coniunctam No- p. 77. ſter obſeruauit: Inſoliti renales et veſicae calculi, inſignis quoque magnitudinis interdum, vt quatuordecim et dimidiam vnciarum, hic in iconibus conſpiciuntur. Duplicis vteri deſcriptio et icon hic traditur. Quod ad ſuperfetationem attinet, laudat Noſter in actis Suecicis obſeruationes collectas *).

Fracturarum valde complicatarum hic No- p. 96. ſter mentionem facit. Oedema ſeroſum manus a p. 139. morſu veſpae vulgaris LINN. relictum, optime p. 157. diſcuſſum eſt aqua frigida. Aneurysmata ſpuria p. 166. a venaeſectione compreſſione tentauit machina ab eo inuenta et hic delineata, quae a Cl. POVTEAV **) detecta machina in eundem vſum, eſt prorſus diuerſa. SCHARPIO monitore Noſter ex ligatura arteriae p. 187. et nerui ſimul nullam noxam vidit in laeſa arteria brachii.

Sphacelus cruris poſt febrim ſynocham pu- p. 288. tridam ſponte curatus. Hoc appellari poteſt amputatio

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 60.

**) v. Melanges d. Chirurg. 355. comm. noſtr. prim. decad. Suppl. p. 140.

putatio cruris ſpontanea. Cl. ALIX *) ſimilem caſum enarrat. Idem obſeruauit Cl. LVDWIG in aduerſariis medico practicis **), quae Lipſiae prodierunt.

p. 343. Fracturae patellae non adeo ſunt rarae. Fracturae et diaſtaſis tarſi cum vulnere exempla quatuor Noſter hic enarrat, nouam methodum ſanandi tradit et icones addit.

p. 304. Varios tumores adipoſos, ſeroſos, ſcorbutico aneurismaticum cet. hic Noſter collegit, methodo ſanandi per ligaturam cet. addita.

p. 437. Ad appendicem progrediamur. Ac primum quidem lentam cranii depreſſionem hic enarrat Cl. Auctor cum cephalaea, ſopore, hemiplegia appetituque proſtrato. Trepanatio nihil praeſtitit et aeger periit. In cerebro nullum apparebat vitium fixum, ventriculi vero et ſinus cerebri inſugerant ſerum, a quo ſymptomata haec ſupra nominata repetenda erant.

p. 443. Hydroceles ope cauſtici ſecundum Cl. ELSE's †) methodum, cum optimo ſucceſſu ſanatae ſunt.

p. 446. De accidentali apertura arteriae femoralis, quae ligaturas poſcebat et ſine atrophia partis inferioris feliciter eueniebat. Hunc cum felici exitu non frequenter occurentem ſeu ſaltem, vti Cl. ACREL ratur, non tam crebro in libris diligenter memoratum caſum accurate hic Noſter, vti in omni omnino hoc libro ſolitus eſt, tradidit, quaedam exempla ex aliis Auctoribus collegit et totam hanc rem iconibus illuſtrauit.

XV.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 262.
**) v. ib. Vol. XX. p. 675.
†) Eſſay on the cure of the tunica vaginalis teſtis.

XV.

CHRIST. FRIDR. MICHAELIS, Med. Doct. de angina polypoſa, ſeu membranacea. Goettingae, ſumtibus viduae Abraham. Vandenhoek 1778. 8. p. 309.

Recenſet Cl. Auctor ab initio libri, diuerſas morbi noſtri denominationes, quae etiam in iis terris, vbi maxime graſſatur, vſu receptae, et a variis Auctoribus ſunt adhibitae. Dein ad ſcriptores de morbo hocce transgreditur, et TVLPIVM primum fuiſſe, qui ipſum deſcripſerit, contendit. Deſcriptio morbi haec excipit; eſt vero p. 10. ab initio febri catarrhali non abſimilis, cui mox orthopnoea, ſonus inter reſpirandum peculiaris pipatui pullorum gallinaceorum ſimilis, vomiturītiones, imo etiam materiae tenaciſſimae vomitus, artuumque tumores iunguntur. Deglutitio, in tanta reſpirandi difficultate, quae ſuffocationem nunquam non minitatur, rariſſime laeditur. Vrina ſedimento albo diſtinguitur, et pulſus, qui, cum inciperet morbus, erat celer, fortis, in celerem, debilem, mollem, imo intermittentem mutatur. Materies caſeoſa multa, imo tubuli membranacei, tuſſiendo, non ſine ſummo aegrotantium leuamine, ſaepius eiiciuntur. Quibus quidem eiectis, mortis nondum omnis euanuit timor, cum haud raro morbifica iſta materies regenerari ſoleat. Pauciſſimis vt plurimum ſtrangulare ſolet diebus morbus noſter. Externus corporis, hoc morbo defuncti, habitus, ſuffocati formae prorſus reſpondet; ex interni vero inſpectione, aſperae arteriae inflammatio, corpusque membranaceum, variae longitudinis, atque craſſitiei, internam arteriae illius faciem tegens, ſcrutatorum prome-

ruit attentionem. Conſiſtentia iſtius adeo inconſtans eſt reperta, vt in aliis diſcindi ob tenacitatem aegre poſſet, in aliis non ſine rupturae metu e ſede ſua extrahi pateretur. Color ipſius vulgo conſpicitur albus, qui tamen haud raro rubicundis vel gryſeis punctis ſtriisque diſtinguitur. Organicae ſtructurae honos, ipſi vix concedendus videtur; cum aſperae arteriae vero tunica villoſa, tunc demum iungitur, ſi materies purulenta, quae intercedere vulgo ſolet, deeſt. Aqua in arteria detegenda haud dubie ab ſuffocatoria morte profecta videtur. Abdominis inſpectio, quam fere omnes neglexerunt, vel fruſtra ſuſceperunt, Noſtro hepar ex badio nigricans, inteſtinumque colon ac rectum coarctatum obtulit.

p. 23. Iam naturam corporis huius membranacei indagans, probare annititur polypoſae indoli maxime reperiri analogum. Quod vero quo luculentius appareat, in naturam polyporum aſperae arteriae inquirit; dicit ergo eos eſſe inorganicos, ex humore quodam inſpiſſato, qui Ipſi, varias ob rationes, lymphaticus eſſe videtur, ortos, in quo cum cordis vel ſanguiferorum vaſorum polypis conueniant. Diſquirit iam vlterius cauſas polyporum bronchialium, vel ab effuſo ſanguine vel ab metaſtaſi lymphatica ortorum. Probat vero concretiones tubuloſas anginae huius, ex eadem conſtare cum polypis modo nominatis materia, eodem reperiri in loco, eademque inſigniri figura; ex quibus, non immerito polypis annumerandas eſſe cenſet. Neque defectus cruſtae pleuriticae in ſanguine ſectione educto, cum omnis lymphaticus humor in polypum hunc iam fuerit formatus, neque craſſior polyporum, harumque concretionum caua fabrica, multum obeſſe, Auctoris videntur ſententiae. WIL-

CKII

CKII *) vero ſententiam, polypum huncce eſſe membranam arteriae aſperae villoſam, inflammatam, ſeparatam, humore multo dilatatam, partim cadauerum inſpectione, partim aliis iisque grauiſſimis argumentis refutauit. MVRRAYI **) vero opinioni, ex muco indurato oriri, oppoſuit, 1) phaenomenum illud rariſſime euenire, cum tamen ſaepius oriretur, ſi ad mucum in membranas mutandum, nil niſi aëris requireretur aditus, 2) mucum in cruſtas lemasque fragiles potius, quam in membranas tenaces, exſiccari, 3) has ipſas mucoſas cruſtas in aqua tepida priſtinam recuperare naturam, quod in noſtris ſecus ſe habeat, 4) humiditatem arteriae aſperae, exſiccationem muci impedire. Neque lymphae in mucum huiusque in membranam metamorphoſes, quas HOMIVS †) propoſuit, ob diuerſam vtriusque fluidi indolem Noſtro ſatisfaciunt. Triplex vero explicandi ratio, a CALLISENO ††) propoſita, vel ex muco catarrhali denſato, vel ex cruſta aphthoſa, vel denique ex muco purulento in viſcerum inflammationibus tranſſudante, mali originem arceſſens, Noſtro non probatur, partim ob iam dictas rationes, partim propter morbi aphthoſi, anginaeque polypoſae differentiam. Mucus denique purulentus CALLISENI, verbo ſolum a lympha coagulabili differre Noſtro videtur.

Tertia libri ſectio annotationes quasdam generales circa morbi huius naturam complectitur. p. 66.

V 2 Diſſe-

*) De angina infantum in patria recentioribus annis obſeruata, Praeſ. SAM. AVRIVILLO. Vpſal. 1764.

**) Nov. Comm. Soc. Gotting. Tom. IV. p. 55.

†) An Inquiry in to the Croup, by FRANCIS HOME. Edinb. 1765. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 334. porro ib. Vol. XXI. p. 645.

††) Actor. Hafnienſium Vol. I.

Diſſeruit hic de locis, in quibus morbus eſt obſervatus, caſusque iſtius ſimul fecit mentionem, de quo olim ad Lectores retulimus noſtros *). Contagioſis morbis, ad quos ab ROSENIO **) relatus eſt, neque hereditariis malis cum BVCHAN †) annumerandus videtur. Referendus autem eſt morbus non ad infantiles ſolum, neque ad eos, quibus ſemel affligi homines ſolent, neque tandem recentiori demum tempore ortis, etſi ob arduam diagnoſin a veteribus vix deſcriptus reperitur, erit adſociandus. Eſt vero natura morbi generis inflammatorii, quae ex febre concomitante, dolore circa tracheam, antiphlogiſticorum vtilitate, atque ex euidente inflammationis praeſentia in cadaueribus reperta patefieri videtur. Procul vero Cl. Auctor abeſt ab ea quorundam virorum ſententia, qui ſpaſticis ſymptomatibus prorſus carere morbum hunc perhibent, quorum praeſentiam, primo ex analogia cum affectibus ab illapſis aſperae arteriae corporibus ortis, deinde vero ex tuſſi, vomitu, voce ſtridula, dyſpnoea inter ipſum morbi augmentum remittente, morte ſubitanea, emeticisque antiſpaſmodice operantibus, euincere ſtudet. Apathia vero laryngis, in cuius cauſa indaganda multum occupati fuerunt, Noſtro prorſus abeſſe videtur, plus nempe affici dicit tracheam a corpore hocce leui pededentim nato, pulpaque molli obducto, quam ab ſimilibus, quae irritare alias ſoleant, corpuſculis humanae machinae partes. Refutata CVLLENII ††) definitione Ipſe Cl. Auctor quandam ſubſtituit, dicit nempe eſſe *anginam membranaceam,*

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 185.

**) v. comm. noſtr. 1mae decad. Suppl. p. 96.

†) Domeſtic. medicine, v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 580.

††) Noſologia methodica p. 160. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 716.

naceam, catarrhalem fiſtulae aëreae inflammationem, cum metaſtaſi, materiei ad partem affectam lymphaticae, quae niſi vel praematura mors, vel remedia tempeſtiue adhibita, impediunt, in polypoſum concrementum abeat. Diuiſa eſt angina haec in eam, quae hominibus eſt propria, atque in eam, qua boues cruciari compertum eſt. Reſpectu vero denſitatis materiae morbificae in completam atque incompletam eſt diſtributa; ſicut in ſimplicem compoſitamque ob morbos hancce comitantes. Refutantur iam iſti, qui pro mero gangrenoſae anginae ſymptomate morbum noſtrum habuerunt, inter quos BALDINGERVM *) eſſe intelleximus. Diuiditur vulgo in ſtadium inflammationis ſuppurationisque, quorum poſterius a Cl. Auctore prorſus negatur, cum pulſus mollities viriumque debilitas, ab impedita ſanguinis per pulmones via oriatur, album vrinae ſedimentum lymphae metaſtatice ad renes ductae debeat originem, cum mucus porro diu retentus puri, quod obſeruaſſe quidam putarunt, non abſimilis videatur, cumque ſigna ſuppurationis incipientis prorſus deſint. Ipſa tunicarum ſanitas, quae a pure certe tolleretur, membrana polypoſa excreta, non ſtatim redire poſſet. Neque tamen deſunt exempla hominum, ſaepius hoc morbo affectorum, phthiſica tandem morte pereuntium.

In quarto ſegmine, de diagnoſi morbi loquitur. Eſt vero pathognomonicum morbi huius p. 107
ſignum adhuc nullum detectum, neque vox ſtridula, quae a variis pro eo habebatur, hoc nomine eſt honoranda, quippe quae in morbo noſtro aliquando deeſſe, imo etiam in aliis obſeruari

 ſolet

*) *Magazin vor Aerzte* 10 *St. p.* 926.

ſolet *). Ex plurium itaque ſignorum collectione certa demum formari poterit diagnoſis. Enarrauit poſtea eos morbos, quibuscum plurimum conuenientiae alit, inter quos angina gangraenoſa eminet. Differt vero haec a morbo noſtro ſignis putredinis, vt inſigni oris foetore, lingua ſordibus bilioſis tecta, vomitu aluique deiectionibus peſſime olentibus, faucium carmoſino colore, vlceribus, maculisque gryſeis os interne cruſta obducentibus, deliriis, dolore totius colli, voce rauca, doloribusque poſt tubulos gangraenoſos excretos auctis. Iisdem quoque doloribus, quos vltimo nominauimus, ab angina ſcarlatinae, aphthisque dignoſci facile poteſt. Ab aſthmate conuulſiuo, a quo gradu ſolo differe ab vno alteroque immerito creditur **), ſymptomatibus ſpaſticis in aſthmate grauioribus, orthopnoea moleſtiori, vrina tenui, pulſuque diſcrepat paruo. His ipſis ſpaſmi praeſentis ſymptomatibus, ab catarrho ſuffocatiuo ETTMÜLLERI †) diſcernitur. Qui tuſſi conuulſiua aegrotant ſpaſticis ſymptomatibus, tuſſique grauiore, certis periodis redeuntibus torquentur, doloris tracheae ſunt expertes, anodynisque ſanantur. Cynanche trachealis voce non ſtridente tracheaeque doloribus vehementioribus dignoſcitur. Anginae ſeroſae proprii ſunt faucium tumores, vocis ſtridulae defectus, atque dyſpnoeae incrementum non remittens. Angina neruoſa ſpaſticis ſymptomatibus grauioribus ſtipatur. In affectu catarrhali communi vox nunquam mutatur, neque

*) vid. HOME l. c. et ELLER de cognoſcendis et curandis morbis p. 176.

**) a diſſertation of the ſpasmodic Aſthma of Childern by MILLAR. vid. comm. noſtr. ſecund. decad. Suppl. p. 695.

†) Operum tomo II. pag. 480.

neque tanta excitatur ſpiritum ducendi moleſtia. Angina pectoris, vt plurimum ſenilibus corporibus infeſta, acuto ſub ſterno dolore dignoſcitur. Corpora tracheae per exteriorem vim illapſa, fortiorem excitant dolorem, neque fixo loco inhaerentem. Signa, quibus a peripneumonicis diſtinguitur affectibus, a vocis ſtridulae defectu, doloreque tracheae preſſione increſcente, petenda. A polypis bronchialibus angina noſtra aegre diſtinguitur, atque in cauſſa occaſionali forſan vnicum erit dignoſcendi auxilium, vix vnquam enim haemoptoen morbum noſtrum ſequi dicitur. Sub finem vero huius ſectionis in indagandis iſtis obſeruationibus, quae immerito ad anginam hanc fuerunt relatae, eſt occupatus.

Cauſarum prognoſeosque ſcrutinio quinta p. 172. ſectio eſt dicata. Diſponunt vero quaeuis ad hunc morbum, quae pulmonem debilitant, irritant, adeoque humorum in hoc viſcus decubitum efficiunt. Pertinent ad horum cenſum morbi praegreſſi pulmonibus infeſti, e quibus aſthma, morbillos, catarrhalesque affectus pertinaciores commemorauit, dum humida ſoli aëriſque conſtitutio, infantilisque aetas. Refrigerium, pedum praeprimis, vnica occaſionalis Noſtro videtur cauſa. Eſt vero angina iſta infantibus periculoſior, quam adultis; neque intermiſſionibus morbi ſpontaneis multum ſpei eſt tribuendum. Prognoſin infauſtam ſuadent reſpiratio difficillima, pulſus mollis celerque, facies rubra turgens, inquietudo ſumma, vox perpetuo acutiſſime ſtridula, fruſtulorumque membranaceorum eiectio. Vrina alba turbidaque, quae variis reſorpti puris vel membranae iam formatae videbatur teſtimonium, Noſtro, quippe ab lympha abundante metaſtatice ad renes

delata oriatur, critica potius videtur. Neque vox ſtridula, quae ab rimae glottidis coarctatione ſpaſtica Cl. Auctori orta videtur, pro certo membranae polypoſae iam progenitae ſigno ab Ipſo habetur, cum a lympha fluida adhuc produci ſaepius poſſe videatur. Orthopnoea vero pro vnico habetur ſigno, ex cuius praeſentia ad membranam formatam colligi poſſit, etſi ex huius ſigni defectu, ad membranae ipſius defectum, colligere non audeat.

p. 191. Tranſimus ad ſextam ſectionem medendi methodum proponentem. Primum vero remediorum, cuius mentionem factam eſſe videmus, eſt venaeſectio, quae etſi vtilitatis contra morbum plurimum afferre ſolet, tamen cum virium robori ſaepius inſtituta non ſatis proſpiciat, duodecim circiter hirudinum collo applicatorum, vel ſcarificationis vſum magis commendandum eſſe ratur. Alui libertas deriuatioque a ſuperioribus ad inferiores partes, purgantibus antiphlogiſticis; materiaeque peccantis eliminatio primis diebus, anodyno-diaphoreticorum remediorum, ad quae pediluuia tepida pertinent, applicatione conciliatur. Sanguine ſectione hirudinibusque extracto, veſicatorium eximiae vtilitatis eſt repertum. Applicandum vero illud Cl. Auctori videtur anteriori colli regioni, quo aſperae arteriae proxime adiaceat, et ad ſtranguriam praecauendam opii particulam addi ſuadet *). Loco veſicantis ex cantharidibus, linimentum ex oleo oliuarum et ſpiritu ſalis ammoniaci confectum applicari poſſe affirmat. Ex remediis emollientibus, quorum ſorbitionem varii ad inflammationem

*) R. FORSTEN diſp. de cantharidibus Lugd. Bat. 1776. 4. p. 78. v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 676.

mationem aſperae arteriae ſiſtendam laudarunt, aquam frigidam, quae nimirum et adſtringendo et materiam lymphaticam repellendo agat, antecellere putat. Membrana vero polypoſa iamiam formata, ab his prorſus abſtinendum erit, et alia, quae iam ſumus commemoraturi, tentanda.

Relata ſunt ad auxilia medelae huius ſtadii, primum expectorantia, vt aceti, olei, piperisque vapores, quae vero Noſtro ob irritationem, quam producunt, atque virium ſuarum debilitatem, craſſitiei membranae formatae non reſpondentem, minus probantur. Dein emetica, quorum quidem vſum experientiae auctoritate confirmat. Non prius vero adhibenda ſunt vomitoria, quam ſi ſanguinis copia remediis antea dictis fuerit imminuta, ne pulmonum augeatur inflammatio. Neque tamen diu exſpectandum eſt, donec exhibeantur remedia iſta, ne membrana nimis indureſcat difficiliusque emeſi euocari poſſit. Proſunt vero non ſolum ad membranam e larynge efferendam, verum quoque ad copioſum ventriculi mucum reſpirationem ſaepius turbantem euacuandum, atque ad ſpaſmos, anodyna ſua facultate compeſcendos. Emeticis vero, ob nimiam neruorum irritationem, vel ob membranae iuſto tenaciorem naturam, fruſtra propinatis, fomentationes externae emollientes, veſicatoria, opium, ipſaque tracheae diſciſſio ſubſtituenda videntur. Refutatis itaque iis, quae varii propoſuerunt aduerſus hanc operationem dubitationibus, Cl. Auctor probauit, bronchotomiam in hoc caſu omni carere periculo. Neque enim aſperae arteriae vulnera abſolute letalia ſunt comperta, neque is glandularum thymicae thyroideaeque ſitus vt ipſas violare prorſus neceſſarium ſit, neque longitudinalis tracheae inciſio, qua ad extrahendam membranam egemus, eae quae ad

 orbem

orbem finditur, difficilius ſanari poteſt, neque ea membranae contingere videtur craſſities, quae inciſionem penetrare non valeat, neque tandem fama medici, ſi ſub operatione periturus forſan eſſet aegrotus, Noſtro multum periclitari videtur. Quo facto vnicam in tracheotomia ſalutis ſpem poſitam eſſe euincere tentauit, argumentis breuiter recenſendis. Poterit vero facili negotio non ſolum educi membrana, cum accreta nulla ſui parte cernatur, atque cum Cl. FAVIER *) experimentis conſtet, corpora praeter naturam tracheae inhaerentia, aperturae in canalem aëreum factae afferri atque ab natura eiici; verum quoque ſi vel maxime non eiiciatur, reſpiratio certe huius operationis auxilio ita emendabitur, remediorumque expectorantium vſus ita adhiberi poteſt, vt non poſſit non medicamentis adhibitis membrana diu reſiſtere. Putat vero per aperturam iſtam tracheae vapores reſoluentes optimo cum ſucceſſu poſſe admitti. Inſtituenda autem videtur Noſtro in ſecundi ſtadii initio, vbi emetica fruſtra propinata fuerunt, neque, vt quibusdam viſum eſt, ad ſuffocationis momentum eſt differenda. Peripneumonicis affectibus venaeſectio medetur. Spaſticis ſymptomatibus vero clyſteres anodini, balnea tepida atque emetica anodinis ſuis virtutibus ſuccurrunt. Prophylaxis ex cauſarum antea dictarum ſcrutinio facile formatur. Anginae chronicae huius generis, rarius quidem occurrenti, inque phthiſin degeneranti, reſoluentia, deriuantia roborantiaque aptiſſime ſunt opponenda. Ex prioribus efficaciſſimum Ipſi aqua calcis ex teſtis concharum parata, cum ſaponis ſolutione, vel decocto demulcente copulata, videtur. Deriuandi cauſa

ſetacea

*) vid. Memoires de l'Academie de Chirurgie de Paris. Tom. V.

ſetacea coſtis ſpuriis applicata, atque ad robur conciliandum corticem Peruuianum vel ferrum commendauit.

Adiunxit operi hiſtorias huius morbi a ſe aliisque obſeruati, obſeruationumque meteorologicarum faſciculum. Plurimae harum hiſtoriarum ex libris olim editis a Cl. Auctore ſunt petitae, quaedam tamen nondum deſcriptae proſtant, pertinet ad eorum cenſum omnium prima, in qua morbus in ſorore ſua eſt obſeruatus, atque epidemiae Werthheimenſis a Cl. SAVER cum Noſtro communicata deſcriptio. Has ideo ſilentio praetereundas eſſe cenſuimus, quod ſingula mali ſymptomata iam olim exhibuimus. Tempeſtas vero tempore harum epidemiarum pluuioſa, frigida ingrataque ſaepius eſt reperta, ſicuti meteorologicae, quas adiunxit, nos docuerunt obſeruationes. p. 253.

XVI.

Abhandlung über die Bruſtbräune, von CHRISTOPH FRIEDRICH ELSNER. *Erſter Verſuch. Königsberg bey Iohann Iacob Kanter* 1778. 8. 84 *Seiten.*

i. e.

Tractatus de angina pectoris. Auctore CHRISTOPH. FRIDERICO ELSNER.

Primum de hoc morbo ſcripſit Cl. HEBERDEN*) p. 2.
vti Noſter in hoc primo ſuo tentamine lectu digno monet, et praemittit cadauerum eodem morbo demortuorum ſectiones, ex aliorum medicorum ſcriptis **) petitas et inter ſe comparatas. Quae

*) vid. Comm. Noſtr. Vol. XIX. p. 200.

**) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte,* 3*ter Band p.* 182. 198. *et* 720.

Quae autem, vti Noſtro videtur, cauſam huius
noui morbi proximam non docent. Namque oſ-
ſificationes cartilaginum, coſtarum et partium in
viciniis cordis poſitarum, adipis collectio in thora-
ce ſeu eius hydrops non in omnibus his cadaueri-
bus adfuerunt, quae BONETVS, MORGAGNI alii-
que iam quoque annotarunt et obſeruarunt, ideo-
que cauſam proximam huius anginae non ſiſtunt.

p. 19. Quae cum ita ſint, Noſter duo exempla at-
tentione digna ad hiſtoriam huius anginae illu-
ſtrandam hic tradit, quae magnam conuenientiam
habere videbantur cum hac angina. Ex ſatis ac-
curata atque diligenti autem horum exemplorum
relatione a Noſtro hic data, luculenter apparet,
cauſam omnium ſymptomatum eorumque ſat mul-
torum eſſe arthriticam atque ita cauſam anginae
pectoris. Vnum nempe exemplum anginae pe-
ctoris ſpectabat arthritidem retrogreſſam et alte-
p. 59. rum arthritidem interne latentem. Confirmat
nunc ſuam ſententiam obſeruationibus aliorum,
HOFFMANNI, STRACKII cet.

p. 66. Omnino hanc anginae hiſtoriam imperfe-
ctam et incompletam Noſter iudicat et requirit
accuratiores et diligentiores de ea obſeruationes,
quam hactenus factae ſunt.

p. 79. Oſſificationes cartilaginum et valuularum
cordis cet. Noſter, vt arthritidis ſequelas, conſide-
rat et exemplis arthriticorum tophorum illuſtrat.
Adipis collectionem in pectore, quam obſerua-
runt Cl. Auctores, pariter ab arthritica cauſa re-
petit. Nam eiusmodi homines, ſint affecti regula-
ri ſeu irregulari arthritide, procliues ſunt ad adipis
collectionem. Quodſi porro haec materia arthri-
tica ſecundum nonnullorum ſententiam ex ea
parte ſucci nutritii conſtat, qui ad nutriendum con-
ſumi et ad conſeruandas ſolidas partes apponi ne-
quit;

quit, ſeu largitur ſaltem, vti poſſe concedi Noſter arbitratur, in paroxyſmis arthriticis eiusmodi album lacti ſimile humidum moueri et ad partes dolentes deferri; facile intelligi poteſt, quo modo ex hoc humido, donec circulo ſanguinis interſit, ſucco nutritio vero, et modo per ſtagnationem in articulis naturam ſuam mutante, adipoſae collectiones in pectore oriri queant. Quando nempe arthritica materia ad internas ſeſe conuertat pectoris partes et, doloribus excitatis, quaſi ſtimulo, albam lacti ſimilem materiam allicit ad eas.

Rebus itaque ſic ſeſe habentibus, haec angina p. 83. pectoris non eſt nouus morbus, ſed ſymptoma anomalae arthritidis, aſthma arthriticum habet SAVVAGES *). Methodus medendi cernitur in eo, vt irregularis arthritis remediis ei congruis fugetur, ſeu, ſi natura vult eam in regularem mutare, vt hoc naturae conamen ſuſtentetur. *Prius* efficiunt roborantia et ſimul reſoluentia gummata, vt gummi guaiaci, haederae cet. amara aromaticaque; in primis hic laudatur *liquor mineralis martialis*, qui conſtat ex liquore minerali HOFFMANNI et limatura martis. Cum iis remediis vel coniungenda ſunt antiſpasmodica balneaque. *Poſterius* praeſtant externe irritantia remedia, quorſum Noſter et electricitatem refert, interne exaeſtuantia remedia, vt moſchus, camphora, liquor cornu cerui ſuccinatus, cet. ſunt exhibenda ad febrem excitandam.

XVII.

*) vid. Noſolog. methodic. Tom. II. P. II. p. 175. Edit. 8.

XVII.

Commentatio de vſu veſicantium in febribus acutis, et ſpeciatim in ſananda pleuritide accuratius determinando. Auctore B. L. TRALLES. Vratislauiae ſumtu I. C. Meyeri, 1778. 8. mai. plagg. 18. cum praef. et dedicat.

Propoſuit ſibi Illuſtris Auctor eadem methodo, qua in diiudicandis opii viribus, et in determinandis indicationibus iis, quibus illae reſpondent, cum omnium fere medicorum plauſu eſt verſatus, plurium medicamentorum, eorumque praeſertim heroicorum accuratius examen ſuſcipere, eaque, quae ad certiorem et ſecuriorem eorum ſpectent applicationem, ſolidis principiis ſuperſtruere, vt, quae ex tanta opinionum circa quorundam remediorum vſum farragine veritati accedant, et quae ab illa ſint remotae, exinde appareat. Qua de re, vt aliquam ſui propoſiti abſolueret partem, hunc librum curauit edendum, in quo eorum praeſertim veſicantium remediorum, quorum baſin cantharides conſtituunt, vſum accurate, et, ita expoſuit, vt neque experientiae, neque rationi fuerit aduerſatus, ſed iis ſolis inſtiterit argumentis, quae recto vtriusque huius veritatis cognoſcendae praeſidii nituntur vſu. Et fatendum omnino eſt, eam viam, qua Illuſtris Auctor in abſoluendo ſuo opere eſt progreſſus, non poſſe non ad inueniendas veras remediorum vires longe eſſe aptiſſimam, quippe qua, quae naturae medicatrici, et quae medicamentis, diaetaeque regimini debeamus, luculentiſſime pateant. Eſt autem Ill. TRALLES in percurrendo ſuo tramite ea verſatus ratione, vt, praemiſſa vſus cantharidum

in medicina hiſtoria, in principium horum animalium actiuum, modumque agendi inquirat, atque internum, externumque eorum in variis morbis vſum conſideret. Progreditur deinde ad acutas febres, et veram pleuritidem, ſuasque addit rationes, ob quas locum veſicantibus in his morbis ſanandis aegerrime eſſe concedendum exiſtimat.

In illuſtranda medici cantharidum vſus antiquitate nonnullos veterum medicorum locos Noſter laudat, eosque teſtari, cenſet, veteres his animalibus interne aſſumtis aduerſus varios morbos, externe vero applicatis quam rariſſime fuiſſe vſos, donec HIERONYMVS MERCVRIALIS, SENNERTVS, HERCVLES SAXONIA, RIVERIVS, aliique hanc eorum adhibendorum methodum ſuaſerint, et aduerſus ſecus ſentientes defenderint. Etſi autem non multum roboris ſententiae de cantharidum vſus antiquitate locos illos, quos Ill. Auctor nominat, afferre fatendum eſt, quippe cum vero propior nobis videatur opinio eorum, qui veteres Graeciae medicos aliam Meloës ſpeciem in vſum vocaſſe contendunt *), tamen, cum neutra harum opinionum ſit, vt nobis videtur, ab omni dubitatione prorſus libera, nolumus in diiudicanda TRALLESII ſententia eſſe prolixi, ſed ad difficiliora, et diſquiſitione multo digniora progrediamur momenta. Atque huc quidem ſpectat illa diſputatio, qua, quale ſit principium cantharidum cauſticum, et qua ratione in noſtrum corpus, viasque praeſertim vrinarias agat, definire ſtudent naturae p. 6. p. 12.

*) Confer. R. FORSTEN diſquiſitio medica cantharidum naturalem, chemicam et medicam hiſtoriam exhibens, vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 676.

naturae ſcrutatores. Abſolutam tamen reſponſionem proferre ad vtramque quaeſtionem Noſter non audet, ſed eorum modo cogitatorum, quae nuperi medici ſuper hac re fouerunt, aliquam ex-
p. 25. hibet recenſionem, Ipſique prae ceteris WILLISII ad explicandam cantharidum in ſecernentes lotii partes actionem ſententiam probari dicit, cum Hofmanniana ad eam clariorem reddendam vix quicquam conferat.

p. 26. Relicta autem hac diſputatione, ad ipſum cantharidum vſum exponendum Noſter accedit, eorumque miratur audaciam, qui, etſi tot nociuae horum animalium vis proſtant teſtimonia, eaque ideo a multis inter venena fuerunt relata, internum tamen eorum vſum laudibus extollunt ſummis; et negandum omnino non eſt nobisque ipſis conſtat, ab imprudentibus medicis cantharidibus, aliisque generoſis medicamentis peſtiferas in humano corpore mutationes fuiſſe haud raro productas, eaque propter caute et circumſpecte iisdem eſt vtendum; omnem autem eorum internum vſum nulla ratione prohibendum alii iudicarunt. Exigua enim doſis in rebellibus quibusdam morbis, in quibus ex ſummorum medicorum auctoritate anceps remedium nullo praeſtat, ſalutaribus effectibus producendis haud raro par fuit. Qua de re, ſi WERLHOFIO*), aliisque expertiſſimis medicis fides eſt habenda, in hydrophobiae ſanatione cantharidum internus externusque vſus magni
p. 30. eſt faciendus. Quod vero ad iſchuriam a ſpaſtica conſtrictione, aut inflammatione partium vrinae ſecretioni inſeruientium ortam, ad calculi,

*) conf. R. A. VOGELS *ausgeſuchte kleine akademiſche Schriften, pathologiſchen, praktiſchen und chirurgiſchen Inhalts, herausgegeben von* S. G. VOGEL, *Lemgo* 1778. 8.

calculi, podagrae et gonorrhoeae ſanationem, venereique ſtimuli excitationem ſpectat, parum omnino abeſt, quin Ill. Auctori aſſentiamur; etenim rationes, quas huius rei demonſtrandae cauſa profert, ad perſuadendum admodum ſunt idoneae. De hydrope autem euictum eſt, pertinaciſſimum p. 36.
hoc morborum genus exigua cantharidum doſi ſaepenumero fuiſſe ſanatum; neque verendum facile eſſe arbitramur, ne muſculares, atque nervoſae hydropicorum fibrae ab hac medicina multum irritentur, aut gangraenoſae reddantur, quippe cum humorum ſtagnantium, partiumque ſolidarum omni robore deſtitutarum inſignem in corpore reperiat copiam. Relinquamus autem internum cantharidum vſum, et cum noſtro Auctore ad eos effectus contemplandos, quos ſub emplaſtrorum forma adhibita haec inſecta in corpore producunt, nos accingamus.

Ac primum quidem eas expendit Ill. Auctor mutationes, quas cum vniuerſa humorum maſſa, tum illa pars, cui applicati cantharides fuerunt, experiuntur. Conſtitit autem repetitis BAGLIVII, p. 51.
WILLISII, aliorumque obſeruationibus, putridam p. 54.
haec inſecta corpori inducere diſpoſitionem, ne- p. 59.
que ſanguinis coagulum, quae VERATTI erat opinio, ab iisdem eſſe extimeſcendum. Irritant praeterea totum neruorum ſyſtema, corpus concutiunt, humorum motum reddunt celeriorem, febrisque ortum ſummopere adiuuant, cutaneum autem habitum, quem attigerunt, inflammant, ſerumque ex eo proliciunt. Quae cum ita ſint, non poterit non facile eſſe intellectu, ſanandis febribus veſicantia nulla ratione conuenire, quippe a quibus potius omnium ſymptomatum exacerba- p. 61.
tio ſit expectanda. Patet vero ſimul ex eorum ef- p. 62.

fectuum conſideratione, quibus producendis apta atque idonea ſunt haec animalia, vſum eorum externum in morbis ex languore, motusque imbecillitate ortis, in quibus ſit ſanguinis circulatio reddenda celerior, et vis vitae debilis ad iuuandam coctionem accommodanda, effectus ſequi longe ſaluberrimos. Praeterea in ſeroſae et pituitoſae materiei collectione, qua phlegmatici temperamenti homines afficiuntur; in morbis, in quibus cuiusdam corporis partis irritatio procreanda, humorumque ad alias regiones affluxus eſt auertendus; in topico dolore, qui aliis auxiliis obſtitit; in prorſus ſufflaminato nerui cuiusdam motu, et in frigidis, humidisque regionibus veſicantia nunquam non concedenda ſunt; etenim ita haud raro omnis abſoluitur curatio.

Sunt vero ex his ipſis veſicatoriorum indicantibus facile eruendae eae conditiones, quibus impedimur, quo minus haec medicamina adhibeamus; quam ob rem, etſi Ill. Auctor eas ſtudioſe annotauit, repetendis tamen iisdem non immorabimur, ſed ad febrium acutarum conſiderationem
p. 69. pergamus. Atque harum quidem naturam et cauſas ſi rimamur, inquit Noſter, haud facile in ſtimulantibus remediis medelam reperire poterimus; etenim ex BOERHAAVII et SWIETENII aſſertis patet, iisdem vim producendae atque augendae febris potius, quam imminuendae eſſe adſcribendam. Quapropter imitanda non eſt ea quorundam medicorum ratio, qua, etſi repetitae obſeruationes huius aſſerti veritatem ſatis euincunt, externum tamen cantharidum vſum in febrilibus quibusdam morbis vehementer commendant, aliisque ſanioribus medendi methodis praeferunt. Cum enim animaduertiſſent medici, in peſte, febribusque malignis veſicantia quandoque profuiſ-

ſe

ſe, ea in benignioribus malis aeque fructuoſa fore putarunt. Pertinent autem ad hanc claſſem HERCVLES SAXONIA, BOHNIVS, VERATTVS, FREINDIVS, aliique, quorum placita Noſter recenſet, iisque vim perſuadendi ineſſe omnino nullam demonſtrat. p. 73.

Et FREINDIVS quidem in ea verſabatur opinione, vt, praeter venaeſectionem, nullum in febribus euacuationi promouendae aptius eſſe remedium, quam veſicantia, ſtatueret, eaque in acutis, et ſpeciatim in variolis, morbillis, febre ſcarlatina et eryſipelacea, licet ſanguis ardentius aeſtuet, haud tamen infeliciter adhiberi crederet. Iam autem, cum quotidiana experientia huic opinioni omnino contraria ſit, Freindianam medendi methodum cum Ill. TRALLESIO prorſus reprobare cogimur, auctoremque eius neque diuerſarum acutae febris periodorum, neque temperamenti aegrotorum vllam habuiſſe rationem cenſemus, cum, vt ex additis ab Ill. TRALLESIO locis patet, nullas addiderit conditiones, quibus veſicantium vſum aut reſtringeret, aut prorſus cohiberet. p. 75. p. 82.

Excipit FREINDII de veſicantium vſu ſententiam ea, quam Cl. CLOSSIVS ſuper hac ipſa re fouit, et in ſuo *de noua variolis medendi methodo* tractatu *) cum erudito orbe communicauit. Hic enim, ſua niſus experientia, BOERHAAVIO, TISSOTO, ipſique TRALLESIO contrariatur, febrificamque cantharidum vim non prorſus quidem negandam, neque tamen neceſſariam ſemper atque perpetuam eſſe contendit. Reſpondet autem Ill. TRALLES, cantharides omnibus viuentibus neruis ſtimulum inferre, eosque partium, quibus ſub emplaſtri forma fuerunt applicati, rubo- p. 92.

 rem,

*) Prodiit Traiecti ad Rhenum, 1766. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 647.

rem, ipſamque inflammationem procreare, quanquam pro diuerſa ſubiectorum indole mox citius, mox ſerius haec eueniant, ipſique effectus eius interdum euidentiores, interdum remiſſiores ſint.
p. 100. Quapropter diſſuadendam prorſus hanc febrium acutarum curandarum rationem arbitratur; etenim longe frequentius accidere poteſt, vt veſicatoriorum vſus ſynocham febrim in putridam, et inflammatoriam in gangraenoſam diatheſin mutet, quam vt ſanationem earum adiuuet.

Accedit Ill. Auctor ad aliorum medicorum de veſicantium in febribus vſu ſententias. Et MERCVRIALIS quidem, ETTMÜLLERVS, PROSPER ALPINVS, MORTONVS, LANCISIVS, HOFFMANNVS, aliique celeberrimi medici applicationem huius remedii admodum reſtrinxerunt; ſymptomatum enim febrilium, quibus leniendis ſtudendum eſt, exacerbationem illud haud raro procreaſſe, aegroſque in ſummum periculum
p. 106. conieciſſe perhibent. Medium autem inter hos et FREINDIVM atque CLOSSIVM locum Ill. PRINGLIVS tenuit, qui veſicanti remedio in curanda febre non omnem denegauerit vim. In altero enim febrium inflammatoriarum periodo, in qua pulſus nimis debilis animaduertitur, a cantharidibus externe applicatis multum auxilii eſſe expectandum perhibuit. Eſt autem, vt noſtro Auctori videtur, ipſe PRINGLIVS hanc regulam ſemper et vbique non ſecutus, cum in angina, dyſenteria, hepatitide, ileo, phrenitide et pleuritide veſicantia ſine omni diſcrimine laudauerit. Haud tamen ex adductis a Noſtro locis apparet, PRINGLIVM absque omni reſtrictione externum cantharidum vſum in huiusmodi febribus commendaſſe; etenim in omni inflammatoria febre naturae vires ſaepenumero nimis ſunt debiles, eaque

que propter, ſiue fauces occupauerit inflammatio, ſiue ea in quodam infimi ventris viſcere ſaeuierit, et ſimul coctionem peccantis materiei prohibuerit, haud abſonum putamus, veſicantia in hac ipſa periodo inter indicata cum Ill. PRINGLIO referre, cum innumera experimenta ſaluberrimum eorum vſum docuerint.

Non ſoli autem acutae febri, verum etiam vehementibus quibusdam ſymptomatibus, vt anxietati, deliriis, conuulſioni et aliis haec medicamina conuenire Cl. CLOSSIVS putat; dicit enim, poſt veſicantium applicationem ea nunquam ingruere, aut, quando iam adfuerint, iisdem admotis breui fugari. Cum vero haec ſymptomata a viſcido inflammatorio, minutiſſima vaſa obſtruente dependeant, et ab humorum motu aucto increſcant valde atque augeantur, non poſſunt ex TRALLESII mente veſicantia conducere; qua de re cum TISSOTO ad contraindicata ea refert, et ſinapiſmis potius locum relinquit, quippe quorum vim in ea parte, cui imponuntur, ſubſiſtere, neque ad augendum ſanguinis motum quicquam contribuere cenſet. p. 111. p. 125.

Accedimus ad febrium malignarum epidemicarum conſiderationem, et ad veſicantium adverſus eas virtutem. Et RIVERIVS quidem in maximo malignitatis gradu quinque diuerſis corporis locis haec emplaſtra adhibuit, eaque prauis et venenatis ichoribus attrahendis admodum idonea fuiſſe tradidit. Sunt deinde hanc medendi rationem MEADIVS, PRINGLIVS, STOERKIVS, aliique ſummi viri ſecuti, eamque fere cunctis reliquis praeſtare aſſeruerunt. Veruntamen, ſi BAGLIVIO fidendum eſt, ii, qui cantharidibus vim extrahendi febrium malignarum veneni adſcribunt, p. 129. p. 133.

 vehe-

vehementer falluntur; omnem enim eorum vſum, niſi vis vitae debilis augenda, aut reuulſio iuuanda ſit, eſſe prorſus ſuperuacaneum expertus eſt. Ceterum practicae obſeruationes noſtrum quoque Auctorem docuerunt, veſicantium vſum in fugan-
p. 146. dis febribus malignis raro eſſe neceſſarium. Quod autem ad HAENII et Cl. AEPLI de huius medicaminis in putridis febribus vſu opiniones attinet, fatendum eſt, eos nimium iisdem fauiſſe, atque ſalutarem euentum, qui aliis medicamentis debe-
p. 173. batur, veſicantibus adſcripſiſſe. Iudicat itaque Ill. TRALLES, ambiguis veſicantibus vale dicendum, ſinapiſmis autem in his febribus vtendum eſſe, qui et ſecuriores ſint, et ſymptomatibus leniendis admodum apti.

p. 174. His de veſicantium in malignis febribus vſu praemiſſis, ad pleuritidem Ill. Auctor progreditur, eumque inter Anglos primum inualuiſſe morem dicit, quo dolenti lateri hoc morbo affectorum amplum veſicatorium imponeretur. Quanquam autem diffitendum non eſt, pleuritidem veram ad grauiſſimos morbos pertinere, ipſique eapropter generoſis remediis eſſe occurrendum, fuerunt tamen omni tempore eruditiſſimi medici, qui, veſicantibus prorſus neglectis, pleuritide laborantes egregie reſtituerent. Et nemini profecto incognitae ſunt BAGLIVII, SYDENHAMI, BOERHAAVII, SWIETENII, HOFFMANNI, TRILLERI, HVXHAMI et SALVAGESII huic morbo medendi rationes, quae quanto ſunt ad infringendum ſanguinis impetum accommodatiores, tanto maiori cum fiducia a medicis adhiberi ſolent. Qua de re tantum omnino abeſt, vt morem eorum, qui veſicantibus pleuritidis curationem abſolui optime poſſe contendunt, imitandum cenſeamus, vt eum potius haud

haud raro maiores noxas attuliſſe, cum Ill. TRALLESIO ſimus perſuaſi; etenim veram morbi cauſem auget, atque ad celeriorem motum ſanguinem inſtigat. Recte eapropter BOHNIVS et WEDELIVS partibus dolentibus, ſi ſubſit inflammatio, veſicantia haud eſſe applicanda ſtatuerunt, etſi ceteroquin multum ipſis tribuerent. Quanquam autem ea ſymptomata, quae pleuritidem concomitantur, ſatis docent, veſicantia remedia, ſiue dolenti loco, ſiue cruribus, aut brachiis applicentur, non poſſe non morbum peiorem reddere, ipſumque aegrotum in vitae diſcrimen coniicere, multi tamen doctiſſimi medici ea vehementer laudarunt. Ac MAYERNIVS quidem putabat, acre ſerum, in quo ineſſet membranam vellicans quoddam ſal, veſicantibus extrahi e corpore debere, hacque ratione pleuritidis cauſam tolli; at vero, cum ab optimo ſanguine, omnis pungentis ſalis experte, vera pleurae inflammatio naſci poſſit, patet, ſeri profluuium ad ſanandum morbum parum conferre, eiusque vehementiam hoc modo non mitigari. p. 189. p. 197.

MEADIVS autem, qui magna pollet inter eruditos medicos auctoritate, ea vtebatur in ſananda pleuritide methodo, vt externe veſicantia admoueret, interne vero ſalia volatilia aſſumenda curaret, quibus peccantem materiem foras extraxiſſe, laterisque dolorem ſedaſſe, perhibet. Iam vero, cum ſeri extractione neque dolentis loci relaxatio perfici, neque humorum circuitus imminui, et obſtructio tolli poſſit, aſſentiendum omnino Ill. TRALLESIO eſſe opinamur, qui antiphlogiſticam methodum indicationi medici egregie reſpondere, expertus eſt. p. 201.

Superſunt ex medicorum veſicantibus in pleuritide fauentium claſſe Ill. PRINGLIVS et Cl. p. 203.

CLOSSIVS, qui venaeſectionem praecipuum quidem indicatum eſſe, cantharidibus tamen ſimul dolenti lateri admotis effectus eius admodum augeri, et curationem breuiorem reddi contendunt. Sunt vero veſicantis remedii virtutes a venaeſectionis effectibus adeo remotae, vt Ill. TRALLES non dubitet, eodem turbari prorſus, atque auerti ſalutares huius euentus; etenim calorem reddunt maiorem, febrem augent, ipſumque dolorem
p. 221. exaſperant. Qua de re, vt appareat, quam male veſicantia in hoc morbo adhibeantur, nonnullas morborum hiſtorias, quas BAGLIVIVS, WHYTTIVS, aliique medici conſignarunt, Ill. Auctor recenſet, eaque addit obſeruata, quae ipſi circa huius remedii in acutis vſum obuenerunt, atque ex iis colligit, Sydenhamianam methodum, qua in ſananda pleuritide nunquam non ſummo cum fructu vſus eſt, omni ſtimulanti medicina longe eſſe praeferendam.

Quanquam autem tam acriter contra veſicantia Ill. Auctor diſputauit, vt locum iis derelinquendum eſſe prorſus nullum videatur, tamen in 45 §. fatetur, non omnem in curanda pleuritide
p. 227. iisdem denegandam eſſe vim. Enumerat proinde conditiones quasdam, quae ſumme neceſſarium eorum vſum reddere ipſi ſunt viſae; namque ſi largae et repetitae inſtitutae fuerint ſanguinis e vena miſſiones; ſi praecipua antipleuritica auxilium attulerint nullum; ſi pulſus non durus, ſed mollis et paruus; ſi totius corporis calor moderatus; ſi vrina non rubra, ſed ſtraminea et pallida apparuerit, neque tamen remiſerit dolor, tum ad veſicantia confugiendum eſſe, ipſe Auctor ſuadet. Haec enim phaenomena, ait, teſtantur, lenti quid intercoſtalibus ſpatiis intereſſe, quod, cum carneas et nerueas fibras irritet, doloremque ſuper-
ſtitem

ſtitem producat, hac ratione e corpore ſit expellendum.

Accedit tandem Ill. TRALLES ad conſiderationem quorundam topicorum, quae ſubſtitui apte veſicatoris in pleuritide poſſe, et ad propinandum ſecuriora eſſe putat. Et primum quidem ſinapiſmorum lateri affecto admotorum mentionem iniicit, quorum effectus PRINGLIVS et ROSENSTEIN magnopere depraedicant; deinde ſaponis veneti vſum expendit, eumque ſalutares effectus in pleuritide proferre poſſe putat, fatetur tamen, ſe nunquam haec medicamenta adhibuiſſe, ſed antiphlogiſtica methodo ſuos aegros vtplurimum reſtituiſſe. In ſpirandi autem et exſcreandi ſputi difficultate, vrgentiſſimo interdum apud pleuriticos ſymptomate, veſicantibus brachiis vel tibiis admotis omnino vtendum eſt, quippe quae, aliis remediis ſimul adhibitis, lenimen afferunt certiſſimum.

p. 236.
p. 251.

XIX.

Anatomia vteri humani grauidi tabulis illuſtrata, Auctore GVILIELMO HVNTER, Sereniſſimae Reginae CHARLOTTAE medico extraordinario, in Academia Regali anatomiae Profeſſore et Societatum Regiae et antiquariae Socio. Birminghamiae excudebat Ioannes Baskeruille MDCCLXXIV. Londini proſtant apud S. Baker, T. Cadell, D. Wilſon, G. Nicol et I. Murray, fol. reg.

The anatomy of the human gravid uterus exhibited in figures by WILLIAM HVNTER Profeſſor of Anatomy cet. Printed at Birmingham

mingham by Iohn Baskerville 1774. Sold in London by S. Baker and G. Leigh in York-Street, T. Cadell in the Strand. D. Wilſon and G. Nicol, oppoſite York Buildings and I. Murray in Fleet-Street. fol. reg. c. tab. fig. aen. 34.

Non nuper celeberrimus HVNTERVS hoc ſplendidiſſimum de vtero humano opus, quod hic ad finem perductum tradimus, incepit. Continet triginta et quatuor tabulas aeneas, natura, arte, magnitudine et pulchritudine integras, quae ſubinde prodierunt. Nam, vti in praefatione ab Ill. Auctore narratur, iam ab anno 1751. cadauera grauidarum diuerſa diſſecuit et iniectiones anatomicas inſtituit, auxiliante fratre Noſtri IOANNE, cuius aſſiduitatis ſtudium magnopere laudatur in hoc opere conficiendo. Ex artificibus tabularum harum curam habentes potiſſimum nominatur peritiſſimus ROBERTVS STRANGE. Tabulae aeneae ſuauiter ſiſtunt membranam deciduam HVNTERI eius vaſa cet., corpus luteum egregie iconibus eſt oſtenſum, veſicula vmbilicalis connexa eſt cum funiculo cet. Rebus ſic ſe habentibus ſatis luculenter apparet, Ill. HVNTERVM neque operae, neque impenſarum, neque temporis rationem habuiſſe.

Nos vero conſtituimus ſummam ſaltem tabularum ita cum Lectoribus communicare, vti Ill. HVNTERVS ſinguli tabulae eam addidit.

Tab. I. Decem priores tabulae mulierem exhibent, nono fere grauiditatis menſe exeunte, ſubita morte extinctam. Arteriae a venis, cera diuerſicoloris iniectae, diſtinctae erant, in hac prima, contenta abdominis,

abdominis, integumentis decuſſatim inciſis et reflexis, ſub conſpectum veniunt. Reſupinatum eſt ita, accliui ſitu cadauer, vt ſuperior trunci pars haud paulo eſſet elatior, et viſcera inde abdominalia clarius contemplanda obiicerentur.

Tab. II. Conſpectus viſcerum abdominalium a latere dextro, partibus continentibus Thoracis et Hypochondrii, ac maxima omenti parte, ſublatis.

Tab. III. Viſcera eadem abdominalia a ſiniſtro latere, vna cum diaphragmate iis ſupertenſo. Facile apparet in delinianda hac figura, coniectum oculi fuiſſe a parte lateris ſuperiori oblique deorſum, vterus quippe protuberans femur dextrum viſui intercludebat.

Tab. IV. Vterus, et contenta Peluis a parte anteriori; oſſa pubis, cum integumentis, et ſuperiori pudendorum parte, omnino fuerant abſciſſa, quo ceruix vteri, et veſica ſimul vrinaria ei praetenſa in viſum incurrerent.

Tab. V. Vteri pars anterior et dextra, cauta manu ab adhaerentibus ſecundinis ſeparata, et in ſiniſtrum latus reflexa. Id eo factum eſt conſilio, vt pars membranae deciduae ac Placentae, cum vaſis earundem cera repletis, et ſuperficies vteri, cui adhaeſerant, interna oculis exponerentur. Partes lineis deſignatas proxime ſequens tabula ſiſtit integras.

Tab. VI. Foetus in vtero, prout a natura poſitus, reſciſſis omnino parte vteri anteriori, ac Placenta, ei adhaerente.

Tab. VII. Sublato foetu, paries vteri conſpicitur intimus et poſticus, membranis ſuis adhuc veſtitus. Partes lineis adumbratae praecedenti tabula ſe ad plenum dedere.

Tab. VIII. Partes immediate poſt inpraegnatum vterum ſitae; vtero ipſo ſede ſua amoto, et in

pudenda deuoluto. Oſſa pubis, et prius fuerant abſciſſa. Confer Tab. IV.

Tab. IX. Trunco a vertice per mediam ſpinam diuiſo, haec figura repraeſentat peluim, eiusque contenta, ſitu ſuo naturali, cum aliqua et femoris dextri et lumborum parte. Quod hic deficit circa pubem, ad delineandas praecedentes tabulas, mancam et mutilam, abunde ſupplebit Tabula 22da.

Tab. X. Fig. I. Vteri pars anterior et extima, prout ſe praebuit omnino ſiccata, exhibens faciem vaſorum vterinorum, qualem prae ſe ferunt eo loci, vbi Placenta vtero adhaeret. Fig. II. Facies internae Placentae, cuius vaſa per funiculum vmbilicalem cera ſunt repleta. Fig. III. Ab alia muliere biduo poſt partum extincta, exhibet partem ſuperficiei intimae vteri.

Tab. XI. Ab alia muliere, nono grauiditatis menſe, haemorrhagia vterina e medio ſublata. Conſpicitur vterus, et oſſa pubis iuxta naturam ſita. Vaſa iniecta cera turgida, quaeque ad partem inferiorem et ceruicem vteri dignoſcuntur eſſe ampliſſima, arguunt Placentam parti illi adhaeſiſſe.

Tab. XII. Ab eadem, qua praecedens, muliere; exhibet apertum plane a parte poſtica vterum cum vagina, quo ſitus Foetus, parsque inferior Placentae ſub Foetus capite indicarentur. Placenta ſcilicet orificio vteri interno accreuerat; eoque ſub finem grauiditatis dilatato, fatali inde diuiſione ſeparata eſt.

Tab. XIII. A tertio cadauere, nono grauiditatis menſe. Aperto Vtero, Vagina et Veſica vrinaria integris inciſis ſcilicet, vna cum anteriori Vteri pariete, ſecundinis, ei adhaerentibus, et in fundum Vteri reclinatis, ſitus Foetus, qui hic erectus eſt, conſpicitur. Vaſa vteri cera erant repleta.

Tab.

Tab. XIV. A quarto cadauere, nono itidem grauiditatis menſe. Faſciculi fibrarum muſcularium, in parte interna vteri, triplici figura exhibentur.

Tab. XV. A quinto cadauere, nono etiam Geſtationis menſe. Syſtema arterioſum Vteri quintuplici figura expreſſum. Fig. I. Facies Vteri inverſi, quo praeſertim loco Placenta adhaeſerat. Fig. II. Arteriae partem Vteri anteriorem perreptantes. Fig. III. Eaedem per partem poſticam diſtributae. Fig. IV. Eaedem Fundum permeantes. Fig. V. Corpus Luteum in Ouario per medium diuiſo, et Fimbriae Tubae Fallopianae.

Tab. XVI. A ſexto cadauere, octauo menſe. Vterus a latere dextro viſus, atque ita iniecta cera praeparatus, et ſcalpello anatomico denudatus, vt vaſorum ad eum acceſſus, eorumque primae ramificationes quam clariſſime appareant.

Tab. XVII. Idem Vterus a fronte. Primo ſiue extimo ſubſtantiae ſtrato ſublato, vaſorum ampliorum diſtributio, eorumque verſus Placentam, quae hic parti anteriori et fundo Vteri adhaerebat, progreſſus melius conſpiciuntur.

Tab. XVIII. Eiusdem Vteri Fundus, eodem modo praeparatus, vt ampliſſimorum vaſorum, Venarum praeſertim Placentae ex aduerſo obiectarum, frequentes inter ſe commiſſurae contemplandae proſtarent.

Tab. XIX. Idem Vterus, eius facie anteriori inciſa et in Fundum reuoluta illaeſis ſecundinis, per quas caput Foetus, obſcurius licet, videtur. Hic igitur viſui ſeſe offert cum ſuperficies externa Placentae ſed dimidiatae, tum pars ſuperficiei internae Vteri, ei reſpondens, vna cum vaſis, quae inter Vterum et Placentam intercedunt. Partes Vteri exteriores ſolis linearum ductibus expreſſae ſunt.

Tab.

Tab. XX. Idem denuo Vterus, ſed omnino apertus, vt Foetum in ſitu naturali oſtendat. Circa Fundum quaquauerſus ſubſtantia, tam Placentae, quam Vteri. inciſa conſpicitur.

Tab. XXI. A ſeptimo cadauere, ſeptimo grauiditatis menſe. Aperto cruciformi inciſione Vtero, et reclinatis rite cornubus, per membranas Foetum continentes Foetus ipſe aquis innatans conſpicitur. Reliquae partes nudis lineis diſtinctae ſunt.

Tab. XXII. Idem cadauer. Contenta Pelvis, quo ſitu diſpoſita ſunt, ex duplici patet figura: In illa elaboratiori, dextro Vaginae latere diſſecto et deuoluto, os Vteri in conſpectum prodit.

Tab. XXIII. Octauum cadauer, ſexto Geſtationis menſe. Vteri ac membranarum parte anteriori ſublata, exhibetur Foetus cum parte Placentae et Funiculi vmbilicalis. Vteri Vaſa cera impleta erant.

Tab. XXIV. Ab eodem cadauere. Fig. I. Placenta Fundo et poſticae Vteri parti adhaereſcens; ſubſtantia eius ſpongioſa iniecta per vaſa vterina cera turgeſcit. Fig. II. Portio aliqua Placentae tranſuerſim ſecta, vt ſubſtantiae eius ſpongioſa appareret, eiusdemque cera adimpletae craſſities. Fig. III. Siſtit arterias. Fig. IV. Venas illius partis membranae Deciduae, quae parietem Vteri anteriorem inueſtiuerat.

Tab. XXV. Nouum cadauer, quinto menſe. Apertus omnino Vterus, ac Foetus inde exemptus, quo ſubtilius iudicium feratur de Foetu ipſo; de partibus eius ſecum inuicem comparatis et dimenſis; nec non de conditione Ceruicis Vterinae, quae ſub hoc tempus obtinet.

Tab. XXVI. Decimum cadauer, quinto grauiditatis menſe. Exhibetur ſtatus Vteri retrouerſi. Fig. I. Apertum decuſſata inciſione. Abdomen, ſed contractiori

tractiori forma exhibitum, cum Veſica vrinaria praeter morem diſtenta. Fig. II. Veſica vrinaria, forma pariter minutiori, per mediam diuiſa et ad imam partem aperta, vt ſitus Oris vterini hic praeter naturam ſurſum ſpectantis appareat. Fig. III. Contenta Peluis omnia a parte poſtica. Fig. IV. Vteri portione ac Deciduae parte ſublatis, Foetus per pellucidas membranas, Chorion nempe et Amnion, conſpicitur.

Tab. XXVII. Vndecimum cadauer, menſe quinto ineunte. Fig. I. Vterus cum appendicibus ſuis a tergo viſo; Vagina ſecundum longitudinem inciſa, Ceruicis et Oris vterini ſtatus apparet. Fig. II. Vtero omnino aperto, membrana Decidua Reflexa, Chorion inueſtiens, cernitur, cum Foetu translucente, et Ceruicis Orisque vterini facies interna.

Tab. XXVIII. Fig. I. Idem Vterus, quem exhibet figura ſecunda Tabulae praecedentis, ſed inverſus (i. e. fundo decliuiori) vt contentis ſuo pondere a Ceruice Fundum verſus deuolutis, margo Placentae clarius diſtinguatur, ac Decidua, quae ibidem ab interno Vteri pariete in externam chorii ſuperficiem reflexa, nomen Deciduae Reflexae aſſumit, melius conſpiciatur. Fig. II. Facies eiusdem Vteri interna, prout auulſa Placenta ſe exhibuit Linea illa irregularis aſperam et inaequalem ſuperficiem circumſcribens, extremos indicat Placentae limites, vbi Decidua ab Vtero circumquaque in Chorion fuerat reflexa.

Tab. XXIX. Quinque figuras exhibet, quarum tres priores ex eodem ſunt cadauere. Fig. I. Ouum vtero exemptum. Fig. II. Pars Deciduae vitro adhibito amplificata. Fig. III. Ouarium cum Corpore luteo. Fig. IV. Portio membranarum nono menſe. Fig. V. Pars Vteri et Placentae cum membranis.

Tab.

Tab. XXX. A duodecimo cadauere, quarto menſe decurrente: Vterus a parte antica apertus, vaſis cera repletis. Praecipue hic notanda occurrunt, ſuperficies Placentae externa; Vaſa in Placentam ex Vtero ſe immergentia: Ceruicis Vteri externa Facies, qualis ſit, et, reſpectu ad Veſicam vrinariam, Vrethramque habito, quem ſitum obtineat.

Tab. XXXI. Tres figurae ab eodem cadauere. Fig. I. Vterus a parte poſtica ita apertus, vt Facies membranae Deciduae externa, ac ſtatus Ceruicis vterinae viſui exponantur. Fig. II. Parte poſtica Vteri, membranaeque Deciduae ſublata, Foetus ipſe per pellucidas membranas apparet. Fig. III. Ouarium apertum Corporis lutei cauum oſtendit.

Tab. XXXII. Duae a decimo tertio cadauere Figurae, tertio menſe elapſo. Fig. I. Vterus a parte anteriori patefactus, Foetum cum Ceruice vterina contemplandum obiicit. Fig. II. Idem Vterus ſecundum longitudinem, cum Placenta et membranis, diuiſus; adiacente etiam Foetu, ac per funiculum vmbilicalem adiuncto.

Tab. XXXIII. Oua tria abortu perdita, ſex figuris expreſſa. Fig. I. Conceptus nouem circiter hebdomadarum, ex parte, quae tota membranacea eſt oculis obiecta. Fig. II. Eiusdem ſectio ſecundum longitudinem. Fig. III. Conceptus alter poſt octo fere hebdomadas. Fig. IV. Idem Conceptus ad examen paulo curioſius reuocatus. Fig. V. Chorion nudum, i. e. ab ambiente Decidua expeditum. Fig. VI. Idem Conceptus apertus.

Tab. XXXIV. Fig. I. Conceptus, quinta circiter hebdomade, nempe Chorion cum omnibus ſuis contentis. Fig. II. Idem Conceptus, conſpicillo amplificatus, Chorii parte anteriori exſciſſa, et Amnio Embryonem continente in latus reflexo. Fig. III. Conceptus integer, quartae circiter hebdomadis.

Fig.

Fig. V. Conceptus integer, circa tertiam hebdomadem. Fig. VI. Idem parte anteriori ſublata. Fig. VII. VIII. IX. Figurae quaedam fictae Vteri in grauidis, ſecundum longitudinem diſſecti, vt eius diverſus, in primis grauiditatis hebdomadis, ſtatus, qualis mihi videbatur, innoteſceret.

XIX.

Hortus Romanus iuxta ſyſtema Tournefortianum paulo ſtrictius diſtributus; a GEORGIO BONELLI *Moregalenſi in ſubalpinis*, Publico Medicinae Profeſſore: ſpecierum nomina ſuppeditante, praeſtantiorum, quas ipſe ſelegit, adumbrationem dirigente LIBERATO SABBATI *Maeuanienſi in Vmbria*, Chirurg. Prof. et horti cuſtode; adiectis vnicuique volumini rariorum plantarum tabulis C. aeri inciſis. Tom. I. Romae 1772. ſumt. Bouchard et Grauier fol.

Veniam nos a Lectoribus impetraturos eſſe confidimus, quod libri huius, ſplendidiſſimi ſane, non prius fecerimus mentionem; ſi ipſis, librum hunc in manus noſtras ſerius perueniſſe, dixerimus. Propoſuerunt ſibi Editores, ſingularum plantarum, quae in horto Romano aluntur, viuis coloribus depictas tradere formas, easque ad TOVRNEFORTII methodum diſponere. Etſi vero hoc Cl. virorum conſilium, incremento botanices plurimum commodi videatur promittere: tamen fatendum nobis eſt, hos labores votis noſtris non prorſus reperiri conſentaneos. Neque enim omnes, quae Romae vegetant, plantae pingi merentur, cum plures illarum iam alibi fucatas cernere liceat, hac ipſa enim re pretium libri

praeter neceſſitatem nimiumque augetur, eademque de cauſa in botanicorum vſum magis efficitur ineptum. Neque ita nobis videntur depictae plantae, vt formae naturali prorſus conueniant, vel vt partes omnes ſatis accurate diſcerni queant. Negari tamen non debet in multis plantis habitum externum, et eas partes, quae Tournefortiano ſyſtemati inſeruiunt, ita delineatas eſſe, vt cognitioni generaliori ſufficiant, arti tamen vel curioſiori diſquiſitioni non reſpondeant. Color enim a pictore electus non ſolum naturae legibus ſaepius repugnat, verum quoque incurie in partibus maxime eſſentialibus exprimendis ſunt verſati, quod potiſſimum de genitalibus, de pedunculis, atque pube partium valere videtur. Tournefortianum tandem ſyſtema, etſi nobis magnopere placet, Linneano tamen propterea non anteponendum videtur, quod hoc magis cognitum, magisque ſit breue atque perſpicuum. Nomina enim, quibus vtitur LINNEVS, multum omnino videntur conferre ad herbarum acquirendam cognitionem. Studuit quidem Cl. BONELLI Tournefortiani ſyſtematis prae reliquis omnibus praeſtantiam in praefamine libri demonſtrare; argumenta tamen quibus vſus eſt, neque noua, neque grauia eſſe videntur.

Ex horti Romani hiſtoria notamus, hortum
p. 1. hunc pro antiquiſſimo ab Auctore haberi, cum primam eius fundationem ab NICOLAO V. anno 1450. factam eſſe probabile ſit. Primus, horti curam geſſiſſe MERCATVS fertur; a ſcriptoribus tamen celebratur primus, huius horti adminiſtrator PII IV. temporibus IACOBVS BONVS FERRARIENSIS. Inter huius ſucceſſores praeprimis nominari merentur IOANNES FABER BAMBERGENSIS, qui anno 1600. horti curam ſuſcepit et PAVLI V. iuſſu

iuſſu per tres annos iter inueſtigandarum herbarum cauſa ſuſcepit, et hac ratione numerum plantarum horti mire auxit. PETRVS CASTELLVS dein laudandus venit FABRI ſucceſſor, qui cuſtodiam horti Romani cum Meſſanenſi commutauit. Hunc hortum CASTELLVS noſter, et quidem ad mentem CAESALPINI, praeceptoris ſui, fundauit. Diſtribuit nimirum ſingulas plantas ſecundum ſeminum ſtructuram, in quo MORISONO praeiuit. Cum huic minus ſeduli ſuccederent, factum eſt, vt hortus in Vaticano adhuc ſitus, ſenſim interiret, atque tandem in Ianiculo denuo exſtrueretur anno circiter 1660. Huic horto poſtea I. B. TRIVMPHETTVS eſt praefectus, qui non ſolum plantarum cohortem egregie auxit, ſed etiam effecit, vt CLEMENS XI. aulam pentagonam inſignis ſtructurae horto finitimam a fundamentis exſtrueret, in qua non ſolum botanicae demonſtrationes fiebant, ſed etiam plantae per hyemem contra frigus cuſtodiebantur. Succeſſores, qui TRIVMPHETTO contigerunt, adeo fuerunt in colendo negligentes, vt ipſe hortus procul dubio interiiſſet, niſi BENEDICTI XIV. cura factum eſſet, vt loco vnius botanici duo conſtituerentur, quorum alter theoreticam, cui iam praeeſt IO. FRANC. MARATTI, alter practicam, nunc Cl. SABBATI, botanices curet partem. Hortus vero in monte Ianiculo ad fontes Paulinos reperitur, diuiditur aquaeductu in duas partes, aliam ſuperiorem planiorem, inferiorem aliam in conuallem compreſſam. Deſtituitur hybernaculo commodo, ventisque expoſitus eſt borealibus. Huius delineatio addita videtur non accurate ſatis pictorum regulis reſpondere.

Plantae in hoc tomo dilineatae ad primam et ſecundam Tournefortiani ſyſtematis claſſem pertinent, ad eos nimirum *monopetalos*, quibus flo- p. 11.

 res

res *campaniformes*, et *infundibuliformes* ſ. *rotati* competunt. In explicandis atque denominandis plantis, ratione iam exponenda, ſunt verſati. Praemiſerunt nimirum characteres claſſis illius, ex qua plantas poſtea ſunt tradituri; dein ſectionum ſingulae claſſis diſtributione facta, notas pluribus herbis communes h. e. genericos characteres exponunt, quibus tandem ſpecificae deſcriptiones C. BAVHINI potiſſimum, rariusque LINNEI ſubiunguntur. His tandem vel de viribus plantae, vel de habitu ipſius additae ſunt obſeruatio-
p. 12. nes. Ex his notamus *Nolanae proſtratae* faciem, reſpectu floris habito, cum *Atropae Belladonnae* forma eandem videri; multum tamen diſcrepantiae inter vtriusque florem a nobis reperiri fatendum eſt, quippe cum illius flos ſit *campaniformis patens*, huius contra *campaniformis ſtricte ſic dictus*.
p. 13. *Symphyti* atque *Cerinthes* affinitas, merito arguitur. *Aſclepiadas* quinque ſtaminibus gaudere ab Auctoribus adhuc docetur *). *Tami* ſpecies corollis praeditas eſſe docetur, reprehenditur nimirum LINNEVS floribus femineis denegans corollam, et nectarium LINNEI, corollam potius
p. 22. eſſe nominandam ſtatuitur. Vituperatur LINNEVS *Momordicam Elaterium* et *Cucumerem colocynthidem* genere diuidens, nobis vero characteres genericos Linneanos ſecutis, magna vtramque in-
p. 29. tercedere videtur diſcrepantia. Scriptorum in hoc opere laudatorum, et plantarum delineatarum catalogus, librum ipſum finiunt. Plantae rariores, quae noſtram prae reliquis meruerunt attentionem, ſunt *Atropa Mandragora* tab. 1. et 2. *Conuoluuli* ſpecies tab. 20. quam nos pro *Conu. hederaceo* LINN. habemus. *Euphorbia* tab. 29. quam, cum ſpinis ſit deſtituta, *Euph. capiti meduſae* annumeran-

*) vid. ſupra JACQUIN miſc. no. 4.

numerandam eſſe cenſemus. *Oxalis ſtricta* in tab. 31. caule villoſo et pedunculis vmbelliferis, a *O. corniculata* differens. *Cotyledon vmbilicus* ♀. racemo ſimplici, et floribus pendulis, ab LINNEI deſcriptione differt, planta in tab. 35. cernitur. *Cynanchum Monſpeliacum* tab. 39. *Malope malacoides* tab. 50. *Tamus communis*, cuius ramus in tab. 59. depictus nobis monoicus eſſe videtur, pertinet vero planta ad dioicarum claſſem. *Trichoſanthes Anguina* tab. 71. *Campanula perfoliata* tab. 75. *Ipomoea quamoclit* tab. 85. et *Gentiana perfoliata* tab. 100. Reliquarum plantarum, quae inſunt, catalogum propterea omittimus, quod in noſtris regionibus non ſolum ſint vulgatiores, ſed etiam, quod iam ab aliis fuerint depictae.

Praeter colorem vero, qui, vt ſupra iam monuimus, nobis rarius probatur, tab. 18. erraſſe nobis videntur Auctores eo, quod *Conuoluulum farinoſum* Linn. Syſt. Nat. Ed. XIII. p. 168. pro *Scammonea* vera habuerint. *Euphorbiae* ſpecies tab. 25. tradita, procul dubio eſt *E. tirucalli* LINNEI, cui tamen folia lanceolato linearia non reſpondent. Planta in tab. 31. nobis potius *Portulacae* ſpecies, quam *Glaux* eſſe videtur. Nimia pictoris aſſiduitas, qua factum eſt, vt *Alceae roſeae* folia vermibus comeſa in tab. 44. ſint delineata, nobis propterea non probatur, quod lepidos magis delectet, quam herbarum inueſtigatores inſtruat. *Hibiſcus trionum* tab. 55. depictus, habitui plantae naturali minime conuenit. In tab. 84. pro rubro colore florum *Meſembryanthemi ringentis canini*, luteus ſubſtituendus erit. Tenerior filorum fabrica, quibus *Menyanthis trifoliatae* ſuperbiunt corollae, in tab. 88. prorſus eſt neglecta. De colore, quo flores *Vincarum* ſunt pictae, naturae noſtro iudicio non reſpondenti, nil dicamus.

XXI.

I. I. VAN DEN BOSCH Medici Hagani hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae, quae annis 1760, vsque ad initium anni 1763. per Inſulam Ouerflacque et contiguam Goedereede graſſata fuit cet. Editio noua. Curante IO. CHRIST. GOTTL. ACKERMANN Med. D. Norimberg. Impenſis Io. Georg. Lochner MDCCLXXIX. 8. pagg. 426. praeter dedicationes, praefationes, contentorum capitum et ſectionum elenchum.

Indicamus lubenter huius libri vtilis et medicis practicis ſumme neceſſarii nouam editionem, quam Cl. ACKERMANN curauit et Cl. DELIO dicauit. In ipſo libro, vti Editor Ipſe ſcripſit in praefatione praemiſſa, nihil eſt mutatum, ſed tradit Lectoribus librum talem, qualem Cl. VAN DEN BOSCH edidit. Nos vero praeterea hic nihil dicemus, cum Cl. VAN DEN BOSCH editionis, quae prodiit Lugduni Batauorum 1769. eadem forma in noſtris commentariis *) iamiam dederimus ſummam, ex qua vtilitas et dignitas huius libri ſatis luculenter intelligentur.

XXII.

Noua Phyſico Medica.

Facultatis Medicae in perantiqua Studiorum Vniverſitate *Tubingenſi Eberhardina - Carolina* Profeſſores hoc tempore ſunt:

GEORG. FRID. SIEGWART, P. P. O.

CHRIST.

*) v. Vol. XVII. p. 212.

CHRIST. FRID. IAEGER, P. P. O.
G. C. C. STORR, P. P. O.
C. P. DIEZ, P. P.
C. F. REVSS, P. P.
G. G. PLOVQVET, P. P.

Societas Regia Scientiarum *Hafnienſis*, d. 7. Maii 1779. elaborationum *ſuper acidi nitroſi origine* diſquiſiuit praeſtantiam, et praemium optimae ſuper hac re diſputationi promiſſum, conceſſit tractatui Gallico, cui inſcriptio erat *in paucis multa vtinam bona.* Cl. Auctor vero ſe nominari recuſauit. Ex quaeſtionibus denuo propoſitis et ad nos pertinentibus notamus hanc:

An ſeminium vermium inteſtinalium, taeniae, gordii, aſcaridis, faſciolae etc. animalibus connatum, an ab extus intromiſſum: obſeruationibus et argumentis probare, remediaque in illo caſu recenſere.

Praemium erit nummus aureus centum thalerorum Danicorum valore. Elaborationes ante finem Auguſti 1780. ad Ill. DE HIELMSTIERNA, ſolutis vectigalibus, ſunt mittendae.

Societas *Lipſica* ſcientiarum *Iablonowskiana* inter alias quaeſtiones, quas, cum ad noſtra non pertineant ſtudia, omittimus, has propoſuit:

„*Quaenam eſt vtiliſſima agriculturae cum*
„*re pecuaria proportio reſpectu diuerſitatis*
„*agrorum.*

„*Quae ex theoriis de lumine et colore New-*
„*toniana vel Euleriana eſt probabilior.*

Praemium optimi tractatus ſuper ſingula harum quaeſtionum, eſt moneta ex auro confecta viginti quatuor aureos Hollandicos pondere aequans.

aequans. Tractatus latine ſcripti ante finem Octobris 1779. ad Cl. CLODIVM Phil. Ord. Profeſſ. qui Societati a ſecretis eſt, ſunt mittendi.

Cl. RVMPELT in ſchola veterinaria *Dresdenſi* Profeſſor eſt deſignatus. Cuius rei cauſa per Germaniae, Belgii, Galliae atque Angliae celeberrima loca ſumtibus publicis iter inſtituit.

Cl. ADRIANVS VAN ROYEN *Lugduni Batauorum* aetatis anno ſeptuageſimo quarto d. 28. Februarii 1779. vitam cum morte transmutauit.

Cl. ANTONIVS MATANI Med. Doct. et Prof. Piſanus, Soc. Scient. Gottingenſis Correſpondens d. 21. Iunii 1779. aetatis anno quadrageſimo eſt mortuus *Piſae.*

Cl. IOACH. FRIDERICVS HENCKEL, *Berolini* hac 1779. aeſtate e viuis diſceſſit.

CHRISTIANVS VAN PAECKEN Imperii Tribunalium Conſiliarius, Collegii Medici Supremi Petropolitani Cancellarius *). *Petropoli* apolexia hoc 1779. anno obiit.

Cl. IO. GEORG. EISEN, qui olim verbi diuini miniſter apud Tormenſes in Liuonia erat; dein vero oeconomiae Profeſſor *Mitauiae;* tandem vero in villa *Iaropolcz,* cui Illuſtriſſimus Comes DE TSCHERNISCHEF praeeſt, absque munere publico viuebat, *ibidem* die 15. Februarii 1779. aetatis anno ſexageſimo ſecundo deſiit viuere. Celebris eſt praeter alia, arte herbas apte ſiccandi a ſe inuenta.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XI. p. 715. Vol. XIII. p. 153 et 167.

XXIII.

Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1775 prodierunt *).

Philoſophical Transactions cet. Vol. LXV. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 1.)

Auserleſene Abhandlungen aus den philoſophiſchen Transactionen. Zweyter Theil. (v. ib. Vol. XXII. p. 563.)

Medical commentaries. Tom. III. Lond. 8.

Mediciniſche Commentarien einer Geſellſchafft der Aerzte zu Edimburg. 1. *Band. Altenb.* 8.

Neue Verſuche und Bemerkungen aus der Arzneykunſt und übrigen Gelehrſamkeit, einer Geſellſchafft zu Edimburg vorgeleſen, und von ihr herausgegeben. Als eine Fortſetzung der mediciniſchen Verſuche und Bemerkungen, 3. *Band. Aus den Engl. Altenburg.* 8. *m. K.*

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, (*v. com. noſtr. Vol. XXI. p.* 625.)

Nova acta Upſalienſia. Tom. II. (*v. ib. Vol. XXII. p.* 387.)

Neue Sammlung verſchiedener Schrifften der gröſſten Gelehrten in Schweden für Liebhaber der Arzneywiſſenſchafft, der Naturgeſchichte, der Chymie und Oekonomie. Aus den Schwediſchen. 1. *Band. Koppenhagen.* 8. Tractatus Suecici hic ſequentes lectu digni verſi ſunt. 1. CHRIST. POLHEM, inſtitutio de ferro, chalybe, cupro, aere, ſtanno

*) Cogimur iterum iterumque, vti iamiam fecimus v. *comm. noſtr. Vol.XVI. p.* 171. ne nimis tarde libros indicemus, nonnullis voluminibus duos annos aliquoties colligere. Fiet autem eodem, quo polliciti ſumus et hactenus fecimus, modo. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. III.* et idcirco iam ſupra duo ſupplementa praemiſimus.

et plumbo, iis dicata, qui horum metallorum officinas conſtruere cupiunt. 2. MORAEI, praeſide WALLERIO defenſa diſſ. de montibus cupriferis Fahlunenſibus. 3. ABRAH. BÄCK, de vſu noſodochiorum ratione ipſius artis medicae. 4. DE GEER de generatione inſectorum. 5. IOH. FRID. KRÜGER de climatis Suecici praeſtantia. 6. GERH. MEYER de metallis ſubinde rectius tractatis. 7. EWALD RIBE de vſu cognitionis phyſicae in curandis morbis.

Societatis Haunienſis collectanea. Vol. II. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII.*

Prodromus praeuertens continuata acta medica Haunienſia, quae per clementiſſima Regia auſpicia ad veneranda maiorum exempla in ſincera incrementa quarumcunque ſcientiarum, quae vllo modo forum medicum ſpectant, quotannis a collegii medici regii membris ex ſuis et ſociis aliorum operis publici iuris fiunt. Editio noua. Hauniae et Lipſiae apud Fridericum Chriſtianum Pelt. 4. c. f. (*Prima huius libri editio prodiit eadem forma atque inſcriptione iisdemque figuris aeneis* 1753. *et a nobis iam ſumma eius eſt narrata.* v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 105.)

Verhandlingen te Harlem. Vol. XVI. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 203.

Verhandlingen te Vliſſingen (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 359).

Abhandlungen der Seeländiſchen Geſellſchafft der Wiſſenſchafften zu Vlißingen. Des erſten Theils, erſter Abſchnitt, welcher die zur Medicin und Chirurgie gehörigen Aufſätze in ſich enthält. Ueberſetzt und mit einigen wenigen Anmerkungen verſehen, von ANDREAS BÖHME, *fürſtl. heßendarmſt. Bergrath und der Weltweißheit und Meßkunſt erſten Lehrer zu Gießen. Gießen.* 8. *m. K.*

Abhand-

Abhandlungen aus der Naturgeſchichte und practiſchen Arzneykunſt und Chirurgie, aus den Schrifften der Harlemer und andern Holländiſchen Geſellſchafften. 1. *Band. Leipzig.* 8. *m. K.*

(Eruditi viri hac lingua non gnari cum continuationem coeptae iam anno 1758. huius translationis Germanicae ab Ill. KAESTNER non nuper optarunt, editor ſecum conſtituit, ea ſolummodo Germanico vulgari, quae ad hiſtoriam naturalem, medicinam chirurgiamque ſpectarent et reliqua omittere, vt voluminibus et pecuniae parceretur. Hoc volumen continet ea, quae in quatuor prioribus tomis Harlemenſium actorum ſunt collecta. Quibus ſequentibus tomis aeque ita excerptis, Roterodamenſia et Middelburgenſia ſeu Vliſſingenſia acta, non multis nota, eodem conſilio Germanice vertet editor. Praeterea in hac verſione minus vtilia et neceſſaria omittuntur inſimulque ſatis iamiam nota, vti ſcilicet BASTERI obſeruationes, de aqua calcis et ſpiritu MINDERERI, item de aëre in hoc volumine contentae ſunt, miſſae. Scripta praemiis condecorata pariter hic non commemorabuntur et eandem ob cauſam GRASHVIS elaboratio, de colica pictonum non in Germanicam linguam hic translata eſt.)

Acta Academiae Theodoro Palatinae. Tom. III. (*v. ib. Vol. XXII. p.* 3.)

Abhandlungen der Churfürſtlichen Bayerſchen Academie der Wiſſenſchafften. 9ter Band. München. 4. *mit K.*

Berniſches Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchafften. 1. *Band. Bern.* 8. *m. K.*

Editur hic liber a Cl. WYTTENBACHIO, eſtque ita inſtitutus, vt verſionibus e diariis eruditorum Anglicis,

glicis, Gallicis, Italicisque immiſceantur tractatus et relationes de rebus nouis. Nos itaque, omiſſis verſionibus, pauca de poſterioribus commemoremus. p. 61. Hirudines motu ſ. quiete mutationes tempeſtatis indicant, ſuntque thermometra et barometra viua. Cl. WYTTENBACH de naturae productis Helueticis. Coniicit in Heluetia olim fuiſſe montes igniuomos. Ex Inſectis Helueticis climata Heluetica determinat. GAUBII obſervata de Phoſphoro Hombergico. H. ST. experimenta, Viride Brunswicenſe, a fratribus GRAVENHORST paratum, concernentia. EIVSD. correctio olei oliuarum et lini. *Idem*, noua de affinitate corporum communicat cogitata. VERDEIL de animalculo, a puella vomitu euacuato, quod taeniae ſimile erat, et de origine animalium in hominibus. De calcis natura coniecturae.

Noveaux mémoires de Berlin. (*v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 683.*)

Novi commentarii Gottingenſes Tom. V. (*v. ib. Vol. XX. p. 597.*)

Neue Mannichfaltigkeiten. Berlin. 8.

Beyträge zur Naturgeſchichte des Schweizerlandes, 1. - 3. *Stück. Bern.* 8. *mai.*

Beſchäfftigungen der Berlin. Geſellſchafft. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 632.)

Berliniſche Sammlungen. 7. Theil. (v. ib. Vol. XXII. p. 307.)

Der Naturforſcher, v. ſupra.

Onomatologia hiſtoriae naturalis completa Tom. V. et VI. Ulm. Francof. et Lips. 8.

Schauplatz der Natur nach den neueſten Beobachtungen und Verſuchen. Erſter Band. Leipzig. 8.

Raccolta di opuſcoli phyſico medici. Florenz. 12. (*Auctor eſt Cl.* TARGIONI *et compilatio vtiliſſima*).

Nuova

Nuova raccolta d' opuſcoli ſcientifici e filologici. Vol. XXVII. In Venet. 8.

Catalogue des curioſités naturelles, qui compoſent le cabinet du M. de ***. à Paris. 8.

Catalogue du Cabinet d' hiſtoire Naturelle du feu M. VILLIEZ Negociant de Nancy. à Nancy. 8.

Correſpondence d' hiſtoire naturelle ou lettres ſur les trois regnes de la nature conténant des obſervations ſur les animaux, les végétaux & les mineraux. Vol. VIII. à Paris. 12. (*Plurima ex aliis libris collecta continet.*)

Nouveau dictionnaire raiſonné de phyſique & des ſciences naturelles, conténant l' hiſtoire générale des animaux, des végétaux, des mineraux & de tous les phénoménes de la nature avec l' hiſtoire des ſciences phyſico mathematiques & de tout ce, qui a rapport à la phyſique & à l' hiſtoire naturelle, par une Societé de Phyſiciens. Vol. VIII. à Paris. 12.

Delle acqua termali di Vinadio uſate in lavando, bagno doccia, ſtuffa, fango, muffe, commentario di GIOV. ANT. MARINO. Turin. 8.

Hortus Romanus, ſecundum ſyſtema I. P. TOVRNEFORTII a NICOLAO MARTELLIO; Linneanis characteribus expoſitus, adiectis ſingularum plantarum analyſi ac viribus. Species ſuppeditabat

tabat ac deſcribebat LIBERATVS SABBATI. (*Huius continuati operis tomum primum paulo ante recenſuimus.*)

IO. IAC. MARTIN diſſ. ſiſtens experimenta et cogitata nonnulla circa lixiuium ſanguinis. Argent. 4.

F. H. W. MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur, 2ter Band. Berlin.* 8 *maj.* (Mortuo Auctore, a Societate Phyſicorum continuabitur.)

EIVSD. *neues ſyſtematiſches Conchyliencabinet. 3ter Band. 3te Ausgabe. Nürnb.* 4. *m. K.* (Cl. CHEMNIZ continuationem libri vtiliſſimi ſuſcepit.)

Elements of natural Hiſtory. By THOM. MARTYN, B. D. Cambridge et London. 8. (*Eſt ſynopſis hiſtoriae naturalis iuxta ſyſtema* LINNAEI. *Species tamen ex* BVFFONO, PENNANTO *aliisque auctae ſunt. Hoc volumen mammalia tantum continet.*)

Reflexiones de natura, cauſis et curatione cancri cet. Auctore CAIETANO MARVLLA. Florent. 8.

IO. GOTTLOB MATTHIAS diſſ. inaug. ſiſtens generaliſſimam diſpoſitionis haereditariae et morborum inde determinatorum theoriam. Hal. ad Sal. 4.

F. L. F. MAXIMILIAN diſſ. inaug. de alcali vegetabili, quatenus ſit eductum et productum. ib. 4.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Iournal de medéc. Par M. ROVX. Tom. XLIII et XLIV. pag. 195
II. Chimie expérimentale et raiſonnée. Par M. BAVME'. Tom. II. 211
III. Florae Danicae. Vol. III. et IV. 235
IV. JACQVIN miſcellanea Auſtriaca ad botanicam, cet. 241
V. KOELREVTERS *entdecktes Geheimniß der Cryptogamie.* 247
VI. LVDWIG de ſexu muſcorum detecto 251
VII. WVRTZ conamen mappae generalis medicamentorum cet. 252
VIII. MVRRAY apparatus medicaminum cet. Vol. II. 260
IX. GRVNER via et ratio formulas conſcribendi 265
X. *Neue Sammlung von Verſuchen und Anmerkungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig,* I *Theil* 268
XI. PROCHASKA de carne muſculari. 273
XII. EIVSDEM de ſtructura neruorum. 276
XIII. BÖHMER diſſ. de nono pare neruorum cerebri. 277
XIV. ISENFLAMM *von Nerven.* 279
XV. ACRELLS *chirurgiſche Vorfälle,* I *und* 2*ter Theil.* 284
XVI. MICHAELIS de angina polypoſa. 293
XVII. ELSNER *von der Bruſtbräune.* 303
XVIII. TRALLES de veſicantibus. 306
XIX. HVNTER de vtero grauido. 329
XX. Hortus Romanus. Vol. I. 337
XXI. BOSCH hiſt. conſtitutionis epidemicae verminoſae. 342
XXII. Noua phyſico medica. ibid.
XXIII. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1775 prodierunt. 345

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXIII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly. Edinburgi apud Io. Balfour. Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann. Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali. Milano apud Ioſ. Galeazzi. Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud. Holmiae apud Magnum Sweterum.

I.

Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. par Mr: A. ROUX, Tom. XLV. à Paris, 1776. 8. pagg. 576. et Tom. XLVI. pagg. 576. ibid. eod.

i. e.

Diarium ad Medicinam, Chirurgiam et Pharmaciam pertinens, Auctore A. ROUX, Tom. XLV, et Tom. XLVI.

Menſis Ianuarius. Tom. XLV.

1. *Obſeruationes de morbis Turcarum, Auctore Cl.* PARIS *). Peſtis videlicet, et febrium malignarum epidemicae cauſae non ſolum narrantur, ſed et ſanandi ratio traditur. p. 12.

2) *Epiſtola tertia ad* A. M. ANT. DE HAEN, *a M.* LOUIS ODIER, *de metuenda morte ex variolis:* inſunt tabulae, quibus de mortuis ex variolis in tractu Geneuenſi ſupputatio fit. p. 24.

3) Hanc excipit *epiſtola* DE LA ROCHE, qua obſeruatio *de tetano eiuſque, ope mercurii, ſanatione* continetur. Virginem quandam quatuordecim annorum natam, tetano correptam eſſe refert, eiuſque hiſtoriam fuſius tradit, cui tandem ſuas ſubnectit obſeruationes, et vſum mercurii ſuadet. p. 45.

4) *Obſeruatio Cl.* CHARNAUX *de tumore teſticuli et ſcroti per caſtrationem diſcuſſo.* Exemplo illuſtratam hanc obſeruationem aliis, vt ſimile quid tentent, admodum commendat. p. 74.

5) Tandem *obſeruatio Cl.* LAVALE'E *de infante nato abſque vllis vitae indiciis, atque facili qua-*

*) vid. ſupra.

dam methodo ad vitam reducto. Mortem huius infantis ex funiculo vmbilicali, qui dupliciter circa collum erat conuolutus et vim venis iugularibus externis intulerat, deducit; vnde ex illo funiculo ſanguinis aliquam partem effluere fecit, quo emiſſo, pulſum cordis et arteriarum ſenſit, et frictionibus cum calido vino in cordis, pectoris et infimi ventris regionibus inſtitutis, in integrum reſtituit infantem.

Menſis Februarius.

p. 111. 1) *Syſtema phyſicum et morale feminarum, ſiue, diſquiſitio philoſophica de conſtitutione, ſtatu organico, temperamento, moribus et functionibus ſequiori ſexui propriis, conſcriptum, a Cl.* ROUSSEL. Duabus par-
p. 113. tibus totum abſoluitur, prior tradit differentias generales inter vtrumque ſexum intercedentes, quae potiſſimum conſpiciuntur tempore pubertatis, quo primitiua conſtitutio multas eaſque admodum conſpicuas ſubit mutationes. Quae ipſae Cl. Auctori anſam ſuppeditarunt de ſtructura partium ſolidarum ſenſibilium, et de peculiari organiſatione partium conſtitutiuarum feminarum accuratius com-
p. 116. mentandi; inprimis in elementorum ſubtilitate organa feminarum conſtituente, principium ſingularis illius mobilitatis quae in ipſis reperitur, collocat, ex quibus etiam mollitiem, ipſis propriam repetit. Mollities illa et ſenſilitas igitur principem locum penes femellas obtinent eaſque ita diſtinguunt, vt ratione temperamenti non tanta obſerue-
p. 125. tur varietas, quanta in viris conſpicitur. Quam quidem temperaturam remediis naturalibus conſeruari poſſe ſtatuit Cl. Auctor, quorſum refert labores modicos, eamque turbari cauſis fortuito caſu accedentibus, abuſu alimentorum et potulentorum etc. In poſteriori parte tractat peculiares differen-
p. 126. tias vtrumque ſexum diſcernentes. Quare agit de orga-

organis generationi dicatis eorumque ſtructura anatomica et functionibus, quorum organorum in utroque ſexu diuerſitas potiſſimum amorem virorum alliciunt. Deinde functiones ad actum generandi concurrentes perſequitur, eaſque menſtrui fluxus principium eſſe aſſerit, qua occaſione de matrice, vagina, generatione in vniuerſum quoad ſexum ſequiorem ex mente HIPPOCRATIS lectu digna protulit. Tandem de grauiditate, de naturali partus termino, de naturali partu et lactatione disputauit.

2) *Epiſtola Cl.* PICQUE, *de temperamentis in vniuerſum et idioſyncraſiis quibuſdam peculiaribus.* p. 132.
Magnam vtilitatem ex doctrina de temperamentis ad artem ſalutarem redundare ex HIPPOCRATIS et GALENI ſcriptis non ſolum, ſed etiam ex CLERICO colligitur, qui cum reliquis VAN HELMONTI conamina, quibus vſum eorum imminuere ſtuduit, penitus irrita fecit. Exemplis ſuam commentationem Cl. Auctor illuſtrauit.

3) *Obſeruatio de abſceſſu hepatis coniuncto cum ſcirrho pancreatis, ex quo extracti ſunt nouem triangulares calculi eiuſdem craſſitudinis et magnitudinis, quo in ſtatu omnia fere infimi ventris viſcera ſuppurata erant, Auctore Cl.* FOURNIER. p. 149.
Femina triginta ſex annorum doloribus colicis infeſtata, qui regionem epigaſtricam et vmbilicalem in dextro latere verſus lobum interiorem hepatis occuparent, paucis diebus poſt alios ſenſit dolores, qui verſus vertebras dorſi vſque ad ventriculum et regionem meſenterii progrediebantur. Duabus ſanguinis miſſionibus vnaque purgatione incaſſum adhibitis, dolores recruduerunt, adiit deinde Cl. FOURNIER chirurgum, qui, examine inſtituto, magnum in conuexa hepatis ſubſtantia deprehenderet reniſum tumoremque profundum ac dolentem verſus meſenterium, quocum icterus et motus febris lentae cum horripilationibus

coniuncti erant, ex quibus omnibus ſymptomatibus abſceſſus in hepate Cl. Auctor ſuſpicabatur praeſentiam. Efficaciſſimis remediis in ſubſidium adhibi-
p. 155. tis, nihilo ſecius aegra diem obiit ſupremum, ſectioque in cadauere inſtituta Cl. FOURNIERII diagnoſin firmauit.

Menſis Martius.

p. 195. 1) *Methodus noua morbos venereos per fumigationem ſanandi, Auctore Cl.* P. LALOUETTE. Aeger videlicet ſub conopeo conſtitutus depoſitis omnibus veſtimentis fumum e prunis ſup-
p. 197. poſitis, quibus pulvis paſtillorum compoſitorum pharmaceuticorum inſpergitur, excipit, ibique aliquantiſper commoratur, et ſi ſuffocari videtur, per aperturam in conopeo factam aer immittitur, vt reſpirare poſſit. Tandem aeger calido lecto imponitur, ipſique vno vini vitro dato per vnam aut duas horas ſudor prouocatur. Puluis autem pror-
p. 204. ſus ſingulari ſtudio praeparatus, vocatur *puluis mer-*
p. 206. *curialis ſimplex*, et *puluis mercurialis argillaceus.* Hos pulueres omnibus proprietatibus pulueris mercurii dulcis gaudere Cl. Auctor profitetur. His addit
p. 207. *liquorem mercurialem*, et *puluerem mercurialem martialem.* Liquor ille in omnibus morbis venereis,
p. 208. quorum ſedes in viſceribus eſt, aeque ac in gonorrhoea ſalutaris cenſetur, confertque non ſolum adultis, ſed etiam infantibus abſque omni metu periculi;
p. 209. in omnibus autem penis morbis, in puſtulis, cancro, rhagadibus etc. mercurialem puluerem martialem exhibet, diſſipatiſque morbis externe conſpicuis propinat puluerem mercurialem ſimplicem. In morbis oculorum, faciei, et gutturis puluere argil-
p. 210. laceo mercuriali vtitur. In phthiſi venerea incipiente puluerem argillaceum ſucceſſiue progrediendo ad ſimplicem ſuadet; in glandularum, bubonumque

numque

numque vitiis, vt et tumoribus teſticulorum mercurialis puluis martialis exoptatam opem tulit, ſicuti et in exoſtoſibus venereis. Fluxionibus ſemellarum venereis confert puluis mercurialis ſimplex. Fumigatio vero cum puluere ſimplici omnem gonorrhoeae abſoluit curam. Martialis vero in fiſtulis perinaei ex inueterata gonorrhoea ortis, et in glandis proſtratarumque ab humoribus venereis exulcerationibus indeque pendente ſtranguria, vtilis eſt quam maxime. Praeparationem autem horum remediorum, quoniam breuitati nobis eſt ſtudendum, hic mittimus. Pauca tantum de ipſo inſtrumento, quo vſus eſt Cl. LALOVETTE, addenda ſunt. Arca ſiue ciſta efficitur, in qua aeger in ligneo ſedili, quod eleuari et demitti poteſt per cremathras, ſedere poſſit, quae tamen vndique penitus clauſa eſt. In ſuperiori operculo ad caput tranſmittendum apertura eſt, quae quidem apertura excauato aſſere clauditur. Alia in inferiori conſpicitur parte apertura, cui poteſt ignitabulum immitti, et in alia parte eſt porta quaedam, per quam iniicitur puluis fumigatorius.

2) *Obſeruatio de elephantiaſi vſu balneorum et antiſcorbuticorum ſublata, a Cl.* TELLINGE. Ipſum morbum ex ARETAEO examini ſubiecit et methodo Boerhaauiana et Swieteniana adhibita aegro priſtinam valetudinem reſtituit. p. 212.

3) *Epiſtola Cl.* MORAND *ad Cl.* LEROY *de cadauere femineo, cuius oſſa penitus emollita et in Academiae Regiae Scientiarum hiſtoria Pariſina, de anno* 1764 *) *deſcripta leguntur.* p. 216

 4. *Reme-*

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 265. it. Aduerſar. med. pract. Lipſ. Vol. II. p. 421. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 126. Pertinet et huc femina *Queriot* ſeu *Supiot*, de qua v. comm. noſtr. Vol. IV. p. 384. Vol. VII. p. 279.

p. 220. 4) *Remedium aduerſus taeniam ad Cl.* MINAUR *per* Cl. LAGENE. Clyſtere ex decoctione ficuum adhibito, poſtero die ipſa cura inchoatur. ℞. rad. valerianae ſylueſtris recenter pulueriſatae ʒj. putaminum ouorum calcinatorum et tritorum ℥j, macerata in vno vitro vin. albi, dentur ieiune matutino tempore. Aeger autem in lecto decumbat et paululum ſudet, neque intra tres horas ipſi porrigatur cibus potuſque, poſtea vero iuſculum capi poteſt, obſeruato praeter ea bono regimine per omne curandi tempus. Quarto die purgandum eſt hunc in modum. ℞ Mercurii dulc. gr. X. Panaceae merc. gr. iV. Diagr. ſulph. gr. Xij. putam. ouorum calcinat. et trit. gr. XX. miſc. et fiat cum Syrupo flor. perſic. q. ſ. bolus mane ſumendus. Duabus horis poſt, vnum vitrum de ſequenti remedio capiat: ℞ Sennae mund. ℥ß ſoluatur in ℔ij aquae calidae, add. ſal. fix. tart. gr. viij. digerantur leni igne per totam noctem et colentur ad vſum. Vna hora, primo vitro aſſumto, elapſa, detur iuſculum, et continuetur aut intermittatur laxantis vſus, prouti ipſe effectus purgans requirere videtur, veſperi autem clyſtere eſt vtendum. Robuſtioribus autem, pro indicationum ratione, vomitorium ex tartaro emetico cum clyſtere eſt exhibendum. Hoc modo procedendum eſt ſemper tribus diebus praeterlapſis, donec taenia diſceſſerit. Notandum tamen has doſes ratione aetatis et conditionis aegrorum eſſe immutandas.

p. 224. 5) Cl. VERDEIL *obſeruatio de artificiali reſtitutione naſi et palati carie deſtructorum.* Quidam viginti et octo annorum ab amico baculo in naſum percuſſus carie infeſtatum demum amiſit naſum. Chirur-

279. Plura exempla oſſium emollitorum v. in indicibus primae et ſecundae decadum noſtr. comment. ſub verbo *oſſa*.

Chirurgis fruſtra in ſubſidium vocatis, ipſe, ſua induſtria reperto remedio, naſum ſibi applicauit. Effecit videlicet naſum ex ligno tiliaceo, colorem faciei ipſius proprium conciliauit, fibulaque argentea cum annulo mobili ornauit, et ipſi faciei per emplaſtrum diapalma applicauit. Palatui autem vt ſuccurreret, adaptauit partem ſpongiae ſubtilis ita, vt palatus exaequaret magnitudinem; uvulam huius artificialis palatus, obduxit argento ſubtiliter tractato elaſtico ſpongiaque tecto, et ſic palatui applicauit effecitque, vt diſtincte et articulate loqui, et ſine difficultate maſticare et deglutire poſſet. (Similem et aegrum et machinam ipſi vidimus. Aeger quoque ope machinae eiuſmodi ſat diſtincte loquebatur).

6) Cl. TERRAS *Obſeruatio de hydrophthalmia.* p. 239. Infantis trium annorum et ſex menſium hydrophthalmia cum ſtaphylomate coniuncta laborantis hiſtoria hic exhibetur, qui, recuſantibus parentibus operationem, periit.

7) Cl. BRASDOR *Coniecturae de lue animalium graſſante in prouinciis meridionalibus Galliae.* p. 258. Principem cauſam in vermibus pecora infeſtantibus quaerendam eſſe pluribus Noſter docuit, firmareque ſtuduit exemplis.

8) *Obſeruatio Cl.* BEAUSSIER DE LA BOUCHARDIER, *de faba per aſperam arteriam vſque ad bronchia dextra deglutita et quinto die per expectorationem eiecta.* p. 267. Arte apud puerum annorum octo, qui fabam deglutierat, fruſtra in ſubſidium vocata, et conuulſionibus cum violenta et continua tuſſi, doloribus et omnibus pleureſiae ſymptomatibus, coniunctis, demum natura ipſa fortis tuſſis ope puerum a ſuo liberauit ſexta demum die malo, qua liberatione et omnia mala ſymptomata receſſerunt.

Menſis Aprilis.

p. 310. Cl. PARIS *obſeruationes de morbis Turcarum.* Recenſet hic abortus atque ſtudium eos promouendi, ex quo ob vim, partibus generationi dicatis illatam, multi iique grauiſſimi generantur morbi, deinde impotentiam et abuſum remediorum aphrodiſiacorum immodicique veneris vſus nocumenta commemorat, et de morbis mulierum, nimio menſtruo fluxu, ſuppreſſione, malo hyſterico et his annexis agit.

Menſis Maius.

p. 387. 1) *Memorabilia literaria, critica, philologica, biographica, et bibliographica inſeruientia hiſtoriae medicae veteri ac recentiori, conſecrata* LVDOVICO *XVI.* Vt de ipſo libro, cuius plures promittuntur partes per ſubſcriptionem, eo melius iudicare queant Lectores, paucis articulorum indicem percurremus. Itaque Art. I. diſſertatio continetur, quae docet medicinam a rerum primordiis tribus conſtitiſſe partibus, quod et Celſus in prooemio et alii aſſeruerunt, videlicet diaetetica, chirurgica, pharmaceutica, quarum omnium praeſtantia peculiaris declaratur. Art. II. vitae deſcriptio PETRI DE ALBANO exſtat. Art. III. de origine anatomiae tractat, quam ad HEROPHILUM tempore PTOLOMAEI SOTERIS refert. Art. IV. continet notitiam quorundam librorum recenter editorum. Art. V. relationem exhibet de morbis epidemicis circa Lutetias diuerſas animantium ſpecies infeſtantibus ab initio anni 1763. vſque 64. ſuppeditata eſt haec relatio ab AUDOVIN DE CHAIGNEBRVN. Art. VI. anecdota biographica de IOSEPHO FRANC. BORRI et de familia SEBIZII commemorat. Art. VII. de inſtituto Regis in gratiam Chirurgorum facto, de profeſſione chymiae ſiue potius pharmaciae chirurgicae fundata agit.

agit. Art. VIII. bibliographiae dicatus eſt. Art. IX. caſum aliquem ſingularem hiſtoriae inoculationis inſeruientem refert. Art. X. coniecturas de tempore, quo plurimi veterum medicorum vixerint, proponit, incipit ab ASCLEPIADE et cum GALENO deſinit. Art. XI. de libris recenter impreſſis, et XII. de remedio aduerſus taeniam Regis iuſſu publici iuris facto agunt. Art. XIII. ſummam litterarum DELAFITTE CLAUE', de lue pecudes in prouinciis Galliae meridionalibus cruciante complectitur, et art. XIV. vitae deſcriptioni FERNELII ſeruit.

2) *Epiſtolam Cl.* AVBERTI *de inuerſione omnium viſcerum in pectore et infimo ventre.* p. 408.

3) *Meditationes Cl.* PARIS *de balneis Turcarum.* Balneorum frigidorum vtilitas commendatur, non aeque calidorum, quippe quae relaxant cutem, corpus ad ſudandum cogunt, et imbecillitatem inducunt, quid quod femellis delicatulis admodum infeſta cenſenda ſunt balnea calida, quoniam accedente potiſſimum vita ſedentaria vaporibus hyſtericis et ſuppreſſionibus ac obſtructionibus menſium ducendis apta ſunt cet. p. 432.

Menſis Iunius.

1) *Obſeruatio de ſanguinis profuſionibus puerperarum Auctore Cl.* ROUX. Tribus articulis omnia ſunt comprehenſa. Primo ſuccincta deſcriptio vteri et placentae continetur, vſus eius et mutationes, quibus tempore grauiditatis obnoxius eſt, deſcribuntur, ſymptomata ſimul indicantur et mechaniſmus artis obſtetriciae ad hoc argumentum applicatae oſtenditur, differentiae cauſarum examinantur, quae vterum vaſaque vterina afficiunt, et vel haemorrhagias producunt, vel eas promouent, etc. Secundo praecautiones in praeueniendis ſanguinis profuſionibus, in aptis remediis p. 483.

eligen-

eligendis, quibus liberantur parturientes ab iis, praeprimis ſi placenta adhaereat vtero, in methodo repoſitionis vteri, in mediis vteri rupturas arcendi, et aptis praeſidiis ſyncopas per dimotionem, aut per ſuffocationes, ortas ſanandi etc. praeſcribit, ſimulque examinat praeſidia apud alios auctores celebrata. Tertio practicos caſus, quibus virtus remediorum firmatur, commemorat.

p. 500. 2) Cl. A. I. MONTFILS *deſcriptio morbi frequentis ac noti in Burgundia, cui nomen eſt* puce maligne. Omnes gradus vitii peſtilentialis admittit hicce morbus ratione ſymptomatum accurate anthraci reſpondet, et prognoſis ex qualitate puſtularum facienda eſt, quippe, quum rubrae eleuataeque ſunt, ſpem ſanitatis faciunt, et tandem de ratione ſanandi ſuam explicat methodum.

p. 514. 3) *Cl.* BOUTEILLE *diſſ. II. de inoculatione ad Cl.* DARLVC *miſſa.* Commendata fuſius inoculatione, varias recenſet eiuſdem methodos, inter quas tamen illi, quae fit per inſertionem puris, prae altera per tranſpirationem, principem aſſignat locum.

p. 541. 4) Cl. ROUELLE *analyſis aquarum mineralium Leucenſium in tractu Vallenſi.* Primo cum variis rebus has aquas eo conſilio miſcuit, vt de earum qualitate aeque ac virtute verum ac aequum iudicium ipſi ſit, deinde ſuas obſeruationes de vſu eius diuerſo, ratione variarum compoſitionum in analyſi facta, addidit.

Tom. XLVI. *Menſis Iulius:*

p. 3. 1) IOS. FRANC. CARRERE *bibliotheca literaria, hiſtorica et critica de medicina veteri et recentiori etc. Tom. I.* Talem vtique librum deſiderauimus, nam, quamquam CLERICVS, FREINDIVS, MANGETVS, SPACHIVS, VAN DER LINDEN, aliique hiſtoriam medicinae diligenter et accurate ſatis illuſtrarunt, tamen eorum

eorum opera non omnibus numeris abſoluta eſſe quilibet fatebitur vltro: nihilo tamen ſecius et hunc librum ſuis laborare naeuis quilibet intelliget, ſi paulo accuratius inquirat in aliquos articulos, quorum elaboratio in Bibliothecis Hallerianis maiori ſtudio facta conſpicitur.

His tamen non obſtantibus Cl. Auctori hoc maximae laudi eſt, quod fontes aperuerit, e quibus Lectores haurire queant. Res enim prorſus egregiae hoc libro continentur, nam hiſtoria medicinae omnium ſeculorum vſque ad noſtra tempora, doctorum virorum ſtudia in arte ſalutari, anatomicorum, chirurgorum, botaniſtarum, chymiſtarum merita, honores et dignitates, quibus ornati et monumenta, quae illis ſunt erecta, catalogi diuerſaeque editiones operum, ſententiarum expoſitiones, origo medicinae, progreſſus, mutationes et ſectae ordine alphabetico ibi recenſentur, vt amicis elegantiorum literarum non ſolum, ſed etiam medicis, qui literarum ſtudiis animum recreare ſtudent, gratus acceptuſque hic liber eſſe debeat.

2) *Commentatio Cl.* PLANCHON *de pleuroperipneumonia eryſipelatoſa maligna graſſante menſibus Aprili et Maio in Eplechis tractus Turnacorum.* In huius morbi naturam atque indolem Noſter inquirens, ſymptomata omnia ſuppeditauit, morbique cognitione meliore ex anatomica ſectione corporis ſibi comparata, viam indicauit, qua cito, tuto et iucunde curandi ſint aegri. p. 24.

3) Cl. SUE *Iun. lectio habita in Academia Regia Chirurgorum, d.* 14. *Septbr.* 1774. *de aneuryſmate arteriae cruralis.* Definitione et diuiſione aneuryſmatum praemiſſa, progreditur Auctor Noſter ad cauſas, ſymptomata, ſigna, et ſanandi rationem. Paulo infra p. 160. ex his omnibus colligit p. 44.

Noſter,

Noſter, vtiliter quidem operationem arteriae poſſe inſtitui, auctoritate HEISTERI *) nitens, interim tamen vtique eſſe praeferendam operationi ligaturam.

p. 65. 4) Cl. ROUELLE *obſeruationes chymicae de analyſi animali.* Experimenta primus inſtituit cum ſanguine humano, vt partes eius conſtituentes experiretur, deinde ſanguinem quadrupedum ſub examen vocauit, inprimis boum, equorum, vitulorum, veruecum, porcorum, aſinorum, et caprarum. Ex his diuerſarum ſanguinis ſpecierum rationes computauit et in tabula propoſuit, adiectis ſimul ſuis animaduerſionibus. Tandem egit de ſale fuſibili in baſi alcali volatilis, vbi primo de praeparatione, dein de purificatione et tandem de phaenomenis, quae ſal fuſibilis producit, verba fecit.

Menſis Auguſtus:

p. 99. 1) *Cl.* AVBRI *oraculum* HIPPOCRATIS. Praefixa diſſertatione praeliminari hiſtoriae medicinae ex CLERICO, FREINDIO et SCHVLZIO, ipſum opus tribus ſectionibus abſoluitur, quarum prior hiſtorias aegrorum demortuorum commemorat, ſymptomata in morbi decurſu, omneſque ſententias, quae huc ex aphoriſmis, libris prognoſticorum, prorrheticorum et coacis praenotionibus ſpectant, diligenter inſeruit: poſterior hiſtorias priſtinam valetudinem recuperantium continet, vbi de quibuſdam ſymptomatibus diſſeritur, ex quibus axiomata fiunt, quae in libris HIPPOCRATIS ſupra laudatis exſtant, nec non euentum proſperum aegrotis praedicere iubent. Tertia ſectio omnium ſignorum

*) v. de arteriae cruralis vulnere periculoſiſſimo feliciter ſanato. De aliis aneuryſmatibus, v. ſupra p. 287. et 292.

gnorum in duabus praecedentibus ſectionibus enumeratorum repetitionem ſiſtit, atque applicationem illorum ſignorum ad morbos in vniuerſum et quaevis ſymptomata peculiariter. Veritas huius rei comprobatur exemplis ex primo tertioque epidemiorum libro.

2) Cl. MORIN *obſeruatio ſuper empyemate.* p. 138. Quidam ex gonorrhoea reſtitutus iterum hoc malo affectus, ex regulis quidem artis ſalutaris tractatus, nihilo tamen ſecius in febrem incidit inflammatoriam cum colicis torminibus et doloribus pectoris arctiſſime coniunctam, quae ita violenta facta, vt ſpes ſanitatis prorſus nulla eſſet, accedente nimirum illo ſymptomate, de quo docte ſcribit HIPPOCRATES, *in febre ardente, ſi aluus eruperit, mortale eſt.* Sudores praecipue indicabant empyematis praeſentiam ſecundum illud: *Qui crebro tenuiter exſudant, ac ſubinde rigent, pernicioſum, ac ſub finem empyema habere deprehenduntur, aluosque perturbatas.* Euentus rem ipſam ſic ſe habere declarauit, ſiquidem aeger empyemate obiit, quod ex anatomica inſpectione, vbi dextrum pectoris latus humore ichoroſo repletum conſpiceretur, apparuit. Obſeruationi adiectae ſunt animaduerſiones pathologicae et therapeuticae.

3) Cl. BARBVT *obſeruatio de abſceſſu cerebri vſu interno et externo verbenae* (de la verveine) *curato.* p. 178. Verbena *) in mortario contuſa et capiti applicata, et decoctum verbenae interne ſumtum, non ſolum ſucceſſiue, aliis remediis antea incaſſum adhibitis, mitigauit dolores, ſed etiam effecit, vt diebus paucis interiectis pus eiiceretur, quo facto aeger recuperauit valetudinem.

Menſis

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 141.

Menſis Septembris:

p. 196. 1) Cl. FABRE *diſquiſitiones de natura hominis ſani et aegroti.* Omnes functiones ex phyſiologicis principiis diligenter deſcribuntur, et ſententiis recentiorum et HALLERI potiſſimum propoſitis, de ſede morborum, de ſenſibilitate, cauſa ſtimulante ac irritante agitur, et ſumma medicamentorum enumeratur.

p. 216. 2) Cl. AZILLE *obſeruationes de morbis Nigritarum, eorum cauſis, ſanandi ratione, et remediis, quibus arceantur.* Quatuordecim capitibus omnem complexus eſt Cl. Auctor tractationem, praemiſſa introductione et breui explicatione aquarum mineralium. Quatuor cauſis principibus omnium morborum tribuit geneſin, nimirum inſufficienti nutritioni, immenſis laboribus, veſtimentorum defectui, et vitae generi liberiori, accedit his commoratio prope paludes, quarum exhalationes ſanitati ac vitae humanae quam maxime noxiae ſunt. Vnde frequentes ſunt febres putridae cum tetano, diarrhoea, dyſenteria: hos non ſolum deſcribit Noſter morbos, ſed etiam ſuadet, qua ratione ipſis medendum ſit.

p. 242. 3) Cl. OLIVAUD *obſeruationes de ſymptomatibus per cantharidas productis.* Duobus vero exemplis docet Noſter cantharides producere poſſe inflammationem et gangraenam veſicae.

p. 256. 4) Cl. DV BOUEIX *reſponſio ad quaeſtionem, a* REBIERE *propoſitam, variolarum inſitionem concernens.* Eo potiſſimum redit illa quaeſtio, qua ratione certos nos reddere queamus, ſi inſitionem non ſequuta ſit febris eruptionis, variolas naturales non eſſe prouenturas.

p. 266. 5) Cl. BOUSQUET *animaduerſiones ſuper Cl.* A. DVFOT *catechiſmo artis obſtetriciae.* Reprehendit et laudat hunc libellum Noſter, ratione primi et

ſecundi

ſecundi capitis, quibus agitur de neruis, venis, muſculis, partibus genitalibus etc. et de foecunditate, grauiditate et earum ſignis, monetque, ea omnia femellis obſtetricantibus non eſſe neceſſaria; Tertium autem caput de exploratione vteri et foetu agit.

Menſis Octobris:

1) *Tractatus de variolis congeſtus e commentariis* VAN SWIETEN *in* BOERHAAVII *aphoriſmos cum methodo curandi* DE HAEN. Repetuntur, quae ab his doctiſſimis viris prodita ſunt, breuiter et conciſe a Cl. DVHAVME auctore huius tractatus, vniverſaque doctrina de variolis viginti ſex capitibus abſoluitur. p. 301.

2) Cl. DES ESSARTS *commentatio de vtilitate balneorum ratione eorum, qui difficulter reconualeſcunt.* In omnibus morbis acutis, ſi aegri eos vicerint, potiones laxantes et reiteratae quidem perfecte ſanos reddunt, ſed haec ſanitas non diu durat. Nam per nutritionem neque recuperant priſtinas vires, neque digeſtionis rite procedit negotium, vnde tales homines macilenti eſſe ſolent, quae macilentia, quum ex ſiccitate et tenſione fibrarum et in vniuerſum inteſtinorum, quae chyli tranſitum ad venas lacteas cohibent, oriatur, et quum bilis, ſuccus pancreaticus et inteſtinalis diminuti ſint, euacuationibus repetitis acres et craſſi redditi, et inde ſiccitas cutis habitualis, quae a tranſpiratione ſuppreſſa pendeat, ſequatur; recte vſu balneorum profligatur, quorum praeſtantiam pluribus exemplis declarat. p. 327.

3) Cl. COSME *defenſio lithotomi latentis.* Huic defenſioni anſam praebuit BEAUSSIER DE LA BOVCHARDIERE aggreſſio, qui lithotomo latente et correcto a Cl. CAQVE abſque omni vti- p. 334

litate vſus fuerat, et propterea errores imputauerat omnibus, qui hoc inſtrumentum adhibuerant.

p. 348. 4) Cl. BESCHER *noua ratio exſtirpandi polypum naſi.* Experimentum inſtituit Noſter in iuuene viginti duo annorum, cui polypus in dextra naſi parte cum tumore in interioribus faucium erat, apprehenſo igitur hoc tumore filo duodecies complicato ceratoque et digiti ope indito in os, ita, vt extremitates dependerent, extraxit polypum, quem inſequuta eſt haemorrhagia, cui aptis obuiam iuit remediis.

p. 353. 5) Cl. CADET *analyſis aquarum mineralium fontis* S. MARTINI *prope Guiſam in Picardia.* Repetitis experimentis intellexit Noſter, has aquas virtute adſtringendi et ſiccandi gaudere, quare ipſas commendat in phagedaenicis vlceribus, diſtorſionibus, contuſionibus, haemorrhoidibus, oculorum morbis ; ſed et in morbis pectoris, colicis, ſtomachi imbecillitate, febribus, quae comitantur morbos chronicos ac lentos, febribus intermittentibus inveteratis, multum praeſidii eas afferre, quid quod et ſterilitati femellarum mederi ſtatuit.

p. 363. 6) Cl. BOUCHERT *obſeruationes de apoplexia, quatenus climati Lillenſi in Flandria propria eſt.* Catalogo morborum diuerſis climatibus propriorum praemiſſo, propter humiditatem aëris apoplexiam frequentem in tractu Lillenſi eſſe aſſerit, quam deinde deſcribit, addita differentia a lethargo, coma, caro, catophora cet.

Menſis Nouembris:

p. 435. 1) *Obſeruatio Cl.* SASSARD *de vulnerata aorta.* Hiſtoria ipſa non ſolum narratur exacte, ſed et aliis exemplis a Cl. SAVIARD et MORGAGNIO commemoratis illuſtratur.

2) Cl.

2) Cl. H. A. DE CHAIGNEBRVN *de remedio in narium haemorrhagia ſiſtenda apto.* Quum in meridionalibus Galliae tractibus ſpontaneae naſi haemorrhagiae admodum ſolennes, et omnem modum excedentes ſint, ita, vt animi deliquia ſequantur: ſimplici quodam remedio Cl. Auctor illis obuiam iuit. Ligaturam videlicet cum craſſo filo efficit, cuius longitudo ſufficere videtur, et cui carpia copiae atque magnitudinis iuſtae adiicitur, humectata cum aceto et puluere terrae ſigillatae, boli armenae et vitrioli; ſi nimirum alia adſtringentia non ſtatim in promtu ſint; haec carpia interioribus palati vſque ad iuguli primordia applicatur, et ope fili extrahi aliudque ſubſtitui ſex horis poſt commode poteſt. p. 438.

3) Cl. BERTHOLET *obſeruationes de aëre.* Inſtitutis multis experimentis cum aëre per tartarum, terram foliatam tartari, ſpiritum ſaturni, etc. etiam in regno minerali multa corpora aëre fixo repleta eſſe aſſerit, vti et in materiis animalibus. Nec non obſeruationes ſequuntur de decompoſitione et recompoſitione ſaponis, atque de decompoſitione ſalis ammoniaci. p. 441.

Menſis Decembris:

1) Cl. PAULET *diſquiſitiones hiſtoricae et phyſicae de morbis pecudum vna cum remediis.* Tribus totum opus abſoluitur partibus, quarum prior explicationem morborum difficiliorum, qui pro diuerſitate temporum fuere obſeruati, ſiſtit; in qua tres facit epochas. Prima deſcribit morbos temporibus poëtarum et hiſtoricorum, quorum ex ſcriptis multa ad pleniorem variorum morborum notitiam eruuntur. Secunda epocha incipit a CECILIO SEVERO, vbi ſimul in ſumma COLVMELLAE et VEGETII de arte veterinaria libri recenſentur. Mirati ſumus p. 483.

 Cl.

Cl. Auctorem non mentionem inieciſſe *librorum Hippiatricorum* iam ante VEGETIVM conſcriptorum, quibus multa huc pertinentia egregie recenſentur. Tertia denique omnes comprehendit morborum hiſtorias literis conſignatas. In ſecunda parte indicantur loca, in quibus ars veterinaria originem cepit, quae cauſae in vniuerſum eam produxerunt, aut renouarunt, aut vſum perpetuum procurarunt. Tertia pars omnes morbos in claſſes ſuas diſtinctos proponit. Experientia potiſſimum in ſubſidium vocata, remedia laudantur, quae cum magna vtilitate fuere adhibita.

2) *Epiſtola* Cl. POTEL *de cura morborum venereorum ad Auctores diarii* Gazette de Santé *dicti*. Potiſſimum vſum mercurii Noſter impugnat, atque quatuor obſeruationibus rite inſtitutis ſuae ſententiae veritatem conciliare ſtudet.

p. 505. 3) Cl. G. HAVE' *obſeruatio de enteroepiplo-omphalocele penitus ſanata.* Totius morbi decurſum Noſter deſcribit, atque operatione feliciter in aegra inſtituta reunitionem inteſtinorum curauit.

p. 521. 4) Cl. BERTHOLET *) *obſeruationum de aëre continuatio.* Inſtituit Noſter examen cum aëre nitroſo commixto cum aqua et aëre communi, cui additur obſeruatio Cl. PRIESTLEY de ferri ſolutione in acido nitroſo.

---

*) v. ſupra.

II.

II.

Hortus Romanus; ſecundum ſyſtema I. P. TOURNEFORTII, a NIC. MARATTI Aquilano, Medico Doctore, Linneanis characteribus expoſitus, adiectis ſingularum plantarum analyſi ac viribus. Species ſuppeditabat ac deſcribebat LIBERATVS SABBATI Mevanias, eiusdem horti cuſtos et chirurgiae Profeſſor. Accedunt tabulae C. propriis plantarum coloribus expreſſae. Tomus. II. Romae 1774. fol. Tom. III. ibid. 1775. ead. forma.

Progredimur iam lubentiſſime, ad recenſendos duos tomos libri huius, cuius priorem partem, in hoc ipſo noſtrorum commentariorum volumine p. 337. diiudicauimus. Laetamur profecto, quod plures querelarum a nobis tunc motarum, a Cl. MARATTI, cui iam haec plantarum delineatio, et deſcriptio, eſt commiſſa, ſint emendatae. Vſus enim eſt Cl. Editor Linneanis laboribus ſedulo, atque Tournefortianam methodum, ſaepius, quod tamen de reliquis omnibus valet, mancam atque imperfectam, ſuis emendare ſtuduit monitis. Probant inſertae Cl. Auctoris illuſtrationes Ipſum inter confirmatorum botanicorum numerum merito eſſe referendum, neminemque tali rei ſuſcipiendae fuiſſe aptiorem. In praefamine recenſet breuiter ſua de hoc opere merita, quae non ſine animi voluptate partim ob verborum concinnitatem, partim ob rerum praeſtantiam legimus. Non enim ex vana verborum coaceruatione eſt conflata, ſed quandam ſuarum obſeruationum in

plantis factarum continet ſyllogen; litem inter TOURNEFORTII atque LINNEI aſſeclas motam componit; atque vtilitatis, ſi deſcriptionibus plantarum virium ipſarum additur recenſio, breuem exhibet demonſtrationem. Ne in his longiores euadamus, de ſingulis poſtea fuſius dicemus.

Vol. II. Reperiuntur in hoc volumine plantae claſſis *ſecundae*, cuius initium iam in antecedenti volumine factum eſſe, olim monuimus, et *tertiae* claſſis, quae, vt neminem botanicorum fugiet, plantas flore *monopetalo anomalo* complectitur. Emendauit vero Tournefortianum ſyſtema partim eo, quod genera nuper deſcripta, loco apto inſeruerit, partim quod ea, quae ab TOURNEFORTIO ipſo minus apte erant collocata, in meliorem locum repoſuerit.
p. 18. Huc *Echium* pertinet, quod a TOURNEFORTIO ad *infundibuliformes* erat relatum, quod vero ad *anomalas campanulatas, quarum piſtillum abit in quatuor ſemina*, pertinet; hunc anomalarum ordinem Cl. MARATTI
p. 15. primum conſtituit. *Dracunculi Ari* et *Ariſari* genera, quae ſectionem primam, claſſis tertiae conſtituunt, ad claſſem apetalarum pertinere Noſtro quidem videntur, ad illam tamen bibliopolarum cauſa non reduxit, ne nimirum huius voluminis traheretur editio. Haec tria genera in vnum quoque ſunt relata.
p. 3. *Coronopi* porro ac *Pſyllii* genera cum *Plantagine* coniungenda eſſe merito docuit; *Valerianellae*, quorſum *Valerianae dioicae* pertinent, ad *Valerianas*; *Blattarias* tandem ad *Verbaſca* referendas eſſe putat.
p. 1. *Primulas* quatuordecim recenſuit, quod varietates, pro ſpeciebus male habitae, efficiunt. *Lycorperſicum* fructibus compreſſo rotundis, qui ex ſtriis inaequalibus conuexis ſunt conflati, quod hic deſcriptum cernimus, varietas nobis eſſe videtur *Lycoperſici* bacca

rotun-

rotunda glabra apice punƈto notata; adeoque ad *Solani* pertinere nobis videtur genus. *Poterio* et *Sanguiſorbae*, ſecundum Noſtri mentem, eſt corolla monopetala, nec, vt LINNEVS putabat, polypetala. *Spermacoces* flos deſcribitur campanulatus. p. 14.

Plantae rariores in hoc tomo piƈtae, ſunt; *Plantago maritima* tab. 7. cuius foliorum baſis non cernitur lanata; *Plantago ſerraria* tab. 9. *Crucianella maritima* tab. 13. *Aſperugo Aegyptiaca* tab. 25. *Anchuſa orientalis* tab. 27. *Symphytum tuberoſum* t. 31. forte *Symph. officinalis varietas; Onoſma orientalis t.* 32. huius radix rubro colore piƈta conſpicitur; *Plumbago Europaea* t. 39. *Lyſimachia ephemerum* t. 43. *Pentapetes phoenicea* t. 55. *Menianthes nymphoides* tab. 67. *Poterium hybridum* tab. 72. *Arum dracunculus*, *proboſcideum*, et *ariſarum* tab. 76 – 79. *Ariſtolochia rotunda* t. 80. *Bignonia capreolata?* t. 85. *Scrophularia canina* t. 90. *Ruelliae paniculata* et *ſtrepens* t. 92 – 93.

Nobis vero non prorſus ſatisfaciunt, figurae plantarum, quas iam proponere volumus. *Plantago pſyllium* tab. 10. dentes enim foliorum ſunt negleƈti; *Valeriana rubra* tab. 17. colore pallidiori quam natura oſtendit piƈta; *Valeriana locuſta* t. 18. hic partim florem diandrum a latere piƈtum, partim negleƈtam ſeminum formam, a qua varietas diſtinguitur, reprehendimus; *Lycopſis veſicaria* tab. 35. ipſius enim caulis non ereƈtus, ſed proſtratus reperitur; *Cynogloſſum apenninum* tab. 37. Stamina huius corolla maiora ſunt depiƈta, LINNEO vero ſunt corollae aequalia; *Veronica latifolia* tab. 48. cuius pulchritudo piƈtoris incuria omnino videtur ſublata; *Solanum pſeudocapſicum* tab. 59. floribus piƈtum ſimplicibus nec in vmbellam congeſtis; *Phyſalis Alkekengi* tab. 63. huius

enim folia ſerrata ſunt, nos vero integerrima ſem-
p. 12. per vidimus; *Phyſalis* t. 64. *pubeſcens* LINNEI male ab Auctore Cl. *Solanum veſicarium indicum minimum* fuit dictum; *Adoxa Moſchatellina* t. 69. magnitudine ſuperat plantam naturalem, corollisque albis a natura recedit; *Arum maculatum* t. 74. duplo maius, quam apud nos; *Ariſtolochia clematitis* t. 81. male ab Auctore nominatur, *Ariſtolochia longa vera*, hoc enim *Ariſtolochiae longae* eſt ſynonymon; florum *Lobeliae cardinalis* t. 83. color plantae virenti non reſpondet; *Spermacoces verticillatae* t. 99. ſtamina exſtare deberent.

Pauca de viribus plantarum notamus, quoniam plura eorum, quae de his dicta ſunt, iam alibi leguntur. *Androſace* inter diureticas refertur, podagricisque commendatur; *Trachelii* radix adſtringit atque exſiccat vlcera oris; *Plumbaginis* folia oleo tincta Pariſiis contra glandulas exulceratas cum vſu adhibentur; *Anagallidi* praemittitur emeticum, hocque ipſum efficacius contra maniam Noſtro videtur, quam herbae ipſius vſus; *Solani Melongenae* fructus comeditur a Gallis atque Hiſpanis; *Menianthis nymphoidis* herba reſoluit, vrinamque ducit, ſemina vero expectorant.

Vol.III. Tranſimus iam ad tertii voluminis ſummam, ad quod characteres plantarum adpoſuit NICOLAUS MARTELLI *Aquilanus medicinae Doctor.* Inſunt huic tomo plantae claſſem III. terminantes, atque ſingula claſſis quartae indiuidua. In hac claſſe *plan-*
p. 10. *tas flore monopetalo labiato*, recenſeri, conſtat. Addidit vero, Cl. Auctor, claſſi IV. ſectionem tertiam, quae *plantas flore monopetalo vix labiato corolla ſubaequali* adeoque *Lycopum*, *Verbenas* varias, *Menthae* ſpecies, *Lantanam* atque *Browalliam* complectitur. *Menthae* deſcriptionem duabus in ſectionibus tradidit,

dit, in ea nimirum, quam modo nominauimus, atque in loco, quem TOURNEFORTIVS ipſi adſcripſerat, h. e. in ſectione tertia, cui *plantae flore labiato labio ſuperiore fornicato* inſunt, propterea quod quaedam ſpecies ad hunc, aliae ad illum ordinem pertinerent. Neque deſunt genera, quae a TOURNEFORTIO ſeiuncta, Auctori Cl. coniungenda videntur; huc *Dracocephalum* atque *Moldauica*, *Leonurus* et *Cardiaca*, *Calamintha* atque *Meliſſa*, *Serpyllum* et *Thymus*, *Chamaedrys* atque *Polium* pertinent. *Marrubiaſtri* ſpecies in alia plura genera diſtribuendas eſſe ratur. Haec ad LINNEI mentem facta generum coniunctio nobis magnopere placet.

Verbenas meliori iure didynamiis annumerari cenſet, quoniam plurimae ſpecies floribus gaudeant tetrandris. Omnibus *Monardae* ſpeciebus ſtamina quatuor, quorum duo ſint caſtrata, tribuere videtur.

Ad plantas minus frequentes, quae huic volumini inſunt, pertinent. *Antirrhinum aſarine* t. 3. caulibus repentibus foliiſque faſciculatis reniformibus a deſcriptione LINNEI differens; *Pedicularis purpurea annua minima* tab. 7., quae LINNEO eſſe videtur incognita. *Acanthus mollis* et *ſpinoſus* t. 13. 14. *Dracocephalum Virginianum* et *Canarienſe* t. 26. 27. *Scutellaria albida* et *lateriflora* t. 29. 30. *Brunella Pyrenaica maxima flore maiore* t. 33. quae ad *Salvias* pertinere videtur; *Moluccella laeuis* et *ſpinoſa* t. 45. 46. *Sideritis perfoliata* et *Romana* t. 57. 58. *Satureja thymbra* t. 71. haec floribus axillaribus ſimplicibus picta eſt, tribuuntur vero ipſi vulgo, flores verticillati. *Nepeta tuberoſa* t. 82. *Monarda punctata* t. 86. 87. *Teucrium campanulatum*, *fruticans* et *iua* vel *pſeudochamaepithys?* t. 95. 96. 98. *Aiuga orientalis* t. 100.

Iam pauca de iis, quae nobis non omnino placent. *Antirrhini purpurei* tab. 5. folia non ſunt accurate quaterna, flos iuſto pallidior. *Salvia Canarienſis* tab. 25. huius enim lanugo, ab iis modo, qui plantam ſaepius viderunt, cognoſcetur, adeo rudi arte eſt delineata; *Marrubii pſeudodictamni* tab. 47. limbus calycis iuſto breuior eſt. *Marrubiaſtrum vulgare* t. 51. 52. (quod eſt *Stachys aruenſis* LINNEI) nobis potius *Alyſſon verticillatum floribus profunde inciſis* BAVH. pin. 232. ſeu *Marrubium Alyſſon* LIN. eſſe videtur. Hoc enim non ſolum characteres generici, quantum ipſos ex icone potuimus cognoſcere, verum quoque vniuerſa plantae facies, quorſum caules magis erecti, folia apice profundius inciſa pertinent, nobis indicare videntur. *Marrubii vulgaris* t. 59. color a naturali habitu multum recedit. *Meliſſa calamintha* t. 63. et *Satureja hortenſis* t. 70. pedunculi nimirum harum plantarum ramoſi, a pictoribus male mutati ſunt in ſimplices. *Lauandulam dentatam* t. 74. nemo cognoſceret, niſi ſubſcriptum eſſet plantae nomen, folia enim dentata, quae huic ſpeciei ſunt propria, a minus ſedulo atque ſolerti artifice in integra mutata cernuntur! *Origani Dictamni* tab. 76. folia iuſto albidiora, bracteae vero in natura ſunt venis rubris diſtinctae. *Ocymum minimum* t. 85. adeo negligenter eſt pictum, vt alia planta vix vlla; color enim non ſolum latius penetrauit quam debuiſſet, verum quoque flores colore non coeruleſcente mox ex albo nigricante ſunt picti. *Teucrium chamaedrys* t. 88. annon potius *Teucrii ſcordii* varietas foliis latioribus?

Ex virium recenſione commemoramus, edule gratum ſitim febrilem demulcens, quod ex *Acantho* paratur; dein *Hormini* ſemina in ophthalmiis adhiberi et inter aphrodiſiaca referri, flores vero huius

ius herbae cum floribus *Sambuci* mixtos, mutare vinum Rhenanum in Moſchatellinum; *Sclaream* cum *Caſtoreo* fere conuenire; et *Leonurum cardiacam* vtiliter in equorum peſte exhiberi.

III.

Diſſ. de puluere antherarum Praeſide M. CHRISTIANO FRIDERICO LUDWIG. Reſpondente *Petro Gniditſch.* Lipſ. 1778. 4. pag. 34.

Commemoratis, qui de puluere antherarum ſcripſere Auctoribus, contendit Cl. LUDWIG in omni herbarum flore reperiri pollinem, neque cryptogamicos procul dubio eo deſtitui. Mox membranas et interiorem pulueris antherarum compagem ſibi inueſtigandam ſumit, pedunculos a BONNETO defenſos negat, quemadmodum quoque tres membranas illas, e quibus KOELREUTERUS pollinis globulum compoſuit, modo vnam in *Paſſiflora* et aliis plantis, modo duas in *Tulipa* obſeruans atque etiam animaduertit globuli figuram et magnitudinem differre pro maturitatis ipſius gradu. Figuram globulorum in genere mox ſimilem, mox diſſimilem, genera propinqua et remotiſſima ſaepe figura conuenire, et ſpecierum globulos ſemper eiuſdem eſſe figurae inuenit. p. 4. p. 8.

De pollinis copia nihil certi determinare licet, quamuis numeri antherarum ad piſtilla et ſemina rationem habueris. Color globulorum farinae foecundantis variat plerumque in generibus, in ſpeciebus vero non, atque pro diuerſa maturitate quoque diuerſus eſt. Poſtea halitus ſeminalis ſecretionem conſiderat atque demonſtrat ab humoribus, vaſorum flexuris atque angulis, cauitatibus, in quas p. 14. p. 16. p. 27.

depona-

deponatur ſecretus liquor, particulis attrahentibus, vario ſuccorum impetu, aëris viciſſitudinibus, terrae ratione, plantarum aetate et reſorptione variam in diuerſis plantis pendere ſecretionem.

p. 23. Analyſis chemica: deſtillationes nimirum, decocta atque infuſa parata Cl. Auctorem docuerunt pulueri antherarum immixtas eſſe particulas ſalinas et terreas, gummoſas, reſinoſas atque principium ſpirituoſum aliquod, quod halitum foecundantem continere Ipſi viſum eſt, cum reſina pollen a pluuia defendat atque gummi eiuſdem ſolutionem in piſtilli

p. 25. liquore adminiſtret. Quibus quaedam de antherarum exploſione, et globulorum excretione adiunguntur, adductis vltimo loco multis argumentis, quae vſum pulueris antherarum in generatione confirmant atque demonſtrant.

IV.

Materia medica e regno vegetabili ſiſtens ſimplicia officinalia pariter atque culinaria. Secundum ſyſtema ſexuale ex autopſia et experientia fideliter digeſſit. PETRVS IONAS BERGIVS M. D. Hiſt. Nat. et Pharm. Profeſſor Stockholm. R. Coll. Med. Aſſeſſor Acad. et Societat. Scient. Imper. Petropol. Imp. N. Cur. R. Londin. Stockholm. Upſal. Philadelph. Haarlem. Nidros. Helvet. Zell. Roterod. Zeeland. Berolin. Nat. Cur. et Lund. Membrum vt et Monſpel. Correſp. Tom. I. Stockholm. typis Petri Heſſelberg 1778. 8. maj. pagg. 448. praeter dedicationem et praefationem.

Botani-

Botanicis in rebus inſtitit Ill. BERGIVS LINNAEI veſtigiis ad virtutes ſimplicium medicaminum definiendas et confirmandas, quas ex crebris doctorum practicorum obſeruationibus, quibus diligenter et crebro hic vſus eſt Noſter, neceſſario cauteque repeti oportet, addiditque praeterea non inutiliter alimentaria et culinaria. Item curauit Noſter, vt ne quid praeter veritatem inſereretur. Eapropter morborum nomina parcius commemorauit et maluit ſpatium vacuum relinquere, quam quid experientia deſtitutum tradere. Quod ſi vero de officinalium efficacia memorabilia, ſparſim huc illucve ab Auctoribus memoriae relicta, quis geſtiat ſcire, lubenter excitat eum Noſter ad IO. ANDR. MURRAY apparatum medicamentorum *) legendum, qui diligenter et curioſe in huius rei verſatus ſit occupatione. Linnaeano itaque praemiſſo nomine aliisque additis denominationibus ex aliis Auctoribus et iconibus laudatis, nomen pharmaceuticum et, ſi ad alimenta pertinet, culinare, locum, formam, proprietates, virtutem, vſum conſiderat et obſeruationibus experientiaque virtutem confirmat Cl. Auctor partim ſua, partim aliorum doctorum virorum. Id quod, ſi excipias botanicas deſcriptiones fortaſſe nimis amplas, quo modo breuiter docte et perquam vtiliter praeſtiterit celeberrimus BERGIVS, quodam exemplo monſtremus.

Coſtus Arabicus LINN. Sp. pl. 2. Mat. med. 4. p. 7. MERIAN Surin. p. 36. t. 36.

Tſiana-kua RHEED. Malab. 11. p. 15. t. 8.

Coſtus amarus et dulcis BLACKWELLAE Herb. tab. 394.

Pharm. coſti radix.

Locus India vtraque, Malabaria, Surinamum.

Perennis.

Forma

*) v. ſupra. p. 260.

Forma ſicca. Radix ſubcylindrica, cinerea, craſſitie pollicis vel vltra, duriuſcula, parenchymate cinereo pallidiore.

Proprietas: Odor gratus, ſubuiolaceus. *Sapor ſiccati* amaricans, leuiter aromaticus; *recens* radix dulcis.

Virtus: ſtomachica.

Vſus.

Obſ. 1. Coſtus officinarum dulcis et amarus ex eadem planta deſumuntur et nonniſi aetate differunt, quo vetuſtior, eo magis amaricans. Sed in plurimis pharmacopoliis cortex Winteranus perperam pro hocce ſubſtituitur.

Obſ. 2. Ex hac radice ſumta vrinam odore violaceo infici plurimi ſtatuunt.

Hoc exemplo praemiſſo, de ſingulis quibuſdam
p. 8. videamus. *Salicorniae* herba virens et condita cu-
p. 24. linaria. Incepit Noſter herbam *Gratiolae* in praxin medicam referre, quippe quae purgantem et emeticam vim non amittit ſiccatione. Puluis ex Gratiolae ſcrupulo dimidio et quinque granis Gentianae in febribus bilioſis repullulantibus atque in quartanis autumnalibus quouis bihorio laudatur.
p. 39. Ac omnino non negligenda eſt tam efficax planta. Confectis globulis e radice *Iridis Florentinae* ad fonticulos apertos ſeruandos vtuntur Turcae. (Nos quoque iis eodem conſilio non nuper vſi ſumus et praeferimus illos reliquis ideo potiſſimum auxiliis hic ſolemnibus, quoniam odore grato foetorem
p. 45. fonticulorum quodammodo corrigunt.) Acidi ſacchari eſſentialis vſus eſt inſignis ad explorandam aquam quamcunque; nam ſi tantilla portio huius ſalis in aqua ſoluitur, haec mox opaca redditur, ſi calx ipſi ineſt et poſtea praecipitatur.

Rubiae

Rubiae Tinctorum vis in morbis oſſium deſti- p. 64.
tuta eſt experimentis indubitatis. *Plantaginis lati-* p. 70.
foliae radix vtilis eſt in tertianis vernalibus, minime
in autumnalibus. Radicis *Contrayeruae* virtus eſt p. 73.
alexiteria, ſudorifera et vſus in febre lenta neruoſa.
Infuſum *Trifolii aquatici* laudat Noſter in arthritide, p. 92.
febribus autumnalibus et aſthmate. In *Spigeliam* *) p. 95.
cadit vis contra lumbricos et conuulſiones. Exper-
tus eſt Noſter eius vim ſoporoſam, nunquam autem
purgantem virtutem. Radicis *Turpethi* vnciae octo p. 98.
cum ſpiritu vini extractae exhibent reſinae circi-
ter drachmas quinque, quae eodem modo parique
doſi purgant ac reſina Ialappae. C. F. PAULINI liber p. 101.
ſingularis de Ialapa Francof. ad Moen. 1700. a No-
ſtro non laudatur. *Ialappae* genus dubium eſt **).
Radix Mirabilis dichotomae ſatis bene purgat, quem-
admodum etiam ſimillima eſt Ialappae verae. *Ipeca-* p. 102.
cuanhae radix in diarrhoea infantum conuenit; in hae-
morrhagia vteri tanquam ſpecificum a Noſtro lauda-
tur, quippe qui inueteratas paruis doſibus ſanauit in
iam eneruatis feminis. Veruntamen idem de aliis
non valet haemorrhagiis. In haemoptyſi enim mi-
ctu cruento cet. fruſtra Noſter eam praeſcripſit.
In quartanis autumnalibus expedit corticem Peru- p. 108.
vianum acuere calidis atque amaris, praecipue ra-
dice Serpentariae Virginianae, Gentianae, Zingibe-
ris, Alcalinis, quod maxime vrget Noſter, ſiquidem
alias ſaepe fallit cortex.

Extracti *Daturae* doſis non eſt augenda, quan- p. 122.
do pupilla oculi dilatatur. Si ſetaceum nuchae
iungitur vſui daturae in mania; citius curatur mor-
bus. Delirium poſt puerperium ſaepe Noſter ſa-
nauit cum datura, vbi alia fefellerunt. Folia ri- p. 157.
bium

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 288. IId. decad. Suppl. p. 166.

**) Probabilis tamen videtur ſententia, qua a *Conuol-vulo Ialapa* radicem ſumi ſtatuitur.

bium nigrorum tenella, recentia, et citiſſime in aqua
calida infuſa, mox ſiccata ſuccedanea ſunt theae
p. 185. Chinenſi nec paucis placent. *Ulmi campeſtris*
LINN. cortex internus in morbis cutaneis adhibe-
p. 195. tur *). In vero cancro *conium* ſeu *Cicuta* non boni
quidquam praeſtat, ſed nocet. In vlceribus ſordi-
dis et ſiphylliticis, vera ſcabie, morbis cutis, gonor-
rhoea, leucorrhoea, phthiſi, impotentia virili, rheu-
matiſmo chronico, ſcrophuliſque vſus eius ſuadetur.
p. 200. Febribus intermittentibus protractis atque inuete-
p. 214. ratis ſaepe medetur *Aſa foetida* **). *Cicutae aquati-
cae* ſuccum expreſſum et inſpiſſatum, et cum pul-
vere foliorum in pilularum formam redactum No-
ſter fruſtra dedit.

p. 255. Vidit Noſter plures *allio* curatos febribus au-
tumnalibus repullulantibus laborantes, etiam quar-
tana. Incipiunt bulbulo vno mane et veſperi et au-
gent quotidie bulbulos vſque ad numerum quar-
tum et quintum qualibet vice. Febre nunc eua-
neſcente, diminuenda eſt doſis. Serum lactis allia-
tum in tuſſi valde fructuoſum eſt. Iuuat in ſurdi-
tate rheumatica lanam bombycinam ſucco allii,
qui et herpetes externe illinitus curat, imbibere
illamque auri immittere, cet. Calculoſis autem mag-
p. 268. na cum cautione ſuadenda eſt *aſparagi* radix. No-
vit enim Noſter feminam, aſparago veſcentem mictu
cruento vexari et VAN SWIETEN obſeruauit largio-
rem vſum aſparagi paroxyſmos podagricos acceleraſ-
p. 269. ſe. *Lilii conuallium* flores vi laxante ſunt praediti.
Statuit itaque Cl. CARTHEUSER extractum Lilii con-
vallium eodem modo agere ac aloes. Praeſtat illud
ex recentibus floribus ei, quod ex ſiccis paratur. *Aloes*
p. 272. virtus antiputredinoſa, vulneraria, ſtomachica, bilis
ſuccedaneum. In pertinaciſſima alui obſtipatione, re-
mediis plurimis fruſtra adhibitis aloe opem tulit. Id
quod

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 209.

**) v. ibid. Vol. XX. p. 527.

quod et nos obſeruauimus. *Sanguis draconis* vſus p. 276.
in ſcelotyrbe. *Colchici autumnalis* oxymel ſquilla p. 291
longe inferius a Noſtro eſt deprehenſum.

Mezerei cortex ſ. thymeleae cortex a Cl. LE p. 301.
ROI *) in variis morbis laudatus a Noſtro commendatur. Cortex e pluribus ſpeciebus Daphnes ſumi poteſt. Noſter ſemper vſus eſt daphnes mezerei cortice, in Suecia creſcentis, quem poſtea pertractat. Cortices craſſiores magis actiui ſunt, dum e contrario teneriores debilius operantur. *Braſſicae capitatae* folia, vti nos obſeruauimus, aliis foliis et emplaſtris praeferri debent, optime cum conducant ad effectum huius corticis exudatorium ſuſtentandum, etiamſi foetore ſunt ſatis moleſta, quippe cuius a Cl. BERGIO fit mentio. Diu adhibito hoc cortice externe, vidit Noſter eruptiones miliares rubras, prurientes, brachium vel etiam totum corpus, ne capite quidem excepto, occupantes, diſcretas vel confluentes, quandoque moleſtiſſimas. Hae eruptiones proueniunt praecipue ex acrimonia corticis per exutorium reſorpta et plerumque diſparent balneis tepidis, ſepoſito ſimul cortice. Sed ipſa hac reſorptione valide agit hic cortex in humores, tametſi extus applicatur. Sed ſi humores ſimul peccant, vidit Noſter tales eruptiones chronicas factas, tardiſſimae ſanationis. *Coccognidii ſemina* ſeu *daphnes mezerei* baccarum et radicis vſus **) in nodis venereis, aliiſque commemoratur. *Paridis* herbae *virtus* eſt antiſpaſmodica, ſublaxans, *vſus* in conuulſionibuss. In tuſſi conuulſiua p. 313.
ſymptomata hoc Paridis puluere (quauis veſpera ſcrupu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 570.
**) v. ibid. Vol. XVI. p. 141. et 518. Vol. XVIII. p. 38. Vol. XVII. p. 109.

ſcrupulo vno) remiſerunt, aluo leniter ſubducta et
p. 327. ſomno tranquilliore reddito. Fabae *Pichurim* vſus
eſt in diarrhoea, aluo laxa poſt dyſenteriam, tor-
minibus *).

p. 335. Optima forma *Rheum* exhibendi eſt in ſubſtan-
tia, praecipue ſi in fruſtulum maſticatur et degluti-
tur. Soluitur hoc modo in ſaliua et gingiuas, fau-
ces, oeſophagumque roborat. Extus denti dolenti
applicitum et intra buccam retentum odontal-
p. 355. giam ſaepe tollit. *Quaſſia* arthriticis conducit, in
febribus intermittentibus ſaepe fallit **). Haema-
turiam rebellem matronae hac breui fuiſſe curatam
p. 362. Noſter recordatur. Roborat nec calefacit. Muſcas
adeo obſtupefacit infuſum ligni quaſſiae, vt mor-
p. 371. tuas crederes; breui tamen ad ſe redeunt. *Ledum*
paluſtre apes allicit, ſi aluearia cum eo fricantur.
Saponariae radix praeſtantiſſimum diluens in ptiſa-
nis, hinc in arthritide, cura mercuriali cet. nullum
aptiorem potum nouit Noſter. Experimentum
cum decocto ſaponariae inſtituit, lintea lauandi, vti
ſapone fit, quod quidem bene ſucceſſit, attamen co-
p. 373. lores non delet, quare nec lintea maculis pulicum
conſpurcata bene cum ſaponaria dealbantur. *Te-*
lephii folia recentia leniter contuſa acetoque vini
immiſſa tum clauis applicata, reiteratis vicibus mul-
p. 382. tum leuaminis afferunt ſaepeque eos fugant. Pluri-
mi Auctores *corticem Winteranum* a *canella alba*
p. 394. diſtinguunt; Noſter autem praeter hanc alium
corticem Winteranum non nouit. Flores *Philadel-*
phi nec in officinas, nec culinas adhuc intro-
p. 399. ducti ſunt. Mereri videntur Noſtro attentionem.
Laurocераſi foliorum, praeſertim aquae ſtillati-
tiae eorum ***), vis venenata ab aliis atque aliis
demonſtrata eſt Auctoribus. Sed doſi parca non
videtur

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 198.
**) v. ibid. Vol. XXII. p. 551.
***) v. ibid. Vol. VI. p. 645.

videtur nocere; quod confirmat quotidiana experientia in culinis Gallicis, vbi folia Lauroceraſi ſaporis gratia cibis abſque noxa immiſcentur. Neque feris obſunt in parca doſi. Folia mitius agunt, quam aqua. Tradidit medicum lauroceraſi vſum nuper Anonymus *). Aqua ſtillatitia *fructus ceraſorum*, quae in officinis proſtat, praegnans eſt ſapore amygdalarum amararum et cum aqua Lauroceraſi virtute conuenit, ſi cohobata fuerit; hinc teneris infantibus minus ſecure datur ſaepeque etiam funeſtos edidit effectus. Gummi rubeſcens ſ. pallidum vſui medico ſeruit, tanquam aliae gummi ſpecies, ſi modo purum. Gummi ex arbore *prunorum* ſtillans idem praeſtat, quod Gummi Arabicum. Aqua amararum amygdalarum **) cohobata perinde venenata eſt, vt aqua Lauroceraſi. *Anſerinae* ſuccum expreſſum pariter ac infuſum herbae ſiccae in empyemate multum praeſtitiſſe vidit Noſter et calculoſis expuliſſe vrinam et ſabulum. Sed per vices ſumendum eſt, ne nimis pellat. *Tormentillae* radix eſt citius coriarium, quam cortex quercinus. Radix *gei riualis* conducit in febribus intermittentibus etiam protractis, ſaepe diarrhoeis chronicis haemorrhagiiſque.

p. 404.
p. 406.
p. 412.
p. 440.
p. 441.
p. 447.

V.

Spécifique contre la goutte éprouvé et publié par Mr. EMERIGON, Procureur du Roi en la jurisdiction Royale et au ſiege général de L'Amirauté du Bourg St. Pierre. 1778. 8. plagg. 3.

i. e.

Specificum antipodagricum tentatum et publicatum a Cl. EMERIGON.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 367.
**) v. ibid. Vol. XXII. p. 358.

p. 5. Huius mali atrocitatem ipſe expertus eſt, omnemque medicinam fruſtra adhibuit, donec accepit remedium a viro quodam CARAIBE, cuius vſu priſtinam ſanitatem recuperauit. Formula haec eſt: ℞. Gum. Guajac. pulueriſati ℥ij. Taffiae Menſu-
p. 7. rae iij. Miſceantur et in lagena bene clauſa ſoli per octo dies exponantur; ſolutione facta, per linteum vel chartam bibulam filtrentur et diu ſeruentur, quippe cum non recens liquor ſit recenti praeſtantior. Doſis eſt cochlear tempore matutino ieiune ſumendum. Taffiam maxime neceſſariam eſſe putat, propterea quod ex ſaccharo parata, vires balſamicas habeat. Qui huius medicamenti diu continuat vſum, a morbo ſanatur, humores enim podagricos ſoluit et diſſipat, eorum impedit accumulationem et euacuationes promouet aut per largam expectorationem, aut per lenes, quas producit, alui deiectiones.

p. 8. Fugiat praeterea aeger nimis otioſum ac luxurioſum viuendi genus, duas horas poſt ſumptum remedium lac bibat, prandium capiat frugale, attamen ſine ciborum delectu, coenam vel nullam vel exiguam, potus ſit vinum rubrum Burdegalenſe aqua miſtum, cubitum eat hora decima, ſurgat quinta matutina. Ceterum neque balneis vti, neque pedibus humidis incedere conuenit, ob multa pericula inde orta.

p. 10. Antequam Cl. Auctor vſus eſt hac medicina, viſcido, ructibus continuis, acido, et plethora laborauit ita, vt aut venam ſecare aut aluum purgare illum oporteret, nunc autem ab his omnibus liber,
p. 12. ſanitate integra gauderet. Gum: Guaiaci vires eiusque delectionem proponit ſecundum rationem in libro Gallico *) propoſitam Cl. Auctor. Ad depellendos

*) Dictionaire botan: et pharmac: de l'Edition 1768. Eſt et huius remedii mentio facta in perutili opere conti-

lendos nodos et quidem ſine periculo, ſaponem album liquefactum per noctem imponit.

Ceterum huius remedii vis vel magis confirmatur, quippe cum multa nomina attulerit eorum, qui ſani facti ſunt, vel aliae virtutes adhuc ipſi adſcribuntur, vt vis exoſtoſes tollendi, quarum duo exempla profert. In colica denique, vlceribus, malo iſchiadico, rheumatiſmo, catarrho, et aliis morbis e viſcido oriundis permultum praeſtare perhibet.

VI.

CAROLI STRACK, Med. Doct. et in Acad. Moguntina Prof. cet. De cruſta lactea infantum eiusdemque ſpecifico remedio diſſertatio. Quam Scientt. Artt. atque Litterr. Academia, quae Lugduni in Gallis eſt, altero duplici praemio coronauit. d. 3. Sept. Anno. 1776. Francofurti ad Moenum, typis Andraeis. MDCCLXXIX. 8. pagg. 63.

In prima libri parte de *hypecacuanhae* et *ſennae* viribus agitur, ea de cauſa, vt reſpondeatur quaeſtioni anno. 1774. ab eadem academia motae, in qua *de ſuccedaneis radicis hypecacuanhae, corticis Peruuiani atque foliorum ſennae agebatur* *). In ſoluenda quaeſtione de hypecacuanha atque ſenna ita verſatur, vt dicat Cl. Auctor poſſe his remediis quaeuis vomitoria vel aluum purgantia ſubſtitui, cum remedia illa, de quibus agit, praeter vomendi effectum alium omnino nullum praeſtent; dummodo ea, quae horum loco exhibere volueris, artis ope acrimonia ſua irritante, a qua nauſea, debilitas, aliaque vomitum p. 4.

 vulgo

continuato, quod inſcribitur: *Sammlungen auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte*, 3 *Bandes* 4 *Stück*. *Leipzig* 1777. 8. pag. 587.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 538.

vulgo ſequentia pendent, fuerint liberata. Hypecacuanha enim adſtringendi virtute neutiquam pollet, quam nonnulli ipſi adſcripſerunt: mouet enim ſaepius h. e. ſi ſaburram putridam vel vermes in ventriculo reperit, aluum; deinde ſi quid in ipſa eſſet, quod adſtringeret, hoc tamen ita a ſaliua inuolueretur, vt prorſus ſtupefieret, tandem alui adſtricti, quem ſaepius gignit, effectus, ob quem in dyſenteria, lyenteria, vel coeliaca affectione a variis laudatur, potius a materia acri per os eiecta primiſque viis adeo vacuefactis, quam a ſolidorum, vt quidam putarunt adſtrictione, eſt arceſſendus. Neque cortex Peruuianus deſtitui videtur Noſtro remediis, quae ipſi recte ſubſtitui poſſint, in his experiundis tamen ad tempus modumue, quo exhibeantur, aliasque circumſtantias reſpiciendum eſſe ſuadet.

p 25. Iam alteram libri partem adgreditur, in qua ad quaeſtionem: *referre noua inuenta ex regno vegetabili, quae plurimum conferunt ad materiam medicam*: reſpondetur. In huius capitis initio de ſignis ſpecificorum remediorum quaedam propoſuit. Quae haec ſunt: 1) vt morbo eodem quibusuis ſub circumſtantiis ſemper medeantur; 2) vt criſes a natura inchoatas ſubleuent atque metaſtaſes tollant; 3) vt mutent morbi materiam, vel crudam expellant, 4) vt functionem ſanam non turbent, laeſam reſtituant, 5) vt morbus, his remediis ſumtis, non recrudeſcat.

p. 33. Vexantur cruſta lactea lactantes potiſſimum, nec vllus eſt corporis locus, palpebris exceptis, qui a morbo inuadente, liber maneat; ipſi oculorum bulbi rarius infeſtantur, idque euenit, ſi puſtulae in facie ſunt nullae, quapropter morbus hic difficile dignoſcitur. In clunibus moleſtiſſimus eſt atque pertinaciſſimus. Oriri videtur morbus ex miasmate

te ſingulari, quod probant: 1) exempla infantum a matribus hoc morbo olim laborantibus genitorum; 2) nutrices, quae hoc morbo olim preſſae fuerunt, infantes inficientes. Variolas, hoc morbo ſuperato, leuiores eſſe negatur, et damna enumerantur, quae oriuntur, quando pars materiae ad glandulas defertur. Morbum ipſum ſaepius ſequuntur tabes, tympanitis, lippitudo, auriumque abſceſſus. Vrina hypoſtatica eſt horum affectuum frequentiſſima criſis.

Vtitur Noſter contra cruſtam lacteam Hb. *Iacea* ſeu quod idem eſt *Viola tricolore* LINN. et quidem ita, vt quotidie bis, mane ſcilicet ac veſperi ex lacte herbam bibendam praebeat. Coquitur nimirum herbae recentis pugillus vnus pro doſi ſumendus, pulueris ſicci vero drachma vna omni die conſumitur, ita vt huius ſemidrachma per duas horas in lacte vaccino macerata, dein cocta atque colata, mane et veſperi propinetur. Adhibito remedio hoc per vjj dies puſtulae omnes erumpunt, quo facto ab eius vſu abſtinendum, et cruſtae deſquamatio, mox eueniens, exſpectanda. Cruſta deperdita idem remedium denuo exhibendum, vt, quod in corpore remanſit, expellatur. p. 30. p. 40.

Si alius ſimul ſubeſt morbus v. c. mucus in inteſtinis, is prius tolli debet, quam ſanitatis exſpectari poteſt reſtitutio. Si nutrix hoc morbo olim cruciabatur, tunc infans eſt ablactandus, quoniam alias ſanari nequit. Metaſtaſi cuiuis cruſtae lacteae hoc medicamentum opponatur.

Nutricem hoc morbo laboraſſe cognoſcitur ex colore faciei iuſto glabriore, albidiore, ex rubore, ſi inrubeſcit, ſcarlatino genas non aequaliter ſuffundente. Morbum infanti inſtare docent durities, craſſitudo, aſperitas alborque genarum, atque lotium, cum felis vrina odore conueniens. Hic vrinae odor, ad ſigna morbi pathognomonica pertinet.

VII.

G. G. SCHILLINGII de Lepra commentationes, recenſuit I. D. HAHN, L. B. et Traj. ad Rhen. 1778. 8. plag. 15. c. tab. aen. et praefat. HAHNII. pl. 4.

Ex Ill. HAHNII praefatione congnouimus, Cl. Auctorem huius libri GODOFR. GVIL. SCHILLINGIVM Brandenburgicum, diu Paramaripoi, quod emporium Guianae Belgicae eſt, artem feciſſe; inde peragratis Americae Septentrionalis prouinciis in Belgium reuerſum, Vltraiecti Anno 1769. duos edidiſſe libellos, quorum alter de Lepra hic noſter eſt, pro ſummis medicinae honoribus impetrandis ab Auctore propugnatus; alter de morbo quem Americani *Yaws* *) dicunt, exponit. Cuius de contagioſa leprae Americanae indole ſententiam refutatum iuit CEL. ROELLIVS, depromtis ex diſſertatione quadam manuſcripta de lepra cutis Iudaeorum argumentis; quam poſtea conſtitit a PHILIPPO OVSELIO Franequerae Ao. 1709. defenſam fuiſſe. Reſpondit SCHILLINGIVS ad ROELLII dubia, conſcriptis poſt aliquot annos in OVSELIVM animaduerſionibus. Quae ad Ill. HAHNIVM miſſae nunc demum vna cum SCHILLINGII et OVSELII diſſertationibus in publicum prodierunt. Cum vero Noſter, quinque morbos, lepram
p. 15. nempe Hebraeorum, Graecorum Elephantiaſin, iuniorum Arabum lepram, malum Sancti LAZARI et Americanorum *Boaſi* vno leprae nomine complectatur, aduentitiis ſaltim quibusdam notis a ſe inuicem differre hos morbos exiſtimans; cumque alii, interque hos MEAD et LORRY lepram Iudaicam eam potius eſſe vitiliginis ſpeciem opinentur, quae Grae-

cis

*) v. de hoc morbo ſupra.

cis ἀλφὸς dicatur, neque cum elephantiaſi conuenire; HAHNIVS in hac re fere nihil certi ſtatui poſſe putat; monet tamen, ſi ad vitiliginem referenda ſit Iudaeorum lepra, certe non mitiori ſpeciei ſ. ἀλφῶ, verum potius grauiori, quae λευκὴ nuncupetur, accenſendam eſſe, quae quidem hactenus ad leprae indolem accedere videatur, quod, iuxta CELSI deſcriptionem et albidior ſit alpho, et altius deſcendat, piliſque ipſis albis lanuginoſiſque redditis, pertinax plerumque ſit, nec facile hominem derelinquat. Hieroſolymitanum malum Elephantiaſi Graecorum fuiſſe cognatum, ex epiſtola quadam GREGORII HORSTII Ao. 1624, quo nondum plane ex Europa ceſſerat illa lues, ſcripta, comprobat; in qua potiſſimum ἀναισθησίας cutis et ſpontanei membrorum mortuorum a corpore receſſus mentio iniicitur. Ceterum de reliquis morbis a SCHILLINGIO in rem praeſentem introductis, nondum decerni quid poſſe autumat, vtrum vere lepram aemulentur, an diuerſi generis ſint.

Ter haec lues Europam inuaſit; primum Italiam ſub TIBERII CLAVDIIque, vt videtur, imperio; binaeque eius ſpecies tunc obſeruatae fuerunt: altera, a loci, quem primum inuaſerat *mentagra* dicta, proceribus potiſſimum infeſta; altera *Elephantiaſis* per plebem graſſari ſolita. Secunda vice ab Arabibus in Italiam, Galliam Hiſpaniamque delata, breui tempore deſaeuiit. Tertio denique per pontificiae ſuperſtitionis ſatellites, ex bellis ſic dictis cruciatis reduces, illata, longe lateque per plurimas Europae prouincias ipſasque Germaniae vrbes vagata, ſero demum extincta eſt. Cum itaque in coelo Europaeo non omnino certum aduerſus lepram eſſe praeſidium experientia docuerit, cauendum eſſe monet HAHNIVS, ne peſtis illa noſtris regionibus ex America aſportetur. Nec vanum eſſe p. 21.

 hunc

hunc metum hominis ex America nuper reuerſi exemplo demonſtrat. Is, vti a Cl. HENSLERO Phyſico Altonenſi Auctor acceperat, in inſulis Americanis diſſoluto vitae genere vſus, poſtquam inierat coniugium per integrum annum ſatis bene valuit. Anno vero elapſo prima in ſe percepit ingruentis leprae indicia. Quae cum cedere medicamentis recuſarent, in Europam reuerſus eſt, malo tamen ex eo tempore nequicquam eleuato. In deſcriptione huius leproſi hoc inprimis notabile eſt, caput, et inprimis faciem hoc malo admodum fuiſſe foedatam. Eius color in America ruber fuit, poſtmodum in Europa cupreus fere euaſit. Ex eo quoque tempore mentum porrigine ſqualere incepit. Neque vero, vt in reliquo corpore, ſic etiam in facie ſenſus omnis periit. Aeri hoc leproſum caput Ill. HAHNIVS inſculpi atque in titulo libri exprimi curauit. Caeterum nec appetentia ciborum, nec eorundem concoctio nec reſpiratio aut pulſus arteriarum in iſto homine a conſueta et naturali norma aberrauit. Sudorem, quem in America copioſiſſimum fundere ſoleret, nunc pene non expertus eſt.

p. 32. Cum leprae huius initia tam exilia ſint, et in occultis plerumque corporis locis ſeſe exſerant, adeoque inſenſili modo iſta lues ex corporibus iam infectis in ſana transgredi poſſit; tanto magis ſedulo cauendum erit, ne noſtras aliquando regiones inuadat.

His propoſitis, Ill. HAHNIVS duas addit obſeruationes a SCHILLINGIO ſibi nuper traditas. Is, cum Tondin Surinamenſium vrinas ſudoresque ciere vidiſſet, in aliis quoque morbis, qui excretionibus iſtis iuuari ſolerent, optimo cum ſucceſſu eius vim expertus eſt. Hydropicis decoctum ligni Tondin cum ſcoria ferri et ſyrupo communi mixtum, per-

colatum,

colatum, et fermentatum ad tres quatuorue vncias ter quotidie propinauit, cute renibusque, aluo etiam nonnunquam hac medendi via optime ſolutis.

Altera obſeruatio Gymnotum electricum L. ſpectat. Acus nautica in vicinia huius piſcis continuo mouetur. Atque ipſe piſcis admoto magnete inquietus redditur, et conturbatus fugam molitur. Idem accidit, ſi aquae ipſius cui innatat Gymnotus, ſuperficiei magnes paullo fortior applicatur, donec poſt varias palpitationes, ad magnetem accedit, ipſi firmiter ferri inſtar adhaeſurus; iamque languidus impune manibus tractari demulcerique poteſt. Priſtinas vires ſero tantum recuperat; ſatis cito autem ſi limatura martis conſpergitur. Quae tentamina etſi ita eueniſſe HAHNIVS nullo modo inficiatur, dubitat tamen, an vere pro magnetica huius piſcis virtute ſtare poſſint. Illae enim et acus nauticae in Gymnoti vicinia, et huius, applicato aquae magnete, motiones crebriores eandem ob rationem fieri Ipſi videntur, qua corpora electrica aduerſus magnetem ſe habere ſolent alias. Quod vero ad magnetem ſeſe applicet piſcis, id partim ab animalis ea, quae ſibi ingrata ſunt, remouendi contentione, partim ab arena martiali piſci ex aquis natalibus adhaerente repetendum eſſe cenſet; cum ipſe SCHILLINGIVS remoto animali polos magnetis ſcobe quaſi ferrea adſperſos fuiſſe animaduerterit. Proinde eo magis luculentiorem huius magnetiſmi in Gymnoto apparentis explicationem optat, quo plura ſint in hac re, quae magnetiſmum animalem ſic dictum poſſint illuſtrare. Qua opportunitate ductus, nonnulla de magnetis corpori foris applicati virtute veteribus iam cognita, Noſter exponit, quae quidem a GALENI inde temporibus ſpreta atque repudiata a THEOPHRASTO PARACELSO iterum in vſum vocata fuit, atque ab HELMONTIO acriter

p. 36.

propug-

propugnata. Poſtmodum obſoleuit haec per magnetem morbis medendi ratio, nuper denuo a quibusdam medicis iactari coepit. In quam ſatis acriter, neſcio an omnino merito, HAHNIVS inuehitur, putat tamen in longis cerebri neruorumque affectionibus hanc ſcilicet vtilitatem habere, quod aegri ſpe quadam demulceantur; caeterum, vt ipſius verbis vtar, laminis annuliſque magneticis; *exſpecta!* inſculpendum eſſe, aegrorum vero animis: *patientia.*

p. 1. Accedamus ad ipſam SCHILLINGII diſſertationem. Enumeratis huius morbi apud varias gentes nominibus, inter quae et Elephantiaſis et Malum Sancti LAZARI recenſentur, incipientis Leprae ſigna deſcribuntur. Multa huc ſpectantia apud CELSVM, PAVLVM, AVICENNAM, ANDREAM, PARAEVM, et HILDANVM legi poſſunt: quorum Auctorum narrationes ideo potiſſimum inter ſe diſcrepare Noſter exiſtimat, quoniam initia morbi in occultis plerumque corporis locis prorumpant, adeoque medici iudicio facile ſubducere ſe poſſint. Sunt autem duo ſigna pathognomonica leprae, mutatus cutis color, et *ἀναισθησία*. Illum omnes ſcriptores commemorant, hanc ARETAEVS, et ab initio morbi ſtatim adeſſe primus CLEYERVS *) obſeruauit. Duplex autem coloris eſt mutatio, ita vt mox pallide rubeſcant, pilis pariter vel rubentibus vel flavicantibus, mox ex albo flauicent rubeantue maculae, pilis caneſcentibus. Vtrumque macularum genus rotundum et inſenſile eſt.

p. 10. Maculae leproſae interdum lente creſcunt; tunc inprimis, ſi, neglecto remediorum internorum vſu, externa ſaltim fuerint adhibita. Solent autem primi

*) vid. Ephem. N. C. Dec. II. Mens. Decembr. 2. MDCLXXXIII. obſerv. 5.

primi tumores auricularum lobos occupare, et vndique fere cingere; poſtmodum vniuerſa facies turgeſcere et rubore cinnabarino praeternaturali ſuffundi, qui in ipſis Aethiopibus haud difficulter viſui ſe praebet, progreſſu temporis vero ſenſim ad coeruleum vergit, cute interea magis magisque corrugata. Sic per complures annos, niſi grauior in diaeta error committatur, morbus trahi poteſt, alias vniuerſum corpus, maculis leproſis obſidetur, digiti praeſertim, qui, dum ad vngues craſſeſcunt, omni ſublato ſenſu, crebro ſub tumore prorſus reconduntur, donec emortui ſponte delabantur. Accedunt ob perſpirationem plane ſuppreſſam varii morbi chronici, quibus ſi ſuperuixerit aeger, artuum omnium iacturam procedente tempore patitur, qui quippe abſque dolore decidunt. Praeterea vlcera denſis cruſtis deciduis obducta, indoleſcentia, pertinaciſſima omne corpus deturpant. Anima peſſime foetet. Aluus ſtipata, ſi medicamentis purgantibus ſollicitatur, nigra ſicca excrementa deiicit. Vrina rufa, tenax, turbida, muriam redolet. Omnes iſtae excretiones in morbi principiis ſecundum naturam ſeſe habent, et deinceps demum ſic mutantur. Sitis eſt perpetua, lingua ſicca, rimoſa, nigra. Sanguis tenuiſſimus eſt, multis globulis albis miliaribus diſtinctus. Serum vix igne coagulatur. Interdum ſero caret ſanguis; qui e vena miſſus plerumque putet, ex arteria vero non olet.

Elephantiaſin eam ſpeciem leprae Noſter dicit, p. 17. quae pedibus potiſſimum infeſta ſit. Facile ſanguinem pedes fundunt, digitis inter ſe coaleſcentibus, ipſisque articulis malo increſcente ita compactis, vt muſculos tendineſque confuſos nullo modo diſtinguere aut ſeparare poſſis. A pedum turpitudine cumque elephantinis ſimilitudine morbus nomen traxit. Sero demum reliqua membra inuadit.

dit. Amputatio pedis nihil vnquam profuit, aliis poſt paucos dies ſub ipſo tetano morientibus, aliis non prius a vulnere conualeſcentibus, quam elephantia pedem alterum corripuerat. Oſſa pedum ſpinam ventoſam mentiuntur, deſtituta perioſteo, cauitate et medulla. Tendines et muſculi lardi denſi ſpeciem affectant, tamque tenaciter adhaerent oſſi, vt potius huius partes a ſe inuicem quam tendines aut muſculi ab oſſe diſtrahantur. Vaſa omnia obliterata fere ſunt, quaeque in cute adhuc comparent, ea varicoſa ſunt, pauciſſimum ſanguinem continentia. Hinc in amputatione cruris leproſi non opus eſt, vt arteria cruralis deligetur, ſanguis enim languidius prorumpit, venoſo ſimilis. Liganda vero tunc eſt arteria, ſi in remotiore loco pes amputatur. Semper autem tenuis eſt ſanguis parumque ſeri dimittit.

p. 20. Lepram non inquilinum eſſe Americae morbum, ſed ex Africa allatum, Cl. Auctor exiſtimat: ei vero in Aethiopia, partim coeli aeſtum, partim victum, qui ex corruptis carnibus ſemiputridisque et verminoſis piſcibus eſt, aditum parare. Aquae praeterea per ſiccam tempeſtatem putreſcentes, taboque piſcium foetidiſſimo infectae; tandemque ipſa venus, in quam prae aliis gentibus Aethiopes procliues ſunt, multum ad peruulgandam leprae luem faciunt. Quae cuncta, cum in America Meridionali eodem ferme modo nocere poſſint, mirum non eſt Surinami et in aliis Auſtralioribus coloniis tam impune lepram in vulgus graſſari; cum e contrario longe infrequentior ſit in Boreali America, vbi nec coeli aeſtu, nec alimenti potusque putredine corpora male habentur, et vagae libidines Europaeorum in Aethiopes, legibus ſeueris proſcribuntur.

Caeterum aliquod peculiare leprae virus ſtatuendum eſſe Cl. Auctori et coloris in cute immutatio et anaeſtheſia ſuadet. Neutra enim absque humorum neruorumque praua conſtitutione oriri poteſt. In colore enim mutato humoris in aliqua parte ſtagnantis reſoluti et putredinem iamiam concipientis indicium eſt. Hinc deſtructa neruorum cutaneorum compage ſenſum ſupereſſe nullum poſſe intelligitur. Hoc vero commune habet Elephantia cum ſcabie et impetigine, quod lympha viſcida potiſſimum ei naſcendae occaſionem praebeat. Diſcrepant vero a ſe inuicem in eo potiſſimum, quod Lepra tardo gradu incedat, faciem et corpus internum inficiat, cum et ſcabies in facie comparere haud ſoleat, citiſſime diffundatur, et corpori interno pareat. Inde ratio patet, cur ſola externa remedia in lepra parum proficiant. Natura, niſi corpus admodum robuſtum ſit, vix morbi vim ſuperare poteſt: quod tamen, ſi fiat, omnis materia morbida diluta et cocta ad cutim congeritur, ſquamiſque et cruſtis a corpore dilabentibus expellitur. MOSES in hunc morbi ſtatum innuiſſe Auctori videtur, cum hominem, in cuius vniuerſo corpore lepra alba aequabiliter effloruerit, pro puro declarauerit. p. 25.

Qui contagioſam leprae indolem omnibus priſcis ſcriptoribus ſic viſam inficiati ſunt, duobus potiſſimum argumentis ſuam ſententiam ornare ſtuduerunt. Alterum ab exemplis liberorum lepra immunium, a parentibus leproſis editorum; alterum ab innoxiis coniugiis leproſorum cum ſanis petitum eſt. Illud quidem nonnunquam, ſed perraro fieri SCHILLINGIVS fatetur; tunc ſcilicet, ſi ſtatim a natiuitate a parentum conſortio infantes remoueantur, et in aërem ſalubriorem transferantur. Omnino vero negat coniugium inter ſanos p. 34.

et

et leproſos iniri poſſe, quin ocius ſeriusue in vegetum quoque corpus leprae virus ſeſe inſinuet; etſi forſan poſſit fieri, vt pauci quidam homines in perpetua cum leproſis conſuetudine, nihil ab hac lue patiantur; eodem fere modo, vt alii ſunt, qui variolas peſtemque in ipſo contagio non experiantur.

p. 36. Accedit Noſter ad Leprae prognoſin, cuius praecipua quoque momenta ex veterum et recentiorum ſcriptis adiicit. Termini, quibus hic morbus contineatur, fere incerti ſunt, aliis quippe eius atrocia intra vnius anni ſpatium abſumptis aliis vero, aut ob vitae genus mutatum, aut ob tarditatem ipſius veneni leproſi, per complures annos vitam ſic ſatis tolerantibus. Infantes parentum leproſorum, niſi ab his primis ſtatim diebus remoueantur, mortem breui obeunt; neque tunc ſemper luis periculum effugiunt, ſi procul a natiuo ſolo et parentibus in locum ſalubriorem hominumque ſanorum conſuetudinem venerint. Variolae in leproſo corpore perinde ac in ſano decurrunt, confluentes et quas aluus diſſoluta comitatur, mortem praeſagiunt. Ita vero Lepra vel mitior confluentibus variolis ſaepe exacerbatur, vt digiti etiam ſine difficultate et dolore decerpi queant, et carnes fruſtatim a corpore defluant. In aliis herpes vniuerſalis poſt ſuperatas variolas relictus fuit, quem repreſſum atque identidem reuerſum letalis dyſenteria tandem ſecuta eſt. Frequentiſſima autem eſt luis venereae cum lepra coniunctio, cum leproſi venerem ſummopere ſoleant appetere. Atque morbi ſic complicati quam rariſſime ad ſanitatem perduci poſſunt. Etenim mercurialia medicamenta ſiphylitidi oppoſita, leprae ferociam incitant, et dyſenteriam foetidiſſimam producunt. Accedunt ad hoc

leprae

lepræ genus vlcera inguinum Chironia, quae pariter a mercurio dato peiora ſeſe habent.

In curanda lepra tria obſeruanda ſunt, primum, vt penitus ſuppreſſa perſpiratio reſtauretur, deinde vt diluatur virus, neque acrius fiat inepta vitae ratione, denique vt corpus expurgatum et leproſa materia liberatum roboretur. Subiiciuntur his a Cl. Auctore veterum recentiorumque de leprae ſanandae ratione placita. In eo fere omnes conveniunt, venaeſectionem adminiſtrandam, purgationibus fortioribus, frictionibus, exercitatione, curſu, cibis facile concoquendis, inprimis vero viperarum carnibus et paſtillis vtendum eſſe. Neque inficiatur Noſter, eſſe in medicamento, quod poſtremo loco nuncupauimus, ſingulare aliquod aduerſus lepram praeſidium. Per tres integros menſes, ſtatim ab initio omni carnium piſciumque vſu omiſſo, ſolis oleribus, pane et iuſculis victitandum aegris eſt. Lac tunc demum concedendum eſt, ſi aluus, quae obſtructa fuerat, reſerari coepit. Ea primum quidem lenioribus eccoproticis, poſtmodum fortioribus purgantibus, nunquam vero mercurialibus ſollicitanda eſt. Si plethorico mederis, venaeſectio inſtituenda eſt, antequam ad vehementiora purgantia accedas. Poſtmodum ad leniora redeundum et clysmatibus inprimis vtendum eſt. Tunc balnea tepida, ſed caute ab initio, adhibenda ſunt, quibus emollientia addidiſſe neminem poenitebit. A lauatione ſtatim aegri in lectum ſeſe conferant. Vt corpus moveant crebro, omni ratione curandum eſt. p. 41.

Pro potu leniora primum et emollientia decocta, deinceps fortiora ſudorifera propinentur, ita, vt per ſex hebdomadas quotidie librae circiter octo bibantur. Quo fit, vt vrina ſedimentum copioſum ponat rubrum aut nigrum, et ipſae alui ſudoriſque excretiones largiores conſequantur. Quod ſi vero natura p. 48.

natura aegroti hos potus ſudoriferos ferre nequit, illorum loco decocta detergentia cum nutrientibus mixta eligi debent. Vini modicus vſus conuenit, dummodo neque acidum, neque nimis ſpirituoſum illud ſit. Ab acido enim leproſis tertianae, quartanae aut lentae, a ſpirituoſo vero potu ardentes febres accenduntur, quarum cura leprae ſanationem diſtrahi oportet. Proinde etiam, ſi roborare conſultum videtur, non ſpirituoſis, ſed cardiacis et neruinis id ſuſcipiendum eſt.

p. 50. Diarrhoea, quae perſpirationem refrigerio ſuppreſſam ſequitur, morbum protrahit magis, nec tamen admodum periculoſa eſt. Illa, omiſſis omnibus adſtringentibus, ſiſtenda eſt remediis, quae ſimul ſudores prouocandi potentiam habent. Tetanus etiam a refrigerio ſuperueniens, opiati cuiuſdam vſu ſoluendus eſt, ingeſtis ſimul decoctis ſudoriferis.

Vena incidenda eſt, tribus menſibus dicta a nobis medendi ratione praegreſſis. Solet autem ſanguis eo tempore cruſta viridi et viſcida contegi, cruore a ſero diſcedente; quod ab initio fieri non ſolet. Hinc apparens ſanguinis paullulum reſoluti indicium, praeter decocta amarorum extractorum vſum poſcit. Purgantia quoque caute propinaſſe haud incongruum erit. Satyriaſin et priapiſmum nitroſis, anodynis, camphoratis, et refrigerantibus coerceri oportet.

p. 52. Ad externa remedia veniendum eſt, ſi vlceribus foetidis putridisque corpora leproſa affliguntur; ſponte quidem intelligitur, exſiccantibus, balſamicis et antiſepticis opus tunc eſſe. Vnguinoſa omnia, ea vel maxime, quibus mercurius ineſt, vitari debent, quam diu materia morbi in ipſis corporis penetralibus haeret. Humoribus vero bene perpurgatis, corpus oleoſis vnguentis illiniri omnino prodeſt.

prodeſt. Ab eo tempore quoque nonnihil a diaeta ſeueriori remitti poteſt; pergendum tamen eſt in reliquis curationis partibus, donec ſexto aut ſeptimo menſe cruſtae emollitae paullatim et diſcuſſae a corpore ſponte decidant. Sic corpus omni ſua veteri cute exutum, contegi noua tenerrima ſolet, in qua vel a leuiſſimo contactu dolor excitatur, et pruritus etiam poſt aliquot dies perſentiſcitur. Neque tamen ab omni medicatione tunc abſtinendum eſt; alias vel exiguo morbi fomite relicto, lepra poſt aliquot annos renaſcitur. Inprimis vero, ſi per integrum fere annum curati aegri dimittuntur, ſedulo monendi ſunt, ne victus ſobrietatem corporiſque exercitium negligant. De robore etiam reſtituendo ſub finem curationis cogitandum eſt, quod plerumque ſudoribus maximopere infractum eſſe ſolet. Cuius rei cauſſa, mox frigidiora balnea, mox corporis ex ſpiritu vini lauatio, mox et fumigationes adſtringentes balſamicae commendandae ſunt.

Si leprae ſiphylis adiuncta eſt, decoctis dia- p. 55.
phoreticis ligna addi opportet, quae antiuenerea virtute pollere exiſtimantur, antimonium crudum etiam. Calli tophique venerei emolliendi cataplasmatibus et fomentis, aut ſcarificandi ſunt. Ad carioſa palati oſſa, vuulae etiam, parotidum fauciumque vlcera ſolae collutiones oris et iniectiones abſtergentes conueniunt.

Si ad lepram inflammatorii morbi aut putridi p. 56.
accedunt, in hos omnis cura primum conuertenda eſt, abſtinendum tamen a fortioribus acidis, quibus leproſi vt plurimum male plectuntur. Putridis morbis haud cunctanter fortiora antiſeptica opponantur; ſemper autem in lepra hoc obſeruari debet, vt accedentibus motibus febrilibus prima cura impendatur, neglecta ad tempus leprae curatione.

p. 59. Accedit Noſter ad eam lepram ſanandi rationem, quam femina quaedam Afra, liberta, in plurimis aegrotis proſpero cum euentu adhibuiſſe dicebatur. Creſcit circa Paramaribo Surinami frutex, Tondin incolae nominant, in paludoſis locis, foliis vlmo ſimilibus, cortice extus nigro, intus rubicundo. Ex huius ligno et radice reſinoſa amara et adſtringente libras aliquot in magna aquae copia femina iſta decoquere conſueuerat, et libras ternas quotidie, ſingulas nempe ante meridiem, ſub meridiem et veſperi leproſis propinare; quos praeterea corporis exercitio ſudorem prolicere iubebat. His peractis, decocto foliorum illius fruticis totum corpus lauabat ſtraguliſque obuoluebat. Poſt aliquot ſeptimanas corpus inungere ſolebat linimento, ex cuſcuta planta per triduum in aqua macerata cumque limonum ſucco inter terendum in pultem nigram conuerſa. Quo quidem vnguento maculas tumoreſque leproſos foueri curabat, donec cutis, omnibus cruſtis maculiſque depoſitis, renouaretur et ſenſum recuperaret.

p. 63. SCHILLINGII diſſertationi ſubiuncta eſt alia PHILIPPI OUSELII, de lepra cutis Hebraeorum, ex qua cum maximam partem in iudicanda huius morbi apud Iudaeos hiſtoria verſetur, ſumma tantum capita deſcribamus.

Explicata vocis notione et etymologia, leprae natura, ſedes, ſigna diagnoſtica et ſpecies declarantur. Eſt vero alia lepra rerum exanimium, alia animatarum. Illa parietes aedium et veſtimenta, haec humana corpora inuadit. Atque iſta poſteriori loco recenſita mox particularis, mox vniuerſalis eſt. Particularis leprae ſpecies varias Auctores Ebraei conſtituunt, alii ſeptem alii, ſex, alii duas tantummodo. Sequitur explicatio nominis triplicis-

quod in leprae deſcriptione apud MOSEN occurrit; ſignum pathognomonicum in praeternaturali albedine ponitur, particularia in pilis albis, diffuſione, viuacitate et profundiore plagae adſpectu. Illam profunditatem non veram eſſe Rabbini volunt, ſed tantum apparentem. Viuacitas autem (מחית) nihil aliud eſt, quam quae noſtris medicis caro fera aut fungoſa et luxurians dicitur. Recenſetur porro lepra, quae in locis aduſtis vel cicatrice obſitis oritur, et ea, quam macula, tumor, aut abſceſſus comitatur. Putat autem OVSELIVS leprae cum Graecorum elephantiaſi parum praeter nomen commune eſſe, proxime vero ad illam accedere eam vitiliginis ſpeciem, quae Graecis ἄλφος dicitur.

Quod ad cauſſas huius morbi pertinet, Iudaei mox concubitum cum menſtruata, mox humorum corruptionem nocere arguunt. Exiſtimant vero, ſi ſanguis lymphae praeualeat, lepram oriri. ABARBANEL ob calorem ex corruptione ortum lepram propullulare arbitratur, quae ex eius ſententia euacuatio critica imperfecta eſt.

Contagioſam fuiſſe lepram, negat OVSELIVS p. 109. ideo, quod 1) leproſis, antequam de iis ſacerdos cognouiſſet, liberum cum aliis commercium haud fuerit interdictum: 2) quoniam, cuius corpus totum lepra occupaſſet, lege Moſaica pro puro declaratus fuerit; nec laetitiam publicam ob leproſorum praeſentiam interrumpi vnquam edictum fuerit. Porro non omnem lepram eſſe immundam perhibet, nec peregrinos et inquilinos oportuiſſe ob lepram remoueri. Vnde concludit, de leprae contagio nihil MOSEN ſuſpicatum fuiſſe. Tandem etiam nusquam leproſis apud Iudaeos medicas manus admotas fuiſſe, contendit, ſed Deum ſibi ſoli huius morbi ſanationem reſeruaſſe.

p. 120. Huic OVSELII diſſertationi ſubiunctae ſunt SCHILLINGII ad eandem animaduerſiones. Exiſtimat vero SCHILLINGIVS primam et domeſticam quaſi leprae ſedem in corpore humano eſſe, vnde ad inanimata corpora deriuetur. Num animalia quoque praeter hominem alia inuadat, decernere non audet. Diſtinctionem factam ab OVSELIO inter vniuerſalem et particularem lepram reiiciendam eſſe cenſet, cum illa MOSI ſic dicta lepra vniuerſalis nil ſit, niſi criſis huius morbi ſalutaris, qua contagii metus tollitur: aſpernatur etiam reliquas Iudaeorum diuiſiones, quibus quippe non ſpecies, ſed varietates a ſe inuicem ſecernantur. Neque enim vnquam fieri poſſe arbitratur, vt Leprae virus intra ſingulae cuiusdam partis fines ſeſe contineat. Porro nil intereſt, vtrum ex tumore, an ex puſtula, aut vlcere lepra verſus omnes partes dimanauerit, dummodo ipſa leprae ſigna in macula aut tumore vere appareant. Anaeſtheſiam vero a MOSE inter luis leproſae ſigna comprehenſam fuiſſe cum ipſum nomen Ebraicum (צרעת) virium corporis deiectionem, et eam conditionem, qua motus perit, ſignificet. Illam indolentiam ſtatim ab initio leprae adeſſe ipſi norunt Aethiopes, qui, maculis in corpore conſpectis, ferro aut igne applicato experiuntur, doleant illae, nec ne. Idem Aegyptios intellexiſſe, et ab his leprae nomen (cuius quippe radix Ebraica ignoratur,) MOSEN depromſiſſe noſter ſuſpicatur. Expreſſis verbis autem hoc ſignum non enunciaſſe MOSEN, ideo quod vulgo notum eſſet, et praeterea leprae initia plerumque lateant, poſtea vero alia accedant ſigna, ex quibus lepram diiudicare liceat.

p. 134. Non pilorum tantum color in lepra mutatur, ſed ipſi haud raro defluunt. *Aſpectus* autem illa *profunditas* ſic videtur ſaltim eſſe. Naſcitur enim ex obſoleta maculae albedine a reliquis corporis locis

colore

colore diſtincta. *Diffuſio* omnino ad certa leprae ſigna pertinet, quod vero *ad viuacitatem* *) pertinet, illa immerito pro ſigno certo habita fuit. Vbi ſanguis ad leuiſſimum tactum effluit, oſſa carioſa fiunt, muſculoſae autem partes phagedaenicis vlceribus indolentibus conſumuntur. Proinde non cutim ſanam, ſed potius vlcus leproſum ſignificat, cui caro cruda ſ. luxurians verſus omnes partes creſcens innaſcitur, quae latius ſerpit, parteſque ſine dolore depaſcitur, nec abſtergentibus aut exſiccantibus domari poteſt. Porro pili albedinem conſeruant, aliqua inprimis vlceris particula prae reliquis albeſcente: cauſticis vero fortiſſimis vix ac ne vix quidem ſenſus aliquis excitatur. Atque cum ex his omnibus leprae verae praeſentia certo cognoſcatur, mirum non eſt, MOSEN praecepiſſe, vt, qui ſic affecti eſſent, haud cunctanter impuri pronunciarentur. Carnem viuam autem dixit, vt popularem captum ſequeretur; cum ſcilicet illud vlcerum genus carnem crudam ſpecie aemuletur.

Interdum leproſa vlcera totam cutim occupantia ſponte conſolidantur, quod tamen certam ſanationis ſpem non facit, cum breui poſt denuo p. 139. vlcera effloreſcant.

Precario etiam Rabbini contendunt, loca aduſta nunquam lepram ingruere, quod et ſcripturae verbis et experientiae repugnat. Fieri enim ſolet, p. 140. vt cutis non affecta forte comburatur, poſtmodum ſponte rurſus conſolidata maculam contrahat magis magisque proſerpentem; quod quidem certum leprae latentis indicium eſt. Alias veſiculae in facie artubuſque prorumpunt, aduſtionis ſpeciem mentientes, ita vt medentem facile ſimilitudo iſta fallere queat.

*) vid. ſupra. p. 437.

p. 145. Fieri nequit, et abſonum eſt, quod OVSELIVS contendit, lepram eo minus impuram eſſe, quo grauius illa homo laboret. Neque haec ſententia MOSIS verbis reſpondet, qui ſub lepra totum corpus occupante non ἀκμὴν, ſed criſin intelligit. Albedo vero hoc loco furfuraceas cicatrices complectitur.

p. 149. Figmenta quoque ſunt, quae Rabbini de locis quibuſdam corporis leprae non obnoxiis tradunt, teſtante id tum Legum moſaicarum lectione, tum ipſa experientiae fide.

p. 153. Lepram per bella ſacra ſic dicta olim ad Europaeas gentes perlatam, nondum omnino Europa exceſſiſſe, variae Pedimontii, Sabaudiae, Finnlandiae Bothniaeque regiones commonſtrant. Cl. PALLAS in Sibiria nuper morbum obſeruauit, in plurimis cum lepra conuenientem, cui *luis nigrae* ſeu *Aſtracanenſis* nomen eſt.

p. 157. Verum quidem eſt, quod Rabbini aiunt, ob aliquam in partibus leproſis obſtructionem motum ſenſumque deleri. Verum tamen tanta non eſt, ac illi volunt, nec vaſa maiora tenet; alias inflammatio naſceretur. Proinde Noſtro virus leproſum ſtupefacere magis, quam rodere videtur, atque omnium primo fibrillas nerueas inuadere, deinde vero vaſa et humores aggreſſum lympham corrumpere et inſpiſſare, cruorem poſtmodum ipſum inquinare. Acrimoniam tamen non plane abeſſe ab hoc leprae veneno, ſtimuli venerei immanes comprobant, qui vſque ad mortem leproſos incitare ſolent, nec niſi ſub ipſa vera criſi ſalutari hebetantur.

p. 160. Precario etiam OVSELIVS lepram humana arte curari poſſe letalemque eſſe negat. Regulis enim diaeteticis, quae lege Moſaica leproſis eſſent conſtitutae, hoc omnino ſignificauit legislator, non ſemper miraculo, ſed plerumque viribus naturae luem ſublatum

latum

latum iri. Etiamſi vero lepra ab initio haud magnas affert moleſtias tardeque proſerpit, inde tamen non letalem eſſe minime ſequitur; quin potius omni refragatur experientiae.

Contagioſum leprae morbum eſſe, ipſa ſacri codicis verba OVSELIVM docere potuiſſent. Iubentur enim leproſi a caeterorum ſocietate abeſſe. Ipſae rudiſſimae Aethiopum gentes leproſorum ſocietatem fugiunt, experientia naturaeque ſenſu doctae, quantum inde immineat periculum. Ipſe foetor immanis et peſtilens ex corporibus leproſorum exhalans, atque in hiſtoria Miriamae leproſae factae (Numer. XII. 12.) a MOSE commemoratus, (dum nempe Aaron illam putrido comparat abortui) contagioſam leprae indolem commonſtrare videtur. Caeterum, quod Sacerdotes, quibus leproſorum incumbebat exploratio, iſta lue non afflicti fuerint, nihil ad refutandam eius contagioſam indolem valet. Neque enim Sacerdotes aliud quidpiam faciebant, quam medici noſtri quotidie inter aegrotos conclamatos verſantes; neque cum leproſis diu vno in loco commorabantur, ſed potius eosdem, ſimulac pro impuris declarati fuiſſent, ex vrbe vel caſtris remoueri curabant, vel ſi ambigerent de morbo, illos in loco ſeparato aſſeruabant. Caeterum etſi ex Talmudicis legibus de lepra ſponſi vel ſponſae per ſeptem nuptiarum dies nulla datur cognitio, neutiquam tamen ideo hoc factum eſt, quod contagium non timeretur, ſed vel ſuperſtitione, vel, quod intempeſtiuum videretur, hac diſquiſitione laetitiam interrumpi. Nec denique reliqua exempla ab OVSELIO, vt tueretur ſuam ſententiam, allata, lepram a contagii liberare poſſunt inuidia. p. 165.

Adiicit denique SCHILLINGIVS, vt leprae natura fiat manifeſtior, quasdam leproſorum hiſtorias. Ex p. 176.

his prima eſt familiae cuiusdam ruſticae, quam in agro Taurinenſi per complures annos lepra affli-ctam Auctor cum ALLIONIO inuiſit. Pater medicis lepra immunis eſſe viſus fuerat; quem tamen Noſter protinus eo morbo correptum eſſe deprehendit. Nonnulli ex hac gente iam perierant lepra, relicta filia, quae, amiſſa digiti indicis ſiniſtrae manus phalange, ſanata eſſe dicebatur, duobusque filiis grauiſſima quaeuis huius morbi mala experientibus. Ex his tamen, qui natu minor eſſet, curationem admittere noſtro viſus eſt. Filia ſub alis et cicatrice delapſae phalangis maculas alebat indolentes, leprae adhuc praeſentis indicia. Pater quoque in natibus et ſub nucha eiusmodi maculis erat notatus, de reliquo robuſtus et ſanus. A matre haec lues promanaſſe in familiam dicebatur; quae et prima occubuerat. Caeterum, quo natu maiores fuerant liberi, eo grauius laborauerant morbo. In Pedemontii tractu, cui *vallium* nomen eſt, plurimi incolae a pueritia malo iſto infeſtari fama erat. Al-
p. 182. terum exemplum Aethiopis eſt, qui, dum venderetur, parua macula indolente iuxta canthum maiorem oculi ſiniſtri conſpurcatus erat; poſtmodum vero eo miſeriae peruenit, vt totum corpus corrumperetur, phalangeſque digitorum defluerent; donec inops ille mortem ſibi laqueo conſciſceret.

Femina Aethiops iam ante plures annos maculas leproſas, praecipue in pudendis geſtauerat, ita vt nulla omnino morbi ſuſpicio eſſet. Poſtmodum quatuor peperit liberos, in quibus longe celeriora, quam in matre virus leproſum capiebat incrementa, cum ſcilicet illa praeter maculas nulla ſenſiſſet omnino incommoda.

Femina Hebraea grauia iamiam leprae ſymptomata experta, donec SCHILLINGII praeceptis obſequium praeſtitit, ſic ſatis bene vitam tolerauit, quin

adeo

adeo ſanationis certam ſpem concepit. Poſtquam vero diaeteticarum legum oblita fuerat, ita rurſus increuit malum, vt intra quatuor annos mortem oppeteret. Eadem eſt quinti, ſexti ſeptimique exempli ratio. Alius vir, chirurgiam faciens, diu malum neglexit, ad deſperationem denique redactus, SCHILLINGII medelae ſeſe commiſit, qua poſt ſex menſes factum eſt, vt, cum hoc ſcriberet, aliqua ſalutis ſpes affulgeret, viresque paullatim reſtituerentur.

Leproſa materies ita ſolet contaminare res vtenſiles, vt ne iteratis quidem lauationibus lixiuiisque variis maculae deleri poſſint, quin imo incrementa potius capiant. In parietibus tamen nunquam leprae ſigna in ſacris literis annotata SCHILLINGIVS deprehendit. MEADIVS exiſtimauit, aphronitrum in muris effloreſcens, eosque depaſcens leprae nomine in ſacris literis inſigniri; cui tamen Noſter neutiquam adſtipulatur. Statuit potius, ob ſalinas particulas in calce et caemento parietum latentes, humoremque ex aëre arripere ſolitas, facilem leproſo veneno parari acceſſum, quo fiat, vt per muros quoque lepra arroſos homines contagium ſuſcipere queant. p. 192.

Medendae leprae rationem, a liberta Surinamenſi, quod antea diximus, obſeruari ſolitam, non ita tutam et certam eſſe Noſter expertus eſt, allatis ad ſe quibusdam leproſis, quos antea femina illa ſuis medicamentis tractauerat. p. 196.

Adiectae ſunt in calce libri, trium plantarum, libertae curandi methodo celebrium, deſcriptiones iconibus illuſtratae. Prima, quae *Tondin* eſt Surinamenſibus, octo ſtaminibus, duobuſque ſtigmatibus ornato ouario inſtructa eſt. Adſunt praeterea nectaria quatuor lutea. Calyx quadrifidus, corolla in 8 – 9 lacinias fiſſa eſt. Capſulas ſiue nuces p. 198.

gerit

gerit oblongas, turbinatas, ſubtrigonas, mucronatas triualues, triloculares, ſeminibus tribus conuexis foetas. Florum ſpicae circa baſin binis cirrhis ornantur. Folia quina ſunt, petiolis alatis. HAHNIVS hanc plantam *Paulliniam pinnatam* eſſe exiſtimat. Alterius plantae, quae *Cuſcuta Surinamenſis* Noſtro dicitur, calyx monophyllus quinquefidus, corolla item monopetala quinquefida eſt, antherae ſeſſiles in angulis corollae quinque, ſtyli duo, ſtigmata ſubrotunda. Capſula ſubrotunda vnilocularis. Videtur HAHNIO ad noſtrae Cuſcutae genus pertinere, cum iſta non raro, in Auſtrali praeſertim Europa, quinque ſtaminibus, totidemque laciniis florum inſtructa eſſe ſoleat. Tertia denique planta *Viſcum Surinamenſe* eſt, cuius in lepra virtutes magni faciunt Aethiopes; vim diureticam inſignem SCHILLINGIVS expertus eſt. Florum calyx et corolla in ſex finduntur lacinias, quibus in corolla totidem adhaerent appendiculae, nectarium quaſi efformantes. Stamina non detexit. Stylus ſingulus eſt, ſtigma craſſum: ouarium in ima corolla, in drupam rubram glutine plenam, monopyrenam abiens. HAHNIVS ambigit, vtrum *Loranthis*, an vero *Tamis* aut *Smilacibus* accenſeri debeat.

VIII.

Philoſophical Tranſactions cet. Vol. LXV. for the Year. 1775. Part. I. et II. pagg. 568. London. 1775. Vol. LXVI. for the Year. 1776. Part. I. et II. pagg. 628. praeter indices. *) 4. c. f.

i. e.

Tranſactiones Philoſophicae cet. Vol. LXV. et LXVI.

1. *Lit-*

*) Praecedentia volumina vide in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 72.

1. Litterae Cl. IO. INGENHOUSZ *quaedam ſuper Torpedine inſtituta experimenta*, facta *Liburni* Ianuario 1773, continent. Hyeme Torpedinis vis electrica debilior eſt. Non tamen videtur, percuſſionibus quibuſdam factis, minui, quin potius inſequentes ictus prioribus fuerunt vehementiores: preſſu digitorum piſcis vis nec minuitur, nec augetur. Per catenam aeneam ictus non communicatur, at per baculum aeneum. Suſpenſo piſce filo ſericeo, corpora leuia non attrahebantur, neque obducta lagena admota vi electrica implebatur, neque ſcintillae, neque fragor ſentiebantur, ſi ictu torpedo percutiebatur. Vol. LXV. p. 1.

2. *De magnis baſaltis columnaris collectionibus aliisque ſingularibus vulcanicis concretionibus, in Venetienſi regione repertis*, Auctore IO. STRANGE. Iconibus illuſtratur deſcriptio regionis, et connexio baſalticarum columnarum. Columnae pleraeque oblique ſitae, aliae orbiculari, aliae oblongo ambitu circumſcriptae, pleraeque tamen hexaëdrae ſunt; diametro pedis longitudinem aequant. Columnae montis rubri, (*monte roſſo*) fracturam inaequalem et variegatam habent. Praeterea ſtrata Granitae, qui Baſalti eſt ſubiectus, eandem directionem ſeruant, quae ipſi eſt Baſalti. Singulare videtur Cl. Auctori Baſaltem quaſi inſertum eſſe Granitae. In tranſitu quaedam de ſtructura Baſaltis in Aluernia exponit.

Baſaltis columnas ortas eſſe putat intrinſeco quodam principio organiſationis, quo cum omni maſſa lapidis, in qua ſitae ſunt et cum qua ſemper maximam habent ſimilitudinem, ſimul conſolidatae videntur, eaedemque in eo loco, in quo inveniuntur, natae, neque ex medio montium igniuomorum eiectae dicuntur, quod quidem regularis p. 17.

plerum-

plerumque earum ſitus comprobat. Neque craterem vnquam obſeruauit Cl. Auctor circa baſalticarum columnarum collectionem, ſed maxima ex parte terminantur regularibus conuexis ſolidisque ſummitatibus: quam quidem formam efferueſcenti et expanſili ignis naturae tribuit. Demonſtrat iam ex montibus Venetianae ditionis ignem in quaedam loca montium tantum agere, neque ſemper omnia ſigna prioris ſtructurae deſtruere, neque ſitum vel externa ſigna et formam montium multum immutare. Montes enim illic partim calcarei ſunt, partim igne combuſti, ſtrata tamen priora ſeruant. Simili ratione etiam montes baſalticos iam praeexſtitiſſe in alio ſtatu, atque forma et mixtione, non vero loco per ignem mutatos fuiſſe. Hinc apparet ſubterraneas exploſiones et eruptiones eſſe accidentalia phaenomena, quae origini montium vulcanicorum plane non ſint eſſentialia. Videnturque Auctori materiae igne eiectae modo in ſuperficie montium reſidere, neque omnem montium maſſam componere, quemadmodum alias exiſtimabatur. Eadem eſt etiam montis Veſuuii, Aetnae, aliorumque ſolitariorum montium igniuomorum natura, qui cum magnis iugis montium inſenſibili modo cohaerere videntur.

p. 33. Iam quaedam de collibus Euganeenſibus in Longobardia ſpatio ſeptem milliarium a Patauio ſitis exponit. Characteres externos montium vulcanicorum, crateres nempe offerunt, ſunt tamen ſtratis calcareis, poſterioris originis obtecti, quae nulla ignis oſtendunt veſtigia.

p. 36. Subiungit ſingularia quaedam de monte rubro. In Granite illic inueniebantur fruſta lauae poroſae brunae vulgaris, quae partes integrales Granitae offerebant et cum eodem ſimul concreta videbantur. An non inde Granites generatim igneae eſt originis?

nis? Ita Auctori, nobis contrarium videtur, cum ex vno exemplo minus recte ad vniuerſam maſſam colligatur. Nonnulla fruſta concretorum vberius deſcribuntur depinguntúrque. Singulare eſt in Thermarum Aponenſium aqua, cuius calor eſt 88 graduum thermometri Fahrenheitiani, viuere magna in copia *Buccini* fluuiatilis ſpeciem, quam VANDELLI *), etſi minus bene, depingi curauit. p. 45.

3. *De Pondere et Menſura iuxta leges et ſtatuta,* HENRICO *VII. regente.* p. 48.

4. *Deſcriptio apparatus, quo aqua aëre fixo impraegnari poſſit, ac de ratione eum adhibendi,* Auctore IOANNE MERVIN NOOTH. Componitur e tribus vaſis vitreis intime inter ſe connexis; in quorum imo aër fixus corporibus e. g. calce oleo vitrioli euoluitur, qui per minima orificia in ſecundum vas, aqua repletum aſcendit. Tertium vas, ideo applicatur, vt aqua ſuperflua adſcendat. Qui curatiorem apparatus ideam cupit, ipſam legat tractationem, icone illuſtratam. Machinam hanc, a PARKERO correctam etiam deſcripſit ERXLEBENIVS **). p. 59.

5. JOH. STEELE *de inſtrumento muſico ex Inſula Auſtrali, Amſtelodamum dicta, a Cl.* FOURNEAUX *Londinum allato.* p. 62.

6. EIVSD. *de fiſtularum arundinacearum maiore ſyſtemate ex eadem Inſula, cum obſeruationibus ſuper fiſtula, in qua naſi flatu ſonos producunt.* p. 72.

7. *De-*

*) DOMIN. VANDELLI diſſert. 3. de Aponi thermis. Patavii. 1758. 8. p. 5. Tab. II. f. 1.

**) *S. deſſ. phyſikaliſch chemiſche Abhandl.* 1 *B. Leipz.* 1776. *S.* 353.

p. 79. 7. *Deſcriptio nouae acus magneticae, ab* I. LORIMER.

p. 85. 8. *Catalogus mortuorum Ceſtriae de anno* 1773, *Auctore* I. HAYGARTH.

p. 91. 9. *Experimenta ſuper noua colorifica ſubſtantia ex Inſula Amſtelodamo Auſtrali allata, facta* a PETRO WOULFE. Reſinoſae eſt naturae, atque ſerico et lanae ſolum applicari poteſt, cui vſui tamen iam alios colores eiuſdem valoris in noſtris terris poſſidemus.

p. 94. 10. *Experimenta et obſeruationes ſuper Gymnoto electrico, Auctore* HVGH WILLIAMSON. Gymnotus hic 3 pedes et ſeptem pollices longitudine, et iuxta caput circiter duos pollices craſſitie aequabat. Pinna analis eo in loco, quo cum corpore ſ. potius cauda cohaerebat, fere pollicis craſſitiem habebat, eratque muſcularis, alius tamen, ac corpus, naturae. Tactus hic piſcis ictus emittit, iis, quos electricus conductor communicat, ſimilis. Etiam baculo ferreo, aut ſi manus in aquam, in qua piſcis degit, immittunt, idem ſenſus excitatur. Piſces, in aquam iniectos, his ictubus quaſi interimit, et ſi minores ſint, deuorat; ſi autem attoniti piſces aliam in aquam mittantur, reuiuiſcunt. Reliqua experimenta demonſtrant vim Gymnoti omnia phaenomena vis electricae exſerere. Per catenam tamen, niſi tenſa ſit, vis non propagatur, neque homo, neque ſuberis globi ſymperielectrici maiori copia electricae materiae impraegnantur. Filo aeneo tactus Gymnotus ictus quidem, at non ſcintillas emiſit. Inde patet Gymnoto eſſe hanc vim voluntariam, nec tamen muſculis inſitam, ſed a fluido pendere, quod vere ſit electricum.

11. De

11. *De Gymnoto electrico, Auctore* ALEXANDRO PARDEN. Deſcriptione ſollicita praemiſſa, obſeruauit piſcem ſingulis 5 aut 6 minutis primis, ore extra aquam exſerto, ſpirare, indeque coniecit eum eſſe pulmonibus inſtructum adeoque amphibium: quod tamen, cum ſectionem inſtitui non poſſet, nondum certo definiendum eſt. Corpus admodum extendere et contrahere valet Gymnotus, atque antrorſum retrorſumque natare, hocque reſpectu vermibus videtur analogus. p. 102.

12. *Experimenta et obſeruationes in conclaui calido*, Auctore CAROLO BLAGDEN. Medio Ianuarii D. GEORG. FORDYCE, tentamina cum aëre calefacto inſtituit, e quibus apparet, corpus animale multo maiorem calorem perpeti poſſe, quam eius eſt naturalis temperatura. CVLLENIVS argumentis probare annititur, animalia viua inſtructa eſſe vi calorem excitandi, quae a vulgaribus chemicis et mechanicis modis omnino ſit diuerſa, neque frictione vel fermentatione producatur. Iisdem viuis animalibus etiam eſſe vim frigus generandi ſubiungit Cl. Auctor. Ad tentamina haec Cl. FORDYCE conclauia peculiaria exſtrui curauit; primum aëris calorem 90 graduum thermometri Fahrenheitiani ingreſſus, eundem ad 120° auxit: atque tunc calor eius internus erat 100°, arteriaeque 145 pulſus minuto primo offerebant. Reſpirationi nulla incommoda oboriebantur. Alio in conclaui in balneum 100° calidum deſcendit, ac deinde in aërem temperatum transgreſſus eſt. Deinde aëre 119° calido in calorem 130° tranſiit, corporis calor tamen manſit 100°. Veſtimentis in aëre 43° indutis ſtatim abſque incommodis in frigidum aërem abiit. Cl. SOLANDER calorem aëris 210°, et BANKS 211° perpeti abſque anxietate poterant. p. 111.

Inde

Inde ſequi Auctori Noſtro videtur, corpus humanum inſtrui vi, quendam ſ. nimium gradum caloris corpori quadam celeritate applicatum deſtruendi ſ. imminuendi: ſi itaque calor aeſtimari debeat, cui nos reſiſtamus, non ſolum calor corpori applicatus, ſed etiam vis reſiſtens corporis, prius, quam aequilibrium caloris efficiatur, eſt computandum; tum etiam temporis ratio, quo a corpore aeſtuante in noſtra venerit corpora, eſt habenda. Veſtimenta etiam nos a nimio et violento calore aliquo modo liberant.

p. 124. 13. *Experimenta, quibus certius probatur aquam coctam celerius congelaſcere naturali, Auctore* IOSEPHO BLACK. Vidit aquam coctam citius glacie ſuperduci, non cocta, repetitis ſaepius tentaminibus; cauſſamque eſſe putat hanc: aquam coctam coctione eſſe aëre priuatam, eandemque, cum aër iterum in eandem ingredi nitatur, concuti: concuſſam vel motam autem aquam celerius congelaſcere quieta ſatis ſuperque cognitum eſt.

p. 129. 14. *Experimenta cum acu magnetica inſtituta Auctore* THOMA HVTCHINS, in itinere verſus fretum Hudſoni.

p. 139. 15. *Obſeruationes meteorologicae Anni* 1774. *inſtitutae in aedibus Societatis Regiae.*

Pars II. p. 167. 16. *Relationes de tempeſtate Londini* 1774. *collectae ex diario meteorologico Societatis. Auctore* S. HORSTLEY.

p. 194. 17. *Extractum ex diario meteorologico in annum* 1774. *Briſtoli. Auctore* SAMVELE FARR.

18. Ob-

18. *Obſeruationes meteorologicae factae Lyndoni in Rutlandia* a THOM. BARKER. p. 199.

19. *Thermometricae obſeruationes factae. Auctore* THOMA BARKER *Altahabadi* in India Orientali latitud. 25° 30' anno 1767. vti et in itinere ex Madras in Angliam anno 1774. collectae ex diario ab HENRICO CAVENDISH. p. 204.

20. *Tentamen hiſtoriae naturalis Actiniarum Auctore Cl.* DICQVEMARE *). Gelatinoſae actiniae, nec neruis inſtructae, adeo tamen ſunt irritabiles, vt luce, etſi oculis careant, irritentur: atque huic ipſi gelatinoſae texturae celere incrementum partium amiſſarum tribuendum videtur. Hinc colligit Cl. Auctor, a gelatinoſa muſculorum in homine parte pendere et irritabilitatem eorum et vulnerum reſtaurationem. Actiniae purpureae, d. 12 Iul. 1772. diſciſſae et 8 April. 1773. adhuc viuae, partes, in aqua, cui Cancer lanoſus venenatus fere ſiccus erat iniectus, in qua iam alia Actinia erat mortua, interaneis eiectis, ſenſim diſſoluebantur. Aliae Actiniae transuerſim et ad perpendiculum diſſectae plane non laedebantur, ſed viuere pergebant. Diſſectae ad perpendiculum latera cito ſe contrahebant, atque breui temporis ſpatio ita vniebantur, vt ne rima quidem appareret, ſed fimbria coerulea continua et os perfecte reſtauratum eſſent. Hae dimidiatae Actiniae e loco mouentur, omneſque integri animalis peragunt functiones. De propagationis modo nihil certi obſeruare potuit Cl. Auctor. p. 207.

Actiniae altera ſpecies Auctoris difficulter extra locum natalem marinum, arenoſum, obſeruatur.

*) Priorem partem vid. in Vol. LXIII. Phil. Tranſ. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 111. Verſio etiam reperitur in *Abhandlungen aus des* ROZIERS *Beob. geſammelt.*

tur. In loco natali veſcitur integris piſcibus e. g. Salmone eperlano. Partes eiuſdem reſectae etiam reſtaurantur: membris reſectis etiam e loco mouetur, eademque ſola eidem inſeruiunt, vt, ſi fuerit inuerſa, iterum in priorem ſitum ſe verti poſſet. Si baſis huius ſpeciei laeditur, vulnus ſaepe eſt letale. Haec ſpecies comeſtu reliquis praeferri meretur.

p. 220. In tertia ſpecie mucoſam ſubſtantiam obſeruavit, quae microſcopio viſa, ouis piſcium ſimilis erat.

p. 222. In quarta ſpecie obſeruauit monſtroſam Actiniam, quae tria indiuidua connata offerebat: 12 diebus elapſis ea peribat: in diſſecta partes internae omnino dislocatae erant. Adhaerent Actiniae huius ſpeciei oſtrearum teſtis: ipſis animalibus teſtaceorum veſcuntur, magna indiuidua minoribus cinguntur, qualem collectionem tab. 6. depictam ſiſtit. E corporis poris et ore huius actiniae egrediebatur magnus numerus filorum mollium, craſſitie pili equini, qui gemmae quaſi prolis videntur. Alia vero propagandi ratio ſingularis eſt huic ſpeciei, quae duris corporibus adhaerens ſe ſubito ipſa retrahit et ſoluit, ac poſt ſe relinquit aliquas particulas baſeos, lentis magnitudine, quae deinde os accipiunt atque in integras excreſcunt Actinias. Quaedam adulta Actinia bicorporea erat. Cum Cl. Auctor naturam imitaturus Actinias ita diſſecaret, vt partes nonnullae remanerent, quarum aliae in integras Actinias excreſcebant, aliae non: poſteriores bulbis ſ. gemmis deſtitutas, priores iis inſtructas exiſtimat, Actinia brachii humani craſſitiem aequans, diſſecta iterum reſtaurabatur.

p. 236. Quintam ſpeciem Actiniarum deſcribit, quae ſola figura et colore differebat; membra ſeu tentacula in tribus ſeriebus poſita ſunt: ora rotunda ſunt margine ſubrubro cincta.

Actiniae

Actiniae mutationem tempeſtatis praeſentiunt, p. 240. ideoque eas barometri viui marini loco inſeruire vtiliter probat.

21. *De Trichecho Roſmaro.* Auctore MOLI- p. 249. NEVX SHVLDHAM. Nutriuntur Trichechi teſtaceis; ſerena tempeſtate gregatim in ſicco per ſpatium 14 dierum abſque nutrimento viuunt, pluuia autem apparente ſubito in aquam ſe praecipitant; lente et difficulter extra aquam ingrediuntur. Pondere 1500 – 2000 libras aequant. Grauidae ſunt matres per nouem menſes, plerumque vnum, numquam plus duobus fetubus pariunt. Adipis cauſa necantur.

22. *De ratione glaciem parandi.* Auctore ROB. p. 252. BARKER. In planitie ſatis magna tres aut quatuor cauitates effodiuntur, quarum ſingula 30 pedes lata et duos profunda ſit, earumque baſis culmis ſaccharinis ſuperſternitur: his imponuntur terrea vaſa non polita, per quorum poros aqua penetrat: his verſus veſperam aqua cocta repletis, per noctem glacies congelaſcit, quae mane colligitur atque in foſſas reconditur. Nam per ſe in illis locis aqua non congelaſcit.

23. *De Hirundine ruſtica, Apo, et riparia obſer-* p. 258. *vationes*, Auctore GILB. WHITE. Selborni inſtituit eaſdem: Hirundo ruſtica redit circa 13 April. Si citius veniant nonnullae, atque etiamnum niuem vel gela inueniant ſtatim reconduntur, vnde probabilius eſſe colligit Cl. Auctor eas in hybernacula ſe retrahere proxima, quam redire in loca remota calidiora. Plura de nidi exſtructione, propagatione, et nutritione lectu digna. *Hirundo Apus* vix ſibi p. 264. ipſa videtur ſemper nidos exſtruere, ſed probabiliter ſaepe in nidos Fringillae domeſticae, quam ex-

 pellit,

pellit, oua ponit: eadem volando coitum exercet, duo tantum oua vna vice atque ſemel tantum per annum ponit, color pennarum, qui verno tempore eſt obſcure niger, per aeſtatem pallidior fit: Omnium maxime ſera redit *Hirundo riparia* in Angliam, eaque omnium eſt minima; de vitae eius ratione parum etiamnum conſtat.

p. 272. 24. *De machina hydraulica, qua aqua attollitur, in vſum ducta* Oultoni *in* Cheſhire 1772, facta a PHIL. EGERTON, deſcripta a IO. WHITEHVRST.

p. 280. 25. *Obſeruationes aſtronomicae et mathematicae* e litteris Cl. LEXEL 1774.

p. 283. 26. *Inueſtigatio theorematis ad inueniendam longitudinem arci conicae hyberbolae, ope duorum ellipticorum arcorum,* Auctore IO. LANDEN.

p. 291. 27. FRANC. WOLLASTON *obſeruationes de horologiis.*

p. 296. 28. IO. STEDMAN *de triangulis, in circulis et extra illos deſcriptis.*

p. 301. 29. *De polygonis area vel perimetro maximis et minimis inſcriptis circulo, vel circulum circumſcribentibus,* Auctore S. HORSLEY.

p. 311. 30. *De partu acephalo ſingulari,* Auctore W. COOPER. Non ſolum capite, verum et collo et brachiis manubuſque carebat: loco colli papilla aderat. In pedibus digiti irregularis formae et magnitudinis erant. Partes ſexuales externae perfecte femellam offerebant. Vterus perfectus, ſed vnum modo ouarium inueniebatur. Ab ano magnum

num inteſtinum oriebatur, quod in pelui conuolutum finiebatur fine coeco, meconio tamen repletum erat, quod igitur nihil, niſi mucus ab internis inteſtinorum glandulis ſecretus videtur. Cor, pulmones, diaphragma, ventriculus, hepar, renes, lien, pancreas, inteſtina tenuia deerant. In loco, vbi thymus ſitus eſſe ſolet, tres paruae glandulae aderant: glandulae ſuprarenales admodum paruae erant. Vaſa arterioſa et venoſa aderant, eaque per iliaca vaſa corpori fetus ſanguinem tradebant. Vnde vis circulationis in fetu, cum cor deeſſet? Medulla ſpinalis etiam deerat.

31. *De ratione multitudinis in Mancheſter et vicinis locis*, Auctore THOM. PERCIVAL. p. 322.

32. *De damnis, quae fulgur in aedibus excitabat, etſi acuminato conductore munitae erant*, Auctore RICH. HAFFENDEN. Noxae hae nihil, niſi non recte conductorem fuiſſe applicatum, demonſtrant. Etenim in camino altero conductor erat appoſitus, atque in alium caminum 50 pedes a priore remotum, fulgur tetigit. In ambobus itaque caminis debuiſſet conductor exſtrui, ſi domum a fulgure tutam reddere debuiſſet. p. 336.

33. *De ſopore hiberno Hirundinum*, Auctore IAC. CORNISH. Probat Cl. Auctor Hirundines remanere in noſtris terris, vti veſpertiliones etc., atque torpidas in rimis rupium iacere. Atque ideo etiam eas pennas non deiicere, quoniam ſanguinis portio, quae in aliis auibus ad generationem pennarum impendatur, per hiemem has conſeruet. p. 343.

34. *Deſcriptio et vſus inſtrumenti, quo ventus facile metitur*, Auctor IAC. LIND. icone illic data, illuſtranda eſt. p. 353.

p. 366. 35. *Aſtronomicae obſeruationes*, Auctore LVDLAM.

p. 373. 36. *Annotationes, quae amputationem pedis ſupra genu vnica circulari inciſione reſpiciunt*, Auctore BENIAMIN COOCH. Feliciter ſucceſſit operatio. Quam primum inflammatio partium deſierit atque vulnus bene ſuppurarit, applicat Cl. Auctor emplaſtrum circulare facile adhaerens, 4 – 5 pollices latum, ita vt ora vulneris fere attingeret: ſupra id ſex ſtrigas eiuſdem emplaſtri, quae omnem vulneris latitudinem aequarent, ita agglutinauit, vt cutis et muſculi attraherentur, quod adiuuatur, dum adſtantium aliquis tegumenta et muſculos leniter manu defricet. Huic emplaſtro deinde reliqua ad vulnus conſolidandum ſuperimponuntur cataplaſmata cet. Generatim itaque amputationem, quae vna fit circulari inciſione, praeferendam alteri exiſtimat.

p. 378. 37. *De aneuryſmatibus tibiae*, Auctore EODEM. In ipſo praecedente caſu arteriam femoralem in duos truncos aequalis magnitudinis diuiſam inuenit: quam varietatem notandam exiſtimat in aneuryſmatum cruris operatione. Metuendum enim eſt, ſi vnus fuerit arteriae femoralis truncus, per laterales ramos non ſatis ſanguinis ad pedem ferri, neque vſum eiusdem operatione aneuryſmatis ſervatum iri. Hanc etiam eſſe cauſam, cur ſaepe haec operatio felici ſucceſſu careat. Suaſit ideo Cl. Auctor, vt in animalibus brutis tentamina inſtituantur, quibus definiatur, an diuiſio arteriae femoralis ſaepius occurrat, quippe quae in operatione aneurysmatum valde vtilis ſit. Refert etiam, operatione hac in cane, qui ſingulam tantum arteriam femoralem habuit, inſtituta, eundem tamen pedis vſum retinuiſſe.

38. *Con-*

38. *Continuatae obſeruationes circa varias aëris* *ſpecies*, Auctore IOS. PRIESTLEY. Detexit vitriolicum, nitroſum et vegetabilem aërem. Prior elicitur coquendo inflammabilem materiam, aut quae phlogiſton contineat in oleo vitrioli. Diuerſam habet hic vitriolicus aër affinitatem cum variis corporibus ab acidi marini aëre. Solutiones ferri, cupri, argenti, hydrargyri, zinci et ſtanni in diluto vitriolico acido dederunt inflammabilem aërem: quae ipſae, ſi in eodem acido concentrato coquuntur, acidum aërem, plane non inflammabilem eliciunt. Ex auro, platina aut plumbo nulla ratione aërem producere potuit. Aër vegetabilis acidus obtinetur ex concentrato acido vegetabili eodem modo, quo marini acidi aër ex ſpiritu ſalis. Nitroſum acidum ad momenti tempus tantum forma aëris exhibuit, cum nullum fluidum ſit, quod illum coërceat. Nitroſum acidum miratu digna exhibuit phaenomena, quae alio loco indicabit. Eundem nitroſum aërem obtinuit, ſi carbones in acido nitri coqueret, ac ſi ſolueret varia metalla hoc in acido. Vitro cauſtico etiam vſus eſt, atque eodem e corporibus in vacuo poſitis ſeu hydrargyro cinctis aërem elicuit, atque curioſa expertus eſt phaenomena. E variis metallis inflammabilem, e ſalinis fixum, e calcibus metallicis eundem, ex aliis phlogiſticatum communem aërem obtinuit. Maxime notatu dignum eſt, Cl. Auctorem hoc modo produxiſſe aërem, qui vulgari atmoſphaerico ſexies melior ſit ad reſpirationem cet. Atque cum aër eo maxime reſpirationi fiat idoneus, ſi phlogiſton e pulmonibus exhalans facile recipiat, hanc ſpeciem *dephlogiſticatum aërem* vocat. Obtinuit eundem ex mercurio per ſe calcinato, dein ex mercurio praecipitato rubro, et ex plumbo rubro. Nitroſum p. 384.

acidum maxime eſſentiale ingrediens eſt, quod aërem atmoſphaericum componat.

p. 392. Omnes terras etiam cryſtallinam et talcoſam, quas alii in acidis non ſolui poſſe opinati ſunt, purum dephlogiſticatum aërem producere inuenit Cl. Auctor: calcareas vero et metallicas terras partem eiusdem maximam. Aër eo magis eſt reſpirationi aptus, quo minorem phlogiſti partem continet.

p. 395. 39. *De Gymnoto electrico*, Auctore IO. HVNTER. Egregiis iconibus illuſtrata haec tractatio vberiorem epitomen prohibet. Partiri Gymnotus in duas partes poteſt, quarum altera animal, altera organum electricum conſtituit. In priore parte viſcera, partes ſexuales etc. reperiuntur, eaque admodum breuis eſt. Organum electricum omnem longitudinem pinnae analis, quae ſingulari membranae affixa eſt, occupat: haec organa fere dimidiam carnis partem, in qua poſita ſunt, et fere tertiam partem totius animalis efficiunt. Duo paria eorum ſunt, alterum latius, quod ad inferiorem, anteriorem et lateralem corporis regionem, alterum anguſtius, quod iuxta longitudinem inferioris marginis animalis extenditur; adhaerent ope celluloſae membranae, atque membrana quadam etiam a ſe inuicem ſeparantur: latius organon ſtatim remota cute, anguſtius autem, remotis muſculis pin-
p. 399. nae analis, demum in conſpectum prodit. Structura horum organorum ſimplex eſt, conſiſtens *ſeptis*, et transuerſis diuiſionibus inter illa. Septa ſunt tenues membranae iuxta longitudinem piſcis excurrentes, quarum iſtis transuerſis diuiſionibus ſ. membranis a ſe inuicem ſeparantur. Neruus, qui iuxta longitudinem piſcis excurrit, vti et qui e medulla ſpinali oriuntur, in hoc piſce maiores ſunt, prae aliis, atque iidem in organa diſtribuuntur electrica.

Interim

Interim nerui, qui organa electrica torpedinis efficiunt, his ſunt copioſiores. Minores etiam arteriae haec organa ingrediuntur.

40. *Obſeruationes ſuper Myrrha factae in Abyſſinia*, Anno 1771, a IAC. BRVCE. Veteres eam non recte deſcripſerunt. Optima eſt, quae Troglodytes dicitur atque ex Maſſoiua parua in Abyſſinica ditione, apportatur: incolae autem arborem, quae illic eſt communis, negligunt et decidunt, vt metuendum ſit, ne haec genuina paucis annis praeteritis plane non exiſtat. Falſum eſt, ſi PLINIVS et THEOPHRASTVS differentiam myrrhae inde pendere aiunt, quod aliae arbores cultae ſint, aliae incultae; ſed potius pendet ab aetate et ſanitate arboris, a ratione incidendi arborem, a tempore et climate, quibus colligitur. E iuniore et ſana arbore, muſcis lichenibuſque libera optima fluit myrrha. Arborem, quae myrrham dat, videre non poterat. Alius deinde arboris gummiferae, *Saſſa* dictae, mentionem iniicit, cuius gummi idem cum GALENI *opoculpao* eſſe putat, quod tamen veneno expers eſt. p. 408.

41. *De nouiter detecta columnarum angulatarum ſerie in Euganeanis montibus prope a Patavio*, Auctore IO. STRANGE. Columnae hae ſunt compoſitae natura, vt columnae montis rubri: differunt autem, quod leuiores et poroſae ſint, inſtar pumicis, atque croco martis inueſtitae, quem Cl. Auctor in aliis vulcanicis concretionibus ſaepe obſeruauit. Columnae ſunt pleraeque quadrangulares, earum diameter ſaepe duos pedes aequat. Baſaltes hic etiam in ſtratis perpendicularibus reperitur. Icone montis figura deſcribitur. p. 418.

42. *Ob-*

p. 424. 42. *Obſeruationes ſuper differentia inter durationem vitae in vrbibus et in pagis*, Auctore RICHARD PRICE. Generatim fere in vrbibus vigeſima octaua pars hominum moritur, cum in pagis ſeu in rure quadrageſima ſexta tantum intereat. Vel in vrbibus magnis fere decimus nonus ſ. vigeſimus tertius, in minoribus oppidis vigeſimus octauus et in pagis quadrageſimus ſ. quinquageſimus tantum moritur. Vitae ratio, luxus, otium etc. cauſſae ſunt acceleratae in vrbibus mortis. Exemplis hoc Cl. Auctor illuſtrat.

p. 446. 43. *Experimenta cum animalibus et vegetabilibus, quoad eorum vim calorem producendi*, Auctore IO. HVNTER. Experimenta ſuperius *) indicata, quibus animalia frigus generare probantur: mouerunt Cl. Auctorem, vt haec 1766 iam inſtituta, proponeret. Inſtituit Cl. Auctor ea ideo, vt videret: an animalia vitam retinerent, poſtquam gelu tacta fuerint. Immiſit nempe varia animalia et vegetabilia in aquam, quae vel per ſe, vel artificiali frigore congelaſceret: atque inde apparuit, animalia prius vita priuari debere, quam frigore tangantur, eadem omni vi iis innata calida contra frigus niti, atque ita omnem vitam exhauriri; hanc vim eſſe cum reliqua animalium magis vel minus perfecta ſtructura in proportione. Inuenit tamen glires tantum caloris poſſidere, vt maximum, quod potuit, frigus excitare deberet, ſi illum vincere vellet. Limaces a debili frigore interimuntur. Interim inſignis eſt varietas quoad calorem et frigus in imperfectis animalibus.

p. 454. Vegetabilia etiam principio vegetationis prius ſunt priuanda, quam gelu tanguntur: eadem vi interna calorem excitandi pollent: calor eorum variat

*) vid. ſupra. p. 449.

riat iuxta temperaturam medii, in quo eadem ſunt. Vegetationis per hiemem duratio pendet ab eo, quod magnam internae temperaturae variationem ſuſcipiant. Radices magis reſiſtunt frigori, trunco et foliis. Vegetabilis vita ab animali in eo etiam differt, quod in animali omnes partes eadem vi atque eadem aetate, in vegetabili autem iuniores partes multo minori vi calorem producendi gaudeant. Haec vis neque a circulo ſanguinis, neque a neruis, neque a voluntate pendet; ſed eadem videtur, quae conſeruat et dirigit internam machinam, ac quae animalibus et vegetabilibus eſt communis.

44. *Comparatio caloris Londini et Edinburgi*, Auctore IO. ROEBVCK. p. 459.

45. *Experimenta in calefacto conclaui*, Auctore MATH. DOBSON. Conclaui, ad 224° thermometri Fahrenheitiani calefacto, homines anxietatis ſenſum non experiebantur. Albumen oui in eodem caloris gradu fluidum manebat, ſi a contactu alius corporis, vt teſtae ſ. metalli, liberum erat, quod, teſta caute demta, in membrana illud cingente obſeruari poteſt, ſi autem ad teſtam allidebat, coagulabatur. Pendetne id ab igne, quod quaſi fixum et quieſcens ſit? An poſſident varia corpora diuerſas ignem adducendi vim, vt ideo corpora, quae minori tali vi inſtruantur, poſſint in calido locari aëre, abſque eo, vt incaleſcant, niſi aliud corpus intercedat, quod vehementius ignem adducat, e. g. teſta, quae ignem ad albumen attrahat? Exinde etiam declarandum eſſe videtur, diuerſa viuendi facultas animalium in variis climatibus. p. 463.

46. *Calculandi rationes in Sphaerica Trigonometria breuiores redditae*, Auctore ISRAEL LYONS. p. 470.

47. *Con-*

p. 484. 47. *Continuatae obſeruationes in conclaui cale-factio*, Auctore CAROLO BLAGDEN. Calorem ad 260° auctum per 7 minuta prima ſufferre potuit: ſed poſt haec oppreſſiones in pulmonibus et anxietatem ſenſit, quae minuti primi tempore increſcebat, vt conclaue relinqueret Cl. Auctor. Relicto eodem, arteria 144 vicibus minuti tempore pulſabat. Nudo corpore calorem minus perpeti poterat. Canis in calorem 220° poſitus parum aut nihil afficiebatur, vt potius ſigna amoeni ſenſus monſtraret. Calor ipſius erat 110 graduum: 32 minutis praeteritis, canis in liberum aërem ſanus alacriſque inceſſit. Oua et caro bubula ſtanno impoſita hoc calore coquebantur, et aqua calorem 140° aſſumebat, cera 152° caloris acquiſiuit. Ex omnibus colligit euaporationem corporis ipſumque corpus vi praeditum eſſe calorem moderandi.

p. 495. 48. *De ratione, attractionem nonnullorum montium Anglicorum aſtronomicis obſeruationibus metiendi*, conſilium, Auctore NEVIL MASKELYNE.

p. 500. 49. *Relatio obſeruationum, in monte Schehallien inſtitutarum ad inueniendam attractionem*, EODEM Auctore. Diligentiſſimis 337 obſeruationibus his, et a Societate moneta aurea coronatis, quas in 43 ſtellis fixis inſtituit, effectum eſt, differentiam latitudinis geographicae inter locum auſtralem et ſeptentrionalem eſſe 54′ 6″: dimenſionibus autem geometricis differentia erat 42′ 94″: ideoque duae oppoſitae attractiones montis differentiam latit. Geographicae 11′ 6″ maiorem reddunt.

Vol. LXVI. Volumen ſexageſimum ſextum hos commentarios continet:

1. *De*

1. *De natura Gorgoniae, quae verum ſit animal marinum, neque mediae inter animalem et vegetabilem naturae,* Auctore IO. ELLIS. Oſtendit Cl. Auctor Gorgonias eodem creſcere modo, quo Hydrae, nec differre ab iis, niſi ſubſtantia media dura, quae iis loco oſſium inſeruiat. Hoc os naſci ex liquore concreto, qui e longitudinalium parallelorum tuborum, iuxta longitudinem internae ſuperficiei carnoſae partis excurrentium poris transſudat, neque eſſe lignum, quemadmodum PALLAS id nominat. Similis ratio obtinet in *Iſide Hippuride.* Oſſeae partis in gorgoniis ſtructura differt etiam a plantis marinis et terreſtribus; atque conuenit potius cum teſtarum in cochleis textura. E gorgoniis ſuper ſe inuicem creſcentibus diuerſitatem a vegetabili incremento demonſtrat: atque in pluribus a Cl. PALLAS diſſentit, oſtenditque eius *Sertulariam Gorgoniam* non eſſe, niſi *Alcyonium,* quod Sertulariae fruteſcenti innatum ſit atque eandem cingat. Sic et medulla in Gorgoniae truncis plane non cum ramorum medulla cohaeret, quemadmodum in plantis fit. Externa pars ſ. cutis Gorgoniarum ſquamis eſt obſita, quod icone *Gorgoniae lepadiferae* egregie illuſtratur: Caro, quam Corticem alii dicunt, muſculis tendinibusque, vt et ouariis, inſtruitur. Plures Gorgoniae tamen ſunt viuiparae. p. 1. p. 16.

2. *De variatione pyxidis magneticae obſeruationes* 1719. *factae in India Orientali, Guinea, India Auſtrali et Mediterraneo mari cum latitudine et longitudine tempore obſeruationum;* Auctore ROBERT DOVGLASS. p. 18.

3. *Propoſitiones de diuiſione rectarum linearum, ſuperficierum et ſolidorum corporum,* Auctore IAC. GLENIE. p. 73.

4. *Noua*

p. 92. 4. *Noua methodus inueniendi tempus aequali altitudine*, Auctore ALEXANDRO AVBERT.

p. 99. 5. *Relatio de Falkland inſulis*, Auctore GVIL. CLAYTON; breuis eſt, et quae de rebus naturalibus dicuntur vel cognita ſunt, vel non perfecte deſcripta.

p. 109. 6. *Theorema inueniendi differentiam inter valorem redituum, qui quotannis et eorum, qui ſemeſtri, vel quadrimeſtri, vel ſtatim ſoluendi ſunt*, Auctore RICHARD PRICE.

p. 129. 7. *De Lingua Romana ruſtica ſ. pedeſtri*, Auctore IOS. PLANTA.

p. 160. 8. *Appendix ad tractatum de populi multitudine in Mancheſter*, Auctore THOM. PERCIVAL.

p. 168. 9. *De violentis aſthmaticis ſymptomatibus ab effluuiis ipecacuanhae*, Auctore GVIL. SCOTT. Mulier ſana nupſit medico; poſt matrimonium ſubinde aſthmaticis conuulſionibus afficiebatur, atque, etſi liberos peperiſſet, tamen morbus ſubinde continuabat; obſeruando autem ſenſit ipſa, hunc morbum ſequi, ſi in pharmacopoea mariti ipecacuanha contunderetur. Itaque, hac alio in loco tuſa atque effluuiis eiusdem remotis, mulier ſana erat. Accidit autem, vt aliquando ipecacuanha, ea prope adſtante, in aliud vas funderetur, atque illico conuulſiones eam adoriebantur, atque per octo dies vehementer afficiebant, vt multis demum antiſpaſmodicis et opiatis reſtitueretur. Aliam etiam mulierem eodem morbo ab ipecacuanha affectam vidit Cl. LEIGHTON.

10. *De*

10. *De ſucceſſu quorundam tentaminum ad hy-* p. 174.
drargyrum congelaſcendum, in ARCE ALBANI *in freto* HVDSONIS *anno* 1775 *inſtitutorum: cum obſeruationibus acu magnetica factis*, Auctore THOM. HVTCHINS. Thermometro Fahrenheitiano, gradum 430° ſubattingente, hydrargyrum ita erat congelatum, vt ex vitro decidens planam ſuperficiem aſſumeret, et concuſſum, inſtar plumbi ſonaret: interne tamen nondum erat frigore induratum. Obſeruavit Cl. Auctor difficulter gradum definiri poſſe, quo gelu induretur hydrargyrum, quum puncto congelationis nullae externae mutationes appareant.

11. *Aſtronomicae obſeruationes factae in Bel-* p. 182.
gio Auſtriaco Anno 1772 *et* 1773. Auctore NATHAN. PIGOTT.

12. *Tentamina ad imitanda effecta Torpedinis* p. 196.
electricitate, Auctore HENRICO CAVENDISH. Phaenomena vlterius diſquiſiuit, quae vim electricam Torpedinis dubiam reddere viderentur. Primo electricitati repugnare videtur, quod percuſſio a piſce ſentiatur, ſi ſub aqua natet, et tum, cum fluidum electricum aliorſum facilius, quam per corpus hominis effluere poſſit. Conſtat enim per ferrea fila electricum fluidum 400 000 000 vicibus facilius conduci, quam per aquam, atque per aquam marinam 720 vicibus melius, quam per aquam pluuialem. Igitur Torpedine in aqua detenta multum electricae vis videtur in aquam effluere, nec hominem tangere. Deinde obiicitur, percuſſionem fieri abſque fragore et ſcintilla, et abſque vel minimo gradu attractionis et repulſionis. At vero vna ratio, qua ſcintilla vel fragor percipi poſſit, eſt, ſi interruptio in circuitu fiat. Iam vero obſeruatum eſt a WALSHIO percuſſionem non per aërem trans-

 gredi,

gredi. Igitur hoc phaenomenón non repugnat electricitati. Nam ſeries lagenarum vitrearum inſigniter percutit, etſi tam pauca materie electrica repleta fuerit, vt aëris ne minimum ſpatium transgrediatur. Id quod tentaminibus illuſtrauit Cl. Auctor. Neque inſolitum eſt, quod in percuſſione Torpedinis attractio et repulſio deſit: etenim electricitas torpedinis diſſipatur per ſuperficiem corporis; vt itaque repulſio leuium corporum fieri nequeat propter nimis celerem diſſipationem electricitatis. Vlterius igitur comprobauit Cl. Auctor multis experimentis, vti ex ligno factam machinam, Torpedini ſimilem, aquae ſubmerſit, atque phaenomena eadem fere, quae Torpedo exſerit, animaduertit, vim Torpedinis eſſe vere electricam: ſaltem nihil eſſe in phaenomenis, quae Torpedo exſerit, quod electricitati repugnet.

p. 226. 13. *Obſeruationes ſuper reſpiratione et eius vſu in ſanguine*, Auctore JOS. PRIESTLEY. Reſpirationem nominat *phlogiſticam* operationem, quae aërem eodem modo phlogiſticum reddit, ac putrefactio aut efferueſcentia, aut calcinatio metallica, quae eius quantitatem ſpecificamque grauitatem diminuit, ideoque reſpirationi minus idoneam efficit. Ideoque vſum pulmonum eum dixit Cl. Auctor, qui putridum effluuium auferat, atque phlogiſton euacuet, quod cum alimentis fuerit introductum ita, vt aër reſpiratus menſtrui inſtar inſeruiat *).

p. 238. Ope ſanguinis aërem fieri phlogiſticum in pulmonibus, Cl. Auctor, recenſitis, iuxta HALLERVM, plurium de reſpirationis vſu opinionibus, probat; magnam itaque vtilitatem reſpirationis eſſe, vt ſanguis phlogiſton, quo ſyſtema animale abundet, et quod circulando imbiberit, in pulmonibus cum aëre commu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 96.

communicet atque eo depriuetur. Quod vt certius probaret, ſanguinem extra corpus miſſum atque coagulatum in varias ſpecies aëris introduxit: atque vidit nigram craſſamenti partem ſtatim in aëre dephlogiſticato vel athmoſphaerico fieri rubram; in aliis autem, reſpirationi non idoneis aëris ſpeciebus, vt fixo, inflammabili, et phlogiſtico aëre etiam ruberrimum ſanguinem fieri nigrum. Aërem p. 242. dephlogiſticatum deinde ſanguine in eo miſſo deteriorem fieri obſeruauit, quod a phlogiſto ei a ſanguine communicato pendet: contra ex nitroſo et phlogiſtico aëre reſorbet ſanguis phlogiſton, eosdemque corrigit. Obiectionem, quod ſanguis in pulmonibus non aërem attingat, ſed ab eo ſaltim milleſima pollicis parte diſtet, remouet Cl. Auctor experimento, quo ſanguinem nigrum in veſicam miſit, eandemque aëri expoſuit, qui ſanguinem rubrum reddidit, ac ſi illum immediate attigiſſet. Neque ſerum, cui innatat ſanguis, hanc actionem impedit.

14. *Experimenta cum aqua, quae ex fuſa glacie et aqua marina obtinetur, vt certum reddatur an pura ſit nec ne, et vt grauitas ſpecifica eiusdem reſpectu alius aquae definiatur: vt et inueniatur frigoris gradus, in quo aqua marina congelaſcat,* Auctore EDW. NAIRNE. p. 249.

15. *Methodus metiendi diminutionem aëris, quae locum habet ſi aër athmoſphaericus cum nitroſo miſcetur, vt et experimenta cum platina,* Auctore IO. INGENHOVSS. Inſtrumentum deſcribit, cuius ope nitroſus aër ſubito cum communi miſceri poſſit, quo facilius quantitas poſterioris metiatur. Icon, ad quam Cl. Auctor reuocat, omiſſa eſt. p. 257.

Platinae omnes particulas magneticas eſſe, ſingulasque duos polos habere, etſi earum magnetica p. 262

vis ferro minor ſit, expertus eſt. Praeter particulas Platinae, quae planae, glabrae, nitide nitentes et albidiores, intermixtae ſunt nigrae, quae ferreae videntur, et flaueſcentes, quae aurum et platinam intime mixtam continere videntur: omnes ſunt magneticae, flaueſcentes tubo fuſorio adhibitae facile funduntur, quod in platinae purae particulis non ſuccedit, eae enim nitorem ſolum perdunt. Cum paruum vitreum tubum platina repleret, ambae extremitates vtrosque polos attrahebant. Electriſata in tubo platina fundebatur, atque vi magnetica augebatur. Plumbo autem mixta et fuſa platina magnetiſmo priuabatur. Si igitur magnetiſmus criterium eſt ferri, platina ferrum contineat neceſſe eſt: ſi autem reliqua pars aurum eſt, quemadmodum quidam contendunt, cur id non praecipitetur cum auro, quod ei additur, cum ſolutio vitrioli ferri affunditur aquae regiae, in qua haec duo metalla ſunt ſoluta?

p. 268. 16. *Relatio de itineribus ex Capite bonae ſpei in Auſtrales Africae partes ſuſceptis ad nouas plantas detegendas*, Auctore FRANC. MASSON. Ne vnam quidem notatu dignam obſeruationem botanicam inuenimus.

p. 319. 17. *Meteorologicae obſeruationes.*

Pars II. p. 354. 18. *De tempeſtate Londinenſi anno* 1775. *epitome*, Auctore D. HORSLEY.

p. 367. 19. *Excerpta ex meteorologico diario anno* 1775. *Briſtolii facto*, Auctore SAM. FAERR.

p. 370. 20. *Epitome obſeruationum Barometro, Thermometro et Pluuia anno* 1775. *Lyndoni et Rutlandi factarum*, Auctore THOM. BARNES.

21. *De*

21. *De inſtrumentis meteorologicis in aedibus Societatis ſeruatis*, Auctore HENRICO CAVENDISH. p. 375.

22. *De methodo ſeruandi ſanitatem in naui, Reſolutio dicta, in itinere circa mundum,* Auctore IAC. COOK. Decoctio polentae maximi vſus contra ſcorbutum fuit; ſic quoque olus fermentatum (*Sauerkraut*) et iuſculum portabile, Roob limoniorum et aurantiorum, ſaccharum, farina triticea, remedia erant, quae cum recta diaeta coniuncta ſanos ſeruarent nautas. p. 402.

23. *Singularis athmoſphaerae electricitas Islingtoni menſe Octobris* 1775 *obſeruata*, Auctore TIBERIO CAVALLO. Electricitas tanta erat, vt electrometer ad 30° et vltra adſcenderet. p. 407.

24. *Conſilia ad homines merſos, apparenter mortuos, in vitam reuocandos*, Auctore IO. HVNTER. Merſi ſtatum exſtaſi ſimilem putat: eiusdemque ſuſpenſas tantum eſſe vitae vires, quas adhuc poſſideat, et quarum principium ſanguini inhaereat; ventriculum denique cum ſingula animalis parte, hasque cum illo in conſenſu eſſe. Violentas mortes in tria genera partitur: aliae vitales actiones impediunt, neque tamen laedunt vitales partes, quod ſi impedimenta cito tolluntur, vita redit: aliae laedunt vitales partes, vt vulnera, cerebri preſſio, nihilo ſecius remanet in ſolidis vis vitalis: aliae in omni parte vitalem vim delent, vt fit in fulgure tactis. Mors merſorum primi eſt generis. Impeditam reſpirationem cauſam praecipuam mortis eſſe, tentaminibus in cane inſtitutis probat. Negat autem, in merſis ſanguinem ad cerebrum et alias vitales partes deferri, neruoſque comprimere, qui ſic eorum actionem in cor atque hoc eius motum perdant: quod ſi enim verum eſt, nullus merſus, neque infans p. 412.

 neo-

neonatus et propter defectum reſpirationis apparenter mortuus in vitam redire poſſent. Motus cordis itaque dependet immediate ab acceſſu aëris in pulmones, neque ab effectis, quae aër in ſanguine, et hic in vitalibus partibus exſerunt.

p. 418. Si itaque ſtatim poſt immerſionem auxilium merſis applicari poteſt flatus aëris, (dephlogiſticati, ſi haberi poteſt, qui efficacius aget) in pulmones ſufficiet: horae autem ſpatio iam praeterito hic non ſufficiens erit. Igitur vapor alcali volatilis cum aëre mixtus vel alia ſtimulantia per nares iniiciantur. Si dum haec fiunt, larynx ſubtiliter ad oeſophagum et ſpinam dorſi apprimatur, compreſſo oeſophago impeditur, quo minus ventriculus et inteſtina hoc aëre impleantur. Interim praeparetur lectulum, iuſta ratione calefactum; calore enim actiones vitales augentur. Merſo lectulis leuiter tecto vapores alcali volatilis aut balſami et eſſentialium oleorum, atque etiam ſtimulantia, forma fluida in ventriculum ſyringe caute, eidemque vapores per anum iniiciantur. Motus per frictionem vltimo loco adhibeatur, quoniam eius effectus ſtimulatorii debiles tantum ſunt. In omni remedio autem ſingularis cura eſt quoad proportionem adhibenda, ne debilis actio nimis violento ſtimulo deſtruatur. Signis itaque primis redeuntibus operationes imminuantur, motu cordis incipiente, ab aëris applicatione in pulmones deſiſtatur. Venaeſectionem prohibet Cl. Auctor, quae animale principium debilitat: ſic etiam non vult, quidquam in ventriculum introduci, neque clyſma concedit, cum et vomitu et euacuatione aluina vires animales debilitentur. Apparatum deinde hunc, cum adſiſtente bene perito homine, neceſſarium dicit. Duo folles, ſic coniuncti, vt vno aër athmoſphaericus per nares in pulmones introducatur, et altero e pulmonibus exſugatur: tubi eorundem flexibiles ſint,

et pedis vel ſesquipedis longitudine, atque tres octauas partes pollicis ampli, vt haec artificialis reſpiratio continuari poſſit, donec ſtimuli in ventriculum praeparentur: finis horum follium ſit duplex, vt vtrisque naribus applicetur. Deinde ſyringem cum cathetere flexibili, ea longitudine, vt in ventriculum ſtimulantia ferantur praeter irritationem pulmonum. Denique minores folles, quales ad clyſmata tabaci adhibentur. Monet poſtremo eos, qui merſos reſtituendi occaſionem nanciſcuntur, vt diligenter indicent remedia adhibita et eorum gradus ſucceſſumque.

25. *Singularis ſanatio vulneratorum inteſtinorum*, Auctore CAROLO NOVSSE. Vir, aetate 21 annorum, cultro in latere ſiniſtro abdominis vulnere fere trium pollicum longitudine, et a ſiniſtro oſſe ilii oblique ſurſum verſus vmbilicum excurrente ſauciebatur. Paucis minutis elapſis, Cl. Auctor accedens, dimidiam fere inteſtinalis canalis partem per vulnus protruſam inuenit, quod a repleto cibis ventriculo pendebat. Pulſus erat interruptus, debilis, celer, cutis frigida, atque aeger languore anxietatem, dolorem praecordiorum, atque tantam debilitatem pedis ſiniſtri, vt in eo erectus ſtare non poſſet, conquerebatur. Aegro horizontaliter in lectum poſito, et fomentatione calida vinoſa inteſtinis madidis et calidis ſeruatis, reductio inteſtinorum tentabatur, quae tamen non, niſi ampliato vulnere, ſuccedebat. Vulnus deinde gaſtroraphia vniebatur, relicta ad egreſſum collecti vulneris apertura, atque deinde ſolita ratione ligabatur, regimen atque medicamina et clyſmata ordinabantur. Altero fomentationes tepidae emollientes adhibebantur, atque clyſma cum melle ſolutiuo, quo aluus euacuabatur. Sequenti die autem ſenſit Cl. Auctor p. 428.

 ex

ex materie per vulnus exeunte inteſtina laeſa eſſe. Variis ſymptomatibus auctis poſt duos dies ſubito bilis magnam quantitatem euomuit aeger, atque ſequenti dies hic vomitus reuertebatur. Poſtero die vulnus ſponte erat ruptum, atque ſymptomatibus imminutis, abdominales muſculi ita ſeparabantur, vt conſpiceretur vulnus inteſtini coli, per quod faeces egreſſae erant: quo deinde iuxta leges artis ſanato, vulnus etiam abdominis vniebatur, aegerque ſanus euaſit.

p. 439. 26. *Excerpta e litteris* ALEXANDRI SMALL, *chirurgi in St.* PHILIPS *inſula.* Frequentium febrium tertianarum duas cauſas indicat: alia ab abundanti artificiali inundatione, quae ad vegetationem vegetabilium, cum regio ſit lapidoſa, eſt neceſſaria, et copioſis ſucculentis vegetabilibus, cum inſectis, quae iis veſcuntur, putreſcentibus, hincque exhalantibus vaporibus putridis deriuatur. Altera cauſſa in lapidibus, qui vel nimis duri, vel poroſi ſunt, ponitur. Itaque ad aedes exſtruendas adhibiti humiditatem et frigus vel nimis retinent, vel plane transmittunt; in vtroque caſu tertianae cauſſa latet.

p. 447. 27. *De fluxu et refluxu maris in auſtrali mari,* Auctore IAC. COOK.

p. 450. 28. *Diſquiſitio quantitatis et proportionis mechanicae poteſtatis, qua opus eſt, ſi diuerſo gradu celeritatis corpora grauia ex quiete moueri velis,* Auctore IO. SMEATON.

p. 476. 29. *Noua et generalis methodus inueniendi ſimplices et cito conuergentes ſeries, quibus proportio inter diametrum circuli et eius circumferentiam facile poſſit*

poſſit computari ad magnum numerum locorum et figurarum, Auctore CAROL. HVTTON.

30. *De ſingulari effectu fulguris in tauro*, Auctore IAC. LAMBERT et GVIL. GREEN. Taurus erat rubris et albis pilis variegatus: atque fulgure tantum pili albi quaſi deuſti, rubri autem intacti relicti erant. p. 493.

31. *De flumine, inflammatione producto*, Auctore GEORG. FORDYCE. Corpora, ad 600 – 700° gradum calefacta, in tenebris lucere incipiunt. Si coloris expertia ſunt, lumen primo eſt rubrum, deinde radiis flauis miſcetur, atque denique album fit. Quo denſiora ſunt corpora aeſtuantia, eo intenſius eſt lumen: ſic fuſa metalla flammae fuſoriae colorem obſcurant: zincum calcinans ſplendorem cum ſolis radiis certantem emittit, calx cupri viridis flammam viridem reddit. Lumen decompoſitione corporum in inflammatione productum a calore plane non pendet, eiusque color eſt coeruleus: ſic Phoſphorus vrinae, aëri expoſitus, inflammatione decomponitur, lucem abſque ſenſibili calore producit. Hac decompoſitione idem fieri, quod inflammatione, probat experimento, quo phoſphorum aquae miſcuit atque in vas vitreum ita incluſit, vt aër externus ab eo excluderetur, atque aër in vaſe incluſus omnino phlogiſticus eſſet. p. 504.

32. *Experimenta cum ignitis corporibus*, Auctore IO. ROEBVCK. Confirmatur his experimentis ignitionem corporum grauitatem augeri. p. 509.

33. *Experimenta et obſeruationes de machina exhibendi perpetuam electricitatem*, Auctore GVIL. HENLY. Sunt ea inſtituta cum machina electrophora a Cl. VOLTA inuenta. p. 513.

p. 523. 34. *De Ferro natiuo in Sibiria inuento*, Auctore PET. SIM. PALLAS. In vicinia fluuii Ieniſei inuentum eſt, ſuntque illic multae ferri fodinae. Maſſa ferri natiui non erat affixa lapidi ſtratoſo montis, neque tamen in vicinia eiuſdem deſertae fodinae reperiebantur, vt eam igne artificiali productam ſuſpicandum ſit, neque tanta maſſa, ſuperabat enim 1680 librarum Ruſſicarum pondus, igne artificiali produci poteſt. Inſperſi ſunt globuli fluoris flaveſcentis intra ſpongioſam quaſi et celluloſam ferri maſſam, ipſumque ferrum natiuo quaſi vernice obductum eſt. Nulla habet ſigna ſcoriae, ſed omnino naturae productum videtur.

p. 530. 35. *De cryſtalliſationibus in vitro obſeruatis*, Auctore IO. KEIR. Omnia homogenea corpora, ſi ex forma fluida in ſolidum ſtatum tranſeunt, in cryſtallos concreſcunt, niſi tranſitus ille nimis cito fiat. Exempla huius rei in vitro obſeruauit, quod cryſtallos ellypticas baſi hexaëdra, hexaëdras columnares et tabulares formaret, cuius icones et deſcriptio-
p. 539. nes ſubiungit Cl. Auctor. Ex hac vitri cryſtalliſatione colligit maxime eſſe probabile, columnarem Baſaltem eſſe productum cryſtalliſatione vitreae lavae, igne vulcanorum fuſae.

p. 543. 36. *Cingulum circa Saturni diſcum deſcriptum*, Auctore Cl. MESSIER, Anno 1776, d. 29 Maii.

p. 544. 37. *De piſcibus venenatis in mari auſtrali*, Auctore GVIL. ANDERSON. Symptomata referuntur orta poſt eſum piſcium, qui certo non definiuntur. Auctor eos ſimiles dici *Sparo Pagro* LINN. cuius iconem Auctor apud Cl. BANKS vidit. Tetraodon etiam noxius eſt eſu. Symptomata haec magis neruos, quam primas vias infeſtantur.

38. *Ex-*

38. *Experimenta cum ignitis corporibus*, Auctore IO. WHITEHVRST. Repugnant haec Buffonianis et ſupra memoratis experimentis, viditque Cl. Auctor ignita corpora e. g. ferrea fieri leuiora. Forte BVFFONIVS in errorem fuerit inductus, quod pars librae, cui ignitum corpus imponeretur, magis expanderetur, quam altera, vt ideo ponderi adſcriberet aucto, quod ab expanſione librae penderet. p. 545.

39. *De ſuppreſſione vrinae punctura veſicae per anum ſublata*, Auctore ROB. HAMILTON. Poſt male ſanatam gonorrhoeam. Vir quidam frequenti ſuppreſſione vexabatur, quae ſanguinis miſſione, purgatione alui et balneis calidis tantum leniebatur. Malum per tredecim annos iam durabat, quo tempore ne vna quidem vice plane euacuata fuerat veſica. Adeo extenſa erat veſica, vt fundus eiuſdem vmbilicum attingeret, neque amplius catheteres introduci poſſent. Igitur cum de vita aeger periclitaretur, vel ruptura, vel gangraena veſicae apertura veſicae inſtituenda erat, quam, cum veſica etiam inteſtinum rectum repleret, per anum inſtituit. Per hanc puncturam aliquoties vrina euacuabatur, atque non niſi volente aegro: Cathetere autem et cereis adhibitis, vrina per vrethram euacuabatur, atque punctura ſanabatur. In hac ſuppreſſione vrinae compoſitionem ex mercurio dulci et opio maxime vtilem inuenit. p. 578.

40. *Obſervationes factae durante frigore Northamptoni*, Auctore A. FOTHERGILL. p. 587.

41. *De magnetica machina compoſita*, Auctore D. GORVIN. KNIGHT *communicata*, a IO. FOTHERGILL. p. 591.

p. 600. 42. *Demonſtratio theorematum in art. 25. Philoſ. Tranſ. 1775. *) propoſitorum*, Auctore CAROL. HVTTON.

p. 605. 43. *Experimenta ad detegendam quorundam mineralium naturam, praeſertim ad definiendum, quoad acidum marinum et vitriolicum ad mineraliſationem metallorum et aliarum ſubſtantiarum inſeruiant*, Auctore PETRO WOVLFE **). Arte parauit primum ſubſtantias, quae iis naturalibus, quas diſquirere conſtituit, ſimiles eſſent. Aqua forti ſolutum argentum acido ſalis praecipitabat, et lunam corneam accepit: Tartaro vitriolato idem fecit atque argentum tum fundebatur et fluebat, vt luna cornea, ſi ſuper ferro ignito ſpergatur. Sale polychreſto autem, quod hepatis ſulphuris portionem continet, adhibito, argentum nigreſcit, neque funditur: hinc apparet diuerſitas ſalis polychreſti cum tartaro vitriolato, cum quo nonnulli idem putant. At translator recte notat Cl. Auctorem deceptum eſſe homonymia ſalis polychreſti: a nonnullis enim arcanum duplicatum ita dicitur, quod omnino parum aut nihil a tartaro vitriolato differt, illud autem ſal polychreſtum impurum, quo Cl. Auctor vſus eſt, nemo Chemicorum cum tartaro vitriolato coniunxit. Sic etiam plumbum cum tartaro vitriolato et acido ſalis praecipitauit, quod cum acido ſalis coniunctum aqua ſoluitur; monſtratque plumbi affinitatem cum acido vitriolico maiorem eſſe, quam cum acido ſalis. Alcalia fixa decomponunt ſpatum ponderoſum, ſed Marggrafiana methodo

*) vid. ſupra.

**) Verſio etiam, quam Cl. I. C. GEHLER curauit, proſtat: *Verſuche über die innere Miſchung einiger Mineralien, um zu beſtimmen, in wie fern durch die Kochſalz- und Vitriolſäure metalliſche und andre Subſtanzen vererzet werden können, von* PETER WOLFEN, *mit einigen Anmerkungen verſehen. Leipzig*, 1778. 8.

thodo quantitas ſalis medii obtenta non definiri poteſt, cum illud alcali commiſceatur. Igitur Cl. Auctor ſal aceto deſtillato ſaturauit, euaporatione ſiccauit, atque combinatione aceti et alcali ſuperflui ortum ſal diureticum ſpiritu vini rectificato ſoluit. In genere notat nullum fixum alcali eſſe a ſale neutro liberum.

Lunam corneam vitreo in mortario contuſam cum ſale alcalino tartari, deſtillata aqua affuſa, in pultaceam maſſam mutauit, quam in vaſe porcellaneo in balneo arenae ſiccatam, in puluerem contuſam, vaſi vitreo inditam crucibulo, cui arena circumdabatur, in fornacem poſuit, atque prunis adeo calefecit, vt vitrum rubro colore candeſceret, atque hoc in ſtatu per horae ſpatium reliquit. Vitro deinde disfracto, puluis inditus in maſſam ſpongioſam flexilem atque ſciſſilem mutabatur: hanc aqua deſtillata aliquoties digeſſit, quo argentum ab omnibus ſalinis partibus liberabatur. Solutionem autem ad dimidium euaporatam, aceto deſtillato ſaturauit; tumque colata, iterumque ad ſiccitatem euaporata, ſalem diureticum ſpiritu vini rectificato ſeparabat. Sal neutrum, quod remanſit, aqua deſtillata ſolutum lente euaporare ſiuit, atque tribus menſibus praeteritis, ſal culinaris cubice cryſtalliſatus, remanſit. Argentum tartaro vitriolato praecipitatum, eodem modo tractatum, bruni tartari vitriolati drachmam vnam et 7 grana dedit. Idem experimentum cum plumbo repetiit eodem euentu. Drachmae duae mercurii dulcis, hac ratione tractatae, cuborum ſalis culinaris dederunt grana 38. Turpeti mineralis tartaro vitriolato ex ſolutione mercurii in aqua forti praecipitati, drachmae duae, tartari vitriolati bruni dederunt 36 grana. Argentum metallicam formam retinuit; plumbum forma calcis p. 611.

cis plumbeae rubrae (*maſſicot*) reducebatur; mercurius autem plane erat diſſipatus.

p. 613. Minera argenti cornea natiua *) ferro candente impoſita facile funditur, nullum autem fumum ſpargit: varietas griſea, viridis, alba, bruna et violacea cultro ſcindi et quodam modo malleo extendi poſſunt; nigra autem minus, ſed in puluerem teritur. Drachmas duas brunae minerae cum eadem quantitate ſalis tartari aqua ſoluti contriuit, atque eodem, quo lunam corneam tractauit modo: atque obtinuit cryſtallos cubicas ſalis culinaris grana 43, immixtis nonnullis tartari vitriolati brunis cryſtallis, quae tertiam maſſae partem aequare videbantur. Color brunus minerae ab ochra ferri pendere videtur, quod ſolutione argenti reſidui in aceto deſtillato confirmabatur. Idem euenit, cum rubro griſeam mineram diſquireret, quae tamen minus ferri continet.

p. 615. Mineram argenti corneam nigram, cum alia quadam minerali ſubſtantia mixtam coniiceret, primo ſpiritu volatili cornu cerui, qui alcali volatile purum ſit, eiusdem drachmas ſeptem digeſſit; ſolutionibusque euaporatione exſiccatis duae drachmae et ſcrupuli duo nigro cinerei argenti cornei remanſerunt. Has eadem quantitate ſalis tartari commiſcuit, atque ſuperius narrato modo tractauit obtinuitque cubicas planas cryſtallos. Partem argenti cornei, quae in ſpiritu cornu cerui remanſit, in crucibulo calcinauit, odorque hepatis ſulphuris prodebatur: atque calcinatione producta donec odor euaneſceret, maſſam nitentem iterum ſpiritu cornu cerui ſoluit, obtinuitque argenti cornei grana 34. Partem nondum ſolutam nigro fluore fudit, argentique puri drachmam dimidiam accepit. Continet ideo haec nigra minera argenti cornea praeter argentum corneum etiam

*) LOMMER *von Hornerze* v. ſupra.

etiam ſulphuratum. Deinde cryſtalis cubicis huius minerae oleo vitrioli mixtis, vapores acidi ſalis marini praeſentiam, demonſtrabant: vitriolicum acidum adeſſe praecipitatione calcareae ſolutionis in aqua forti probat.

Mineram hydrargyri corneam Auctor Cl. detexit: eſt ea alba, nitens, flaueſcens et nigra, inuenitur etiam cryſtalliſata, vt translator ſubiungit cubica; nos vero priſmaticas vidimus cryſtallos. Haec minera, ſuperius deſcripto modo diſquiſita, eſſe hydrargyrum, quod acidi vitriolici maiorem partem, et acidi ſalis culinaris minorem contineat. p. 618.

Iam Cl. Auctor tentamina Cl. LE SAGE diſquirit, atque affirmat ſe magnum numerum mineralium, quae ex mente Cl. LE SAGE acido ſalis marini mineraliſata ſint, diſquiſiuiſſe, neque tamen atomum ſalis vel vitriolici acidi obtinuiſſe. Huc pertinent: album ſpatoſum ferrum ex Byrutho; ſtanneae cryſtalli ex Cornubia et Bohemia; lapis calaminaris ex Mendiphile, idem ſemipellucidus ex Valleſia, cobaltum nigrum ex Saxonia, magneſia nigra ex Sommerſetſhire, Ceruſſa natiua ex Lotharingia; minera plumbi alba, tranſparens ex Sommerſetſhire, eadem cryſtalliſata ex Irlandia, eadem ex Poulaven in Britannia inferiore, minera plumbi nigreſcens et viridis ex Tſchoppauia in Saxonia, vt et ex Friburgo in Brisgoia. Omnes minerae plumbi calcem plumbeam rubram dederunt, cui ferri nonnihil admixtum eſſet. Inſuper Cl. Auctor etiam nonnullas harum minerarum, methodo Sagiana diſquiſiuit: neque tamen vnquam veſtigia acidorum dictorum inuenit. Non vult tamen Cl. Auctor SAGII auctoritatem in dubium vocare, potius exiſtimat adhibitum fuiſſe ab hoc ad experimenta oleum vitrioli, quod iam acidum ſalis contineret. Nam HOLKERVS, qui hoc acidum in

Gallia

Gallia parat, ipſe ſe ſal culinare cum vitriolo commiſcuiſſe, vt plus olei vitrioli obtineret, Cl. Auctori faſſus eſt.

IX.

D. CHRISTIAN FRIEDRICH DANIELS *Sammlung mediciniſcher Gutachten und Zeugniſſe, welche über Beſichtigungen und Eröffnungen toder Körper, und bey andern rechtlichen Unterſuchungen, an verſchiedene Gerichte ertheilt worden, mit einigen Anmerkungen und einer Abhandlung, über eine ſiebenmonathliche beſondre Misgeburt, ohne Herz, Lungen etc. herausgegeben, von deſſen Sohne* C. F. D. *Leipzig, verlegts Adam Friedrich Böhme,* 1776. 8. *m. K.* pagg. 300. praeter praefationem, contenta et indicem rerum.

i. e.

CHRIST. FRID. DANIEL collectio medicorum reſponſorum et relationum cum annotationibus et tractatu de monſtro ſeptem menſium ſine corde, pulmonibus cet. edita ab EIVSD. filio C. F. D.

Neceſſitate cadauerum ſecandorum in praemiſſa praefatione omnino monſtrata, haec reſponſa et relationes medicas ac chirurgicas ita propoſuit atqua collegit, vt *primo* conſiderentur per ſe letales capitis laeſiones, item colli, thoracis, abdominis, extremitatum et omnis omnino corporis; *dein* accidentaliter letales laeſiones ſequuntur; *porro* eae ſuccedunt laeſiones, quae plus quam occaſionales cauſas mortis ſeu morborum letalium ſiſtunt ſeu ob praeternaturalem corporis ſtatum letales fiunt;

tum

tum, veneficia, mors ſubita et incerta, incertum mortis genus, relationes naturaliter mortuorum ita melancholicorum, reſponſa varia medica, infanticidia monſtrumque his communicantur. Quaedam praeterea loca, quae dubitationem mouere poſſent, exemplis et rationibus confirmauit et extra dubitationem Cl. Auctor poſuit. Obſcuri, qui intercurrunt termini technici, in indice ſunt explicati. Numerus contentorum eſt octuageſimus et vnus.

Corrupto puellae ſeptennis cerebro ex vulne- p. 5. re ſclopetorum, ea octo diebus poſt eſt mortua. HIPPOCRATES aſſerit tum quosdam in tribus, alios in ſeptem diebus mori. Praeterea additae ſunt ſententiae variae de trepanatione oſſis temporum.

De laeſione per accidens letali feminae, quae p. 74. lienis fiſſura obiit. De alia lienis fiſſura ſine vis ex- p. 77. ternae ſignis.

De aneuryſmate pedis, vulnus ſclopeti ſana- p. 95. tum ſequente, cuius aneuryſmatis ruptura, accedente gangraena, mortem faciebat.

De ſeruo, qui poſt eſum placentae, radicis man- p. 133. dragorae puluere conſperſae, non diu poſt interiit, hic narratur. Etiamſi ſymptomata, quae ſolent, acribus et cauſticis aſſumtis, ſequi, et hic aderant, nec non ventriculus inflammatus et inteſtina ſphacelo corrupta apparuerunt, tamen, cum maſſa in ventriculo reperta nullum proderet alliaceum odorem, hunc caſum dubium relinquit Noſter. Vix videtur ab hac radice hic effectus repeti poſſe.

De abortu ſubſequente quatuordecim dies poſt p. 197. ex vſu pilulae laxantis ex quindecim granis reſinae ialappae.

Antequam Noſter progreditur ad infantici- p. 203. diorum varia exempla, quaedam de experimento

cum pulmonibus *) praemittit. Quam ob rem doctrinam natandi a Cl. SEGNERO propoſitam hic repetit et inde refutat Cl. BÜTTNERVM, qui copia maiori et minori aquae quaerit fallaciam experimenti cum pulmonibus, quippe quae aquae copia plane nihil hic efficit. Hoc autem largitur Cl. Auctor, ſingularem grauitatem aquae in his experimentis quid facere poſſe. Quem in finem Cl. DANIEL, his periculis factis, vſus eſt pura aqua, plerumque ex fluuio *Salae*. Funiculo vmbilicali non ligato, haemorrhagia mortuos eſſe recens natos hic narratur.

p. 273. Septem menſium monſtrum natum erat magno capite, palpebris clauſis, oculis nullis, naſu aegre apparente, ore, dextra aure, loco ſiniſtrae curua ſuperficialis rima. Extremitates ſuperiores deerant, collum, thorax et abdomen externe non diſtingui poterant. Anterius nonnullae coſtae et poſterius ſpina dorſi detegebantur. Secundinae naturalem figuram prae ſe ferebant. Pes dexter longior ſiniſtro, contuſus et digito vno deſtitutus; ſiniſter prope maleolum curuus et quaſi luxatus, duobus vltimis digitis inter ſe connexis. Orificium ani altius erat cet. Secto hoc monſtro, ſingulare iter et diſtributio vaſorum ſanguiferorum in conſpectum veniebant. Aſpera arteria, pulmones, diaphragma, hepar, lien, pancreas, ren ſiniſter, vna arteria vmbilicalis, vterus cet. thymus, thyroidea, cor deerant, nec ventriculus cum inteſtinis erat nexus cet.

p. 277. Conuertit ſeſe poſtea ad generationis ſyſtemata, ac inprimis ad euolutionis ſyſtema ex ouo, id quod potiſſimum aſſumitur et a Cl. HALLERO et BONNE-

*) v. comm. noſtr. Vol. I. p. 12. Vol. IV. p. 639. Vol. VII. p. 246. Vol. IX. p. 100. 146. Vol. X. p. 161. Vol. XIII. p. 345.

BONNETO defenditur, vti in noſtris commentariis legi poteſt. Quoniam autem Cl. BONNETVS obſeruationibus argumentisque HALLERI nititur, commemorat modo Noſter Hallerianas ſententias et eas ipſas reiicit.

Quapropter ad Cl. WOLF *) ſententiam de generatione progreditur, qui ad eam explicandam vim eſſentialem ſumit: Epigeneſis, quam Cl. WOLF defendit, nota eſt. Ac primum quidem monſtrat Noſter, quae mutationes, ad ortum partium neceſſariae, in hoc monſtro, non ſucceſſerint, et dein, cur non acciderint. Imaginationi laeſae maternae et compreſſioni nihil Noſter tribuit, etiamſi et hoc in exemplo aliquid feciſſe viderentur. Mater enim huius monſtri laniatori ſaepe interfuit et abdomen compreſſit. Poſtremo, nonnullis annotationibus additis, exemplisque variis commemoratis, explicationem figurarum Cl. Auctor adiecit. p. 281.

X.

PHILIPPI GEORGII SCHROEDERI, Phil. et Med. Doct. Archiatr. Magn. Britann. Regis et Med. in Acad. Götting. P. P. O. Opuſcula medica antehac ſeorſim edita, nunc vero collecta ſtudio I. C. G. ACKERMANNI, Med. Doct. Vol. I. Norimbergae apud I. G. Lochnerum, 1778. Alph. 1. plagg. tres cum dimidia.

*) CASPAR. FRID. WOLF theoria generationis. Hal. 1759. 4. vid. comm. noſtr. Vol. X. p. 153. Haec diſſertatio 1774. ibidem aucta prodiit. Dein in commentariis Petropolitanis, v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 703. Vol. XVIII. p. 684. Vol. XX. p. 6. ſqq. Porro *Neuere Verſuche* v. Indicem ſcriptorum phyſico medicorum. Ann. 1764.

p. 11. D*iſp. I. de frequentioribus febrium prodromis generalia quaedam proponens*, defenſa Gottingae, 1765 a *L. I. Hettling*. Annotato illo diſcrimine, quod principia, prodromosque febrium intercedit, ad diuiſionem horum morborum Cl. Auctor progreditur, eorumque duas conſtituit claſſes, quarum altera eas febres, quae noxiam quandam colluuiem ad primas vias delatam coniunctam habent, atque adeo meſentericas, inteſtinales, plurimaſque bilioſas, putridas et malignas complectitur; altera vero eas comprehendit, quae ardentioris, minuſque ſpaſticae ſunt indolis, atque cum ſordium ad primas vias colluuie raro coniunctae deprehenduntur. Iam praecipuas recenſet cauſas, quae his febribus oriundis occaſionem praebent, iisque ipſos annectit prodromos. Etenim repetita conſtitit obſeruatione, ſpontaneam atque inſolitam laſſitudinem cum mente ſibi perfecte conſtante coniunctam benignum catarrhum, febresque intermittentes mitiores ſaepenumero praecedere; bilioſas autem malignasque eandem ſomno ſolito grauiori et frequentiori, tumultuoſis inſomniis perturbato, comitatam haud raro ſequi. Graues capitis morbos, quos plerumque febris quaedam vel praecedit, vel comitatur, memoriae imbecillitas, aliqua vertigo atque ſtupiditas inſolita praenunciant; laeſum vero digeſtionis negotium, praeſertim ſi grauius ſit, ab inteſtinalibus febribus facile excipitur. Ardentes, minuſque ſpaſticae febres futurae inſolita, licet non magna, laſſitudine, quietiſque amore, et hebetata nonnihil a certo temporis ſpatio ingenii vi cognoſcuntur. Ceterum *ανορεξια* has praecedit vix vlla; ex ingeſtis vero calefacientibus, alio tempore ſine vllo incommodo aſſumtis, moleſtum capitis, pectoris atque membrorum aeſtum, genarum ruborem et faciem ſine manifeſta cauſa pleniorem cum reſpiratio-

rationis quadam difficultate, ſiccaque tuſſicula coniunctam ii, quos huiusmodi febris propediem eſt inuaſura, fere ſemper perſentiſcunt.

Diſp. II. de amplitudine generis febrium bilioſarum, defenſa Gottingae, 1766. a F. L. *May*. Bilioſae, ſiue cholericae febres, quae a putrida humorum corruptione, omnique omnino malignitate immunes ſunt, cum intermittentibus, inflammatoriis atque exanthematicis febribus haud raro coniunctae deprehenduntur; ſumme proinde neceſſarium eſt, vt, antequam ad huiusmodi febris ſanationem nos accingamus, medicamentis remouere ſordium bilioſarum ad primas vias delatarum copiam ſtudeamus, quo quippe facto non poterit non ipſe princeps morbus facile tolli. Inter illas autem febres, quibus bilioſa huiusmodi colluuies facile accedit, intermittentes, ſiue epidemice graſſentur, ſiue ſporadice, vt vocant, aggrediantur homines; pleuritidem, anginam et rheumatiſmum inflammatorium; febrem eryſipelaceam, purpuram, variolas, morbillos atque ſcarlatinam attentionem mereri praecipuam, Cl. Auctor ſe obſeruaſſe refert. p. 45.

Diſp. III. Analecta de pleuritidum partitione, inprimis quoad febrium iis coniunctarum differentias, propoſita Gottingae, 1769. a F. C. *Ellert*. Pleuritidis notione, diuiſionibusque iis, quae in medicorum ſcholis receptae ſunt, praemiſſis, varias huius ipſius morbi ſpecies, velut bilioſam, ſanguineam, malignam, ſpaſmodicam, hepaticam, ſtomachalem, inteſtinalem, etc. quas FORESTVS, RIVERIVS, SYDENHAMVS, BIANCHI, aliique celeberrimi medici obſeruarunt, Cl. Auctor enumerat, ſigna, quibus cognoſci poſſint, annotat, iisque tollendis idoneas recenſet medendi methodos. p. 93.

p. 135. *Diſp. IV. exhibens venaeſectionis in febribus inſtituendae praecipuas cautiones*, propoſita Gottingae, 1771. ab *I. F. I. de Roebern.* Cum multis multorum tum obſeruationibus, tum experimentis euictum ſit, nimia ſanguinis detractione homines, eosque ſaniſſimos, ex tono et vigore inde labefactato, ad cacochymias, viſcerum obſtructiones, hypochondriacas, hyſtericas, aliasque grauiſſimas affectiones diſponi, non poteſt non cognitu eſſe facillimum, omnem aegroti ſtatum in adornanda hac medendi ratione rite diſquirendum eſſe, ne, dum auertere aliquem morbum ſtudemus, eum et peiorem, et ad coctionem, criſinque, inducta virium debilitate, omnino ineptum reddamus. Etenim non in putridis modo, iisque mox ſimplicibus, mox complicatis; in neruoſis lentis, acutisque febribus noxas ſaepenumero attuliſſe viſa eſt venae ſectio, verum etiam ipſae inflammatoriae, praeſertim ſi cum aliis morbis fuerint complicatae, poſt vnam, alteramque ſanguinis miſſionem grauiores quandoque, et aduerſus omnem medelam pertinaciores euaſiſſe conſtat. Quare, inquit Cl. Auctor, optimum erit, vt indicationes a viribus aegrotantium et ſymptomatum a plethora, phlogiſtica diatheſi, ipſaque inflammatoria ſtaſi pendentium vehementia formatas ita ſequamur, vt aliarum etiam cauſarum, ſimul forte praeſentium, quas venae ſectio haud minuere, ſed magis nociuas quandoque reddere poſſit, accuratam ſemper, quoad fieri poſſit, habeamus rationem, primarumque viarum vitioſam colluuiem mobilem reddamus, et per apta medicamenta euacuemus.

p. 175. *Diſp. V. de febribus eryſipelatoſis*, defenſa Gottingae, 1771. a *B. de Ziegler.* Omnem eryſipelatis, morbi ſaepenumero quidem fere ſolo diaetae

regimi-

regimine, blandisque euacuantibus debellandi, nonnunquam tamen, potiſſimum ſi ad interiores corporis partes ſerperit, aut inflammatoriam, aliamque febrem habuerit adiunctam admodum pertinacis, hiſtoriam, cauſasque ex variis cum veterum, tum recentiorum medicorum ſcriptis Cl. Auctor ſtudioſe collegit, concinnoque diſpoſuit ordine, ita vt, ſiue pathologiam, ſiue therapiam huius mali noſcere quis cupiat, hanc diatriben velut abſolutiſſimam illi commendandam eſſe, haud dubitemus.

Diſp. VI. ſiſtens analecta de indole ac ſede phrenitidis et paraphrenitidis, defenſa Gottingae, 1765. a *C. H. Fein.* Si medicae artis principes in ſede atque natura cuiusdam morbi determinanda valde a ſe inuicem receſſiſſe verum eſt, ſane hoc in variis, quos conſulimus, phrenitidis et paraphrenitidis deſcriptionibus animaduertitur; etenim alii in priori malo cerebri, aut meningum eius, in poſteriori vero transuerſi ſepti vehementes inflammationes acutiſſimae febris et perpetuorum deliriorum cauſam eſſe ſtatuunt; alii, funerum praeſertim ſectionibus niſi, omnem vtriusque morbi fontem in primis viis quaerendum cenſent, alii denique alias corporis partes accuſant. Quare haud irritum hunc putamus Cl. Auctoris laborem, in quo et diſcrimen, quod inter vtrumque hunc morbum intercedit, annotauit, et veram cauſam denuo inueſtigauit, aptisque argumentis ſtabiliuit. Redeunt autem, quae prolixe diſputauit, eo, vt inter phrenitidem atque paraphrenitidem diſcrimen aſſumatur nullum, niſi quod a ſymptomatum vehementia ſit repetitum, atque adeo priori nomine *febris acuta malignae indolis cum perpetuo fere delirio coniuncta*, altero vero *leuior*, *minusque acuta eiusdem ſpecies* inſigniatur, quibus, ſi lubet, παϱαφϱοσύνη veterum, p. 219.

ſiue *febrilis tranſitoria mentis alienatio*, velut tertia ſpecies commode adiungi poteſt. Ceterum, inquit Cl. Auctor, valde eſt probabile, ſedem vitii, quod phrenitidem efficit, niſi ſemper, ſaepiſſime tamen, vel maxima ſaltem ex parte in praecordiis, viſceribusque hypochondriacis latere, deliria vero vtplurimum ex conſenſu naſci; hinc, quae medicamenta proſint, et quae noceant, non poteſt non clarum eſſe atque perſpectum. Et ad ſanguinis quidem miſſionem quod attinet, ea, ſi modo verae plethorae ſigna adſint, omnino inſtituenda eſt; ſi vero propter aliquam cauſam videatur omittenda, ceruicis et occipitii ſcarificationibus vti conueniet; praeterea fomenta emollientia, eaque tepida praecordiis aſſidue applicanda, clyſmataque ſimilia iniicienda ſunt, quibus veſicantia vel ſinapiſmi, et, pro interno vſu, euacuantia antiphlogiſtica, antiputrida et antiſpasmodica volatilia iungi poſſunt. Opiata propter febrem, corruptos in praecordiis humores, corporisque ſiccitatem minime primis diebus, immo neque aliquando hebdomadibus decerni debent; ſi vero, declinante febre, corporeque iam ſatis depurato atque humectato, delirium nihilominus pergat, prudens laudani vſus magnum promittit fructum. Paraphrenitis eandem, ſed quodammodo mitiorem, deſiderat medendi methodum.

p. 280. *Diſp. VII. de haemorrhagia vteri*, propoſita Gottingae, 1771. ab *I. Burgaver.* Etſi negari omnino non poteſt, a variis ſcriptoribus doctrinam de ſanguinis ex vtero profluuiis ſaepenumero eſſe pertractatam, tamen, quo minus ſuperuacaneum atque inutilem hunc Cl. Auctoris libellum putemus, tum rerum, argumenti illuſtrandi gratia vndequaque collectarum copia, tum accurata earundem diſpoſitione prohibemur. Etenim cuncta,

quae

quae propoſuit, ſiue cauſarum, quae huius virginum, grauidarum et puerperarum morbi ortum adiuuant, ſiue ſymptomatum, quae cum eo coniuncta ſunt, catalogum ſpectemus, ſiue rationalem, quam ſuadet, conſideremus medendi methodum, ita omnino comparata ſunt, vt velut exemplar, quod immitatione dignum ſit, Lectoribus Noſtris commendari mereantur.

Diſp. VIII. ſiſtens de dyſenteria analecta practica, defenſa Gottingae, 1768. ab *A. I. Götze.* Confirmari hac diſputatione ea videmus, quae nuper celeberrimi viri, ZIMMERMANNVS, TISSOTVS, aliique de inteſtinorum difficultate, morbo velut diriſſimo, cognita nobis reddiderunt. Quo quidem morbo Cl. Reſpondens, qui ſe Auctorem fatetur, laborauit, atque adeo, quae enarrauit, partim Ipſe eſt expertus. p. 319.

Diſp. IX. de alienata bilis qualitate, vbi viridis eſt aluo excretorum, aut vomitu reiectorum color, propoſita Gottingae, 1767. ab *I. M. Stark.* Etſi infantilis potiſſimum aetas, quod acido in primis viis haerente haud raro abundet, viridem materiam et ore, et aluo excernit, variae tamen morborum ſpecies, velut phrenitis, hydrophobia, aliaeque febriles et neruoſae affectiones, quibus adulti homines ſolent affligi, cum huiusmodi excretionibus coniunctae deprehenduntur, quamuis nullum adfuerit acidi indicium. Hinc neque in infantibus, qui, cum torminibus, ſpaſticiſque neruorum conſtrictionibus corripiantur, deiectiones, vomitusque viridi colore conſpicuos excernunt, de latente acido ſemper oriri debet ſuſpicio, ſed ſaepenumero laceſſiti a minus cognito ſtimulo neruoſi ſyſtematis p. 365.

 comi-

comites exiſtimandi ſunt. Repeti autem debet haec excretorum mutatio, ſi ingeſta ad eam producendam nihil quicquam contulerint, a mutata bilis indole, quemadmodum materiei vomitu reiectae amarities, deprehenſa in fellea funerum cyſtide eiusmodi bilis, aliaque argumenta euincunt; vtrum vero a quodam abſcondito humorum acido hic bilis color ſemper deriuandus ſit, an potius admixtum vel ſanum, vel vitiatum neruoſum fluidum hanc mutationem efficiat, Noſter definire non audet.

XI.

Diſputatio inaug. de borace ammoniacali, quam Praeſide P. I. HARTMANNO, pro Doctoris gradu tuitus eſt. Reſp. *C. F. Sturz.* Traiecti ad Viadrum, CIϽIϽCCLXXIX. 4. plagg. 6.

Varia Cl. Auctor inſtituit tentamina, quibus veram ſedatiui ſalis naturam atque indolem declarare, aliorum vero chemicorum de hac re opiniones refellere annititur. Etenim cum et propriis et aliorum obſeruatis fuerit edoctus, neque ſalinum, neque vitriolicum acidum illi producendo poſſe ſeruire, opinatus eſt, Cl. BAVMEI praeſertim experimento niſus, pinguedinis animalis acidum ſubtili cuidam terrae nuptum huius ſalis mixtionem conſtituere. Quam ob rem, quo certior de hac re fieret, libram depurati decocti argillae albae cum dimidia vncia acidi pinguedinis animalis commiſcuit, eamque in vitrea concha probe tecta quieto loco expoſuit. Iam, cum per duorum, et quod excurrebat, menſium ſpatium quieta permanſiſſet haec mixtura, in fundo conchae micacei coloris cryſtalli, eaeque tenerae, quarum copia in dies maior

maior euadebat, conſpiciebantur, quas aliquot diebus poſt a liquore ſeparauit, atque exſiccauit; ipſum vero liquorem lentiſſime in vapores egit, hacque ratione aliquot eiusdem generis cryſtallos cum exigua pulueris albi et tenerrimi copia commixtas obtinuit, quae cum prioribus pondus ſex drachmarum, ſcrupuli vnius et granorum ſex conſtituebant, omnibuſque ſedatiui ſalis characteribus erant conſpicuae. Terra, quae remanſerat, cum vitriolico acido partim, vt Cl. BAVMEI vtamur dicendi ratione, in vitreſcibilem, partim in calcaream abiit ſelenitem, hinc colligit Noſter, *ſedatiuum ſal eſſe ſelenitem vitreſcibilem, pauco ſelenite calcareo inquinatum, atque animalis pinguedinis acido ſaturatum.*

Quod vero ad ipſum *ammoniacalem boracem* attinet, eum Cl. Auctor ita parauit, vt vnciam ſalis alcali volatilis ſicci, ex ammoniaci et tartari ſalis coniunctione ſublimando parati, in ſufficiente aquae deſtillatae ſimplicis quantitate ſolueret, eique aequalem portionem ſedatiui ſalis lotione ab omni alieno acido depurati admiſceret; quo facto ſolutionem leniſſimo calore ita coërcuit, vt in cryſtallos abiret, quae, etiamſi polline videbantur conſperſae, durae tamen erant, nec in puluerem dilabebantur. Ceterum in aqua hoc medium ſal facile ſoluitur; in igne vero et ſerius, quam vulgaris borax, liquatur, et minus quoque intumeſcit, tandemque in ſubgriſeum, pellucidumque vitrum, quod libero aëri expoſitum puluerulentam faciem acquirit, conuertitur. Virtutes huius ſalis eſſe antacidas, abſtergentes, reſoluentes et leniſſime ſtimulantes Noſter arbitratur, easque breuiſſimis aliquot morborum eo ſanatorum enarrationibus demonſtrare allaborat.

XII.

XII.

Dr. IAC. CHRIST. SCHÄFFERS *E. H. E. Miniſterii Conſeniors und des Conſiſtorii Aſſeſſors, Sr. Köngl. Mag. zu Dännemark Raths und Prof. etc. Abbildung und Beſchreibung des Mayenwurmkäfers; Als eines zuverläſſigen Hülfsmittels wider den tollen Hundebiß. Nebſt einer ausgemahlten Kupf. Regensburg, verlegts Iohann Leopold Montag,* 1778. 4. 20 *Seitt.*

i. e.

IAC. CHRIST. SCHAEFFERI delineatio nec non deſcriptio Melois maialis, cuius vſus contra hydrophobiam commendatur cet.

Cum ad Cl. Auctorem, qui horum vermium formam, iam in opere ſuo entomologico maiore tradiderat, ſaepius litterae mitterentur, in quibus de communicanda iſta tabula ageretur: propoſuit ſibi vermes hos ſpeciatim edere, vt omnibus fieret ſatis.

Refutatis FRISCHII argumentis, vermem hunc ad coleopterorum claſſem merito referendum eſſe arguitur. Neque FRISCHIO ſubſcribitur, ſi *Meloen proſcarabaeum* et *maialem*, colore differentes, pro varietatibus habet. Aprilis ac Maius menſes ſunt, in quibus vulgo obſeruantur. In agris ac pratis, graminis cauſa, quo veſcuntur, viuere ſolent. Solis calorem, ipſis infeſtum, ſubterfugiunt, quare mane modo ac veſperi leguntur. De forma, cognita ſatis, vix quicquam dicemus, antennas, ex vndecim articulis compoſitas, ſerpentino modo, neque ad rectam lineam, vt vulgo fit, dum repunt gerere ſolent. Corpore ipſorum tacto, ſuccus effluit luteus, non certo ac definito, verum in quo-

vis

vis potius loco. Succus hic in morbo hydrophobico vtiliſſimus fertur, et defenſionis cauſa a vermibus elici putatur. Iam vermis cuiusdam congeneris fecit mentionem, qui thorace obuerſe ouato, elytrisque totum abdomen tegentibus, a prioribus differt.

In altera libri parte, ſuper remedio ex vermi- p. 11.
bus parando actum eſt. Boruſſorum Rex iſtius notitiam a ruſtico quodam Sileſiaco hauriri curavit. Cum ſuper hac re adhuc nihil Lectoribus Noſtris communicauerimus, officium noſtrum eſſe putavimus, praecipua ex remedii deſcriptione excerpere. Abſtinendum eſt in colligendis vermibus, a digitorum vſu, emittunt enim ſuccum, de quo modo diximus, cui plurimae inſitae cernuntur vires, his itaque lignulum ſubſtitui ſuadetur. Caput ipſis forfice abſcindendum, illudque remouendum, corpus vero vitro melle repleto mandandum, vtuntur, quando condiunt vermes, mellis quarta menſurae Berolinenſis parte, et vermibus circiter ducentis. Vniverſa vero remedii formula eſt haec ℞. Meloes maialis melle conditae No. 24. Theriacae Andr. ℥ij. Ligni Ebeni ʒij. Rad. Serp. virg. Raſur. plumbi ana ℈j. Agarici Sorbi gr. 20. Mellis q. ſ. ad conſiſtentiam electuarii parandam. Theriacae Roob Sambuci poteſt ſubſtitui. Vermes conditi reliquaque ingredientia priusquam miſceantur, ſunt diſcindendi, quod per ſe facile intelligitur. Addita eſt tabula in quo doſis remedii definitur. Propinetur vero infanti vnius vel duorum annorum gr. 24. vel 20. trium ad quinque annorum gr. 30. vel 26. ſex ad decem annorum 40. gr. vel ʒß. duodecim ad viginti annorum ℈j. vel gr. 50. vſque ad trigeſimum annum ʒjß. vel ʒj. et gr. vſque ad octogeſimum annum ʒij vel ʒiß. Prior doſis maribus poſterior feminis conuenire dicitur.

dicitur. Abſtineat aegrotus 24 horas a cibo et per 12 horas a potu, dein ſiti nimium vrgente infuſo calido florum Sambuci vtatur, maneat in conclaui tepido, vel in lecto, quo tranſpiratio promoueatur. Induſium, quo adhuc erat veſtitus, cum candido calidoque mutetur, idemque cum lecti puluinaribus fiat. Vulneri eloto cum aceto vini vel cereviſiae ſalito, vnguentum baſiliconis, vel butyrum ſalitum vel oleum ſcorpionum aut meloës maialis (deſtillatione paratum) ſuperimponatur. Si vero pars quaedam contuſa modo fuerit, tunc veſicatorium adhibeatur, et modo dicta ratione in reliqua ſanatione procedatur. Abſtineat ſanitate reſtituta, a quavis re nimium aeſtuante. Ceterum hoc remedio caute eſſe vtendum monere nos oportet.

XIII.

Speculations and conjectures on the qualities of the nerves. By SAMVEL MVSGRAVE. London, 1776. 8. plagg. 6 *).

i. e.

SAMVELIS MVSGRAVII contemplatio neruorum morborumque inde pendentium.

p. 3.

In praefamine libri eorum refutauit opinionem, qui in explicandis medicinae theorematibus, experimentis ſunt vſi. Probauit nimirum fieri non poſſe, vt certa atque firma conamina a medicis inſtituantur, quoniam vires remediis inſitae variae minimeque conſtantes reperiantur, et quoniam diverſorum corporum humanorum proprietates ita diſcrepent, vt ab vnius natura, ad alterius conditionem, omnibus numeris abſoluta concluſio fieri nequeat. Dein, expoſita obſcuritate doctrinam de neruis

*) Germanicam verſionem v. paulo infra in indice ſcriptorum.

neruis obruente, materiam libri paucis enarrauit. Propoſuit vero ſibi Cl. Auctor demonſtrare, ſingulorum morborum cauſam primam, in neruis latere, hosque ipſos reliquis partibus prius ſanari. Quae ad explicandam hanc ſententiam in praefatione propoſuit, omittimus, cum in tractatione ipſa vberius repetantur.

In prima libri ſectione de neruorum in ſanguinis motum imperio egit. Statuit vero neruorum actionem quamuis ad ſanguinis circulum mutandum aliquid conferre. Ab irritatione nempe neruoſa viuidior, a relaxatione vero imminutus pendere videtur ſanguinis circuitus. Phaenomenis hanc rem dilucidauit, et ab vniuerſi ſanguinei circuli conſideratione incepit. Proficiſcitur hic a cordis muſculoſi conſtrictione, quae a neruorum imperio pendet: atque ſuſtentatur muſculorum arterioſorum, a neruis ſtimulatorum, motu, in quibus ſingulos fere naturae ſcrutatores habet conſentientes. Dein ad venoſi ſanguinis contemplationem tranſiit, in quo mouendo nerui quoque praeſtare videntur, ſaltim penis erectiones, et rubor pallorque faciei hoc docere Ipſum videntur. Agunt vero nerui et conſtringendo et relaxando venas, prius ramos integros vacuos reddit, ſanguinemque ex arteriis efflui non ſinit, vt in epilepſia; poſterius ramos venarum maiores ita diſtendit, vt minores ſurculi venoſi ſanguine non irrorentur, vt in lipothymia. In eadem venarum per neruos relaxatione cauſa pallentis a terrore, atque hippocraticae morientium faciei poſita eſt. Tumor pedum vero poſt pediluuia ortus, a venarum contractione, neque, vt vulgo putatur, ab ipſarum conſtrictione pendet. Habet quidem haec de venarum relaxatione ſententia multum probabilitatis, nobis tamen, Sect. I.

men non omnino probatur, quod non recte percipiamus cauſam, quae ramos minores venarum ex arteriis ſanguinem haurientes, eodem orbet? Et nonne naturae magis reſpondet eorum ſententia, qui in arteriis ſpaſtice conſtrictis, horum phaenomenorum cauſam quaerunt?

Sect. II. In altera libri parte, ad ſedem caloris innati progreditur. Haec vero Noſtro neque in motu ſanguinis inteſtino, neque in attritu ſanguinis ac vaſorum, verum potius in calido quodam, neruis innato, quaerenda videtur. Priori opinioni quies ſanguinis e vena miſſi, ſenſimque imminutus caloris gradus repugnare videtur. Poſteriorem vero ſententiam; variis refelli poſſe argumentis arbitratur. Huc 1) pertinet non auctus aquae in canali plumbeo motae calor, (hic motus vero non convenire prorſus nobis videtur cum ſanguinis humani motu, primo enim aquae eae deſunt particulae, quae calori maximopere fauent, deinde nulla eſt in plumbeo canali ſeſe contrahendi poteſtas, quae tamen premendo ſanguinem, haud dubie calori gignendo anſam commodiſſimam praebet), 2) non proportionata, in omnibus animalibus, caloris atque celeritatis ſanguinis mouentis ratio, 3) auctus a ſtaſi ſanguinis calor (qui procul dubio ab aucto niſu vaſorum obſtructorum ſeſe contrahendi incitatur), 4) horror orgaſmum ſanguinis comitans, et calor poſt mortem remanens. Suae ſententiae vero conuenire videtur calor a dolore, ab animi commotione, a nimio frigore, quae res neruos afficiunt, ortus.

Sect.III. In tertio articulo humorum nimia neruorum irritatione corruptorum exempla leguntur. Plurima

rima ex morborum externorum claſſe ſunt petita, quaedam tamen ex animi affectuum hiſtoria ſunt deſumta. Cauſa cruſtae inflammatoriae, quae in ſanguine ſtatim poſt ſectionem e vena miſſo, in continuatione deficientis, obſeruatur, in neruis irritatis a Noſtro quaeritur.

In quarto libri ſegmine, hydropem a neruis affectis oriri, argumentis ſequentibus probare annititur. Dicit nimirum, huic malo neruoſos morbos praeire; quorſum relatae ſint febres, colicae paſſiones, diarrhoeae, viſcerum obſtructiones, a ſpirituoſorum abuſu excitata neruorum debilitas, podagricorum dolorum vehementia, venenorum ſtupefacientium, vt cicutae abuſus, mania, vertigo. Verum enim vero, non ex neruoſis affectionibus ſolum malum hoc oriri ſolet, verum neruoſi varii morbi ipſum quoque ſaepius ſuccedunt. Hi ſunt dolores vagi, epilepſia, coecitas, mania. Probabilis porro redditur Cl. Auctoris ſententia, hoc, quod aquam ſub cute collectam, ex vno in alterum locum tranſire ſaepius videamus, cui argumento, analogia cum abſceſſuum generatione, in qua de neruorum actione, vix quiſquam dubitabit, ſubuenire videtur. Vltimum argumentum, a diuerſis medendi methodis, eſt arceſſitum, huc inunctiones partium externae, opiique vſus, pertinet. Multum ad ſuam ſententiam firmandam contuliſſet, ſi de methodo, qua nerui hydropem efficiant, aliquid dixiſſet, haec enim profecto, difficilis eſt indaginis quaeſtio. p. 49.

In quinto capite oſtendere ſtuduit, omnium morborum cauſam in neruis eſſe quaerendam. Hoc partim ex rebus modo probatis apparere Ipſi videtur, partim ex hactenus incognitis variorum mor- p. 63

borum cauſis, atque ex analogia cum iſtis morbis, quorum cauſam in neruis quaerendam eſſe ſtatim appareat. Prioris aſſerti cauſa, recenſet varias adhuc celebratas morborum conditiones, vt vaſorum obſtructionem, quae non ſolum ſecundum ſuam ſententiam rarius occurrit, verum etiam a neruorum irritatione pendere videtur; deinde humorum reſolutionem putridam, haec propterea minus frequens morborum cauſa Noſtro videtur, quod ea ipſa, quae putredini plurimum reſiſtant, corporis ſaluti obſint, et quod ſanitas amiſſa haud raro eiuſmodi rebus reſtituatur, quae putredini gignendae ſint idoneae. Diſſeruit deinde de poſteriori ſententia, plurimos nimirum morbos a neruorum affectione corpori communicari. Huc contagioſa mala quaelibet, vt febres putridae, ſpectant, morbi porro a frigore, a venenis, orti; poſteriores in neruis latere ex eo apparet, quod interdum citius, interdum tardius corpori noceant, miasma quoque venereum atque varioloſum ad horum claſſem eſt relatum.

p. 74. In ſexto libro declarauit Cl. Auctor, medicamenta omnia neruina eſſe, quod partim heroicorum remediorum, quae in minima doſi ſunt proficua, partim analepticorum exemplo demonſtrauit, quae ab initio vtiles viſa, poſtmodum morbo pellendo non ſufficiunt. Deinde ad medicamentorum externorum contemplationem tranſiit, quorſum emplaſtra, epithemata, odoramenta, ſimiliaque pertinent, quae ſingula neruos ſtimulando, corpori ſalutaria fiunt.

p. 81. De animi in mutando corporis ſtatu efficacia et vi, in ſequenti ſegmento diſſerere pergit. Dicit nimirum, cauſas materiales atque intellectuales, eosdem haud

haud infrequenter excitare effectus, morbi ſequentes aliunde oriri ſoliti ab animi affectu, ſaepe producuntur, fracta nimirum concoctio a moeſtitia, febris ab ira, mors a nimia animi perturbatione. Neque deſunt exempla morborum a cauſis intellectualibus ſanatorum, huc ebrietas, odontalgia, podagra, febris lenta per terrorem ſublatae referri poſſunt.

In vltimo capite generaliores regulas ſiſtit, in ſanandis morbis neruoſis attendendas. Dixit nimirum, irritationem neruorum morboſam duplici ratione tolli, quarum alia nerui laxentur, alia denuo irritentur. Ad priorem claſſem v. g. aluiductiones, balnea, fomenta, epithemata, vnguenta pertinent, ad poſteriorem vero omnia neruis ſenſoriis quadam ratione moleſta. Recenſuit exempla variorum irritantium, vt veſicatoriorum aliorumque plurium, quae ſua irritatione priorem tollant. Pertinet ad haec opium quoque cortexque Peruuianus. p. 86.

XIV.

A treatiſe on the medical qualities of mercury in three parts. I. On the natural properties of mercury and its operation in the animal oeconomy. II. On the principal preparations of mercury. III. On the medical qualities of mercury in various diſeaſes. By N. D. FALK M. D. Lond. 1776. 8. pagg.

i. e.

N. D. FALK tractatus de uſu medico mercurii tribus ſectionibus, quarum prima attinet naturales

*) N. D. FALK *von den Queckſilber und deſſen Kräften bey verſchiedenen Krankheiten. Aus den Engliſchen überſezt. Leipzig*, 1777. 8.

turales proprietates mercurii et eius agendi rationem in corpore humano, ſecunda complectitur praecipua praeparata mercurialia et tertia ſpectat vſum mercurii in variis morbis.

Sect. I. Arbitratur Cl. Auctor, hydrargyrum in noſtris humoribus, tam in ſuo metallico ſtatu, quam ſolutum in iis, eſſe poſſe; effectum vero ſaliuationis ab eo pendere, quod ſolutum ſit in noſtris humoribus et antequam haec ſolutio fiat, hydrargyrum varias oportere pati mutationes. Alibi *), vbi de morbis veneriis agit Cl. Auctor ac inprimis glandularum, demonſtratum eſt ab Eo, corpus conſtare ex meris paruis glandulis, illudque vt vnam magnam glandulam conſiderari poſſe ex multis paruis glandulis compoſitam, quae omnes peculiares humores ſecundum ſtructurae ſuae diuerſitatem ſecernant et coniunctim corpori alio atque alio modo auxilium ferant. Quemadmodum hoc fit in ſano corpore, ſic fieri putat Noſter quoque in morboſo. Glandulae ſaliuales ſunt laxiores et eorum vaſa ampliora, quam omnes reliquae. Quapropter, vti videtur Noſtro, in iis facile ſaliuatio efficitur, cui autem prorſus non fauet. Mercurius dulcis ſeu calomel rite praeparatus, a Noſtro praefertur reliquis praeparatis mercurialibus, illique addit mercurium rubrum praecipitatum et ſublimatum corroſiuum. Reliqua mercurialia, partim plane noxia, partim magis curioſa, quam vtilia et certa, Noſter iudicat. Quapropter ea hic mittit et nonnullorum modo obiter mentionem facit. Antequam autem mercurii egregium vſum Cl. Auctor laudat, abuſum valde vituperat. Calorem iis, qui vtuntur mercurio, diligenter ſuadet. Igitur aeſtatem hyemi et clima

*) vid. indic. ſcriptorum in comm. noſtr. Vol. XXII. p. 729.

clima calidius frigidiori Noſter praefert cet. Mercurium crudum interne non exhibet Cl. Auctor.

Purificatio hydrargyri optima eſt per deſtillationem et quidem in vaſis ferreis, in quae illud nihil efficit et quae non frangunt. Cinnabari factitiae antiſpasmodicam virtutem tribuit Noſter, et in morbis inflammatoriis, ob ſedantem et temperantem ſuam vim, eius vſum ſuadet. Mercurii dulcis, quem valde laudat, granum vnum, vti Noſter expertus eſt, maius affert commodum, quam drachma vna. Praeterea vero vrget Noſter, crebram ablutionem mercurii dulcis, aqua, quacum terendus nempe ille eſt tam diu, dum in puluerem tenuiſſimum fatiſcit ita, vt aquae ſupernatet. Poſtea aqua tam ſaepe eſt mutanda, quam ſeparatio particularum crudarum poſtulat, et tum demum ad vſum ille mercurius ſiccetur. Ita non ſolum purus fit mercurius dulcis, ſed omni acredine, forte a ſublimato relicta, orbatur. Sequuntur annotationes ſuper puritatem et mangoniſationem mercurii, addita grauitate ſpecifica mercurii et eius praeparatorum cet. In verſione Germanica, cuius ſupra mentionem fecimus, reperitur tabula praeparatorum mercurialium. Sect. II.

His praemiſſis, Noſter de effectibus multis ſalutaribus mercurii in variis morbis agit. Cauſae morborum licet inter ſe multum differant, tamen poſſunt vnum eundemque effectum, h. e. eundem morbum producere. Hae enim neruoſum ſyſtema turbant, quod per ſuum influxum in humores corporis humani eos corrumpit et acredinis origini occaſionem praebet. Quapropter morbi modo reſpectu partis, quae potiſſimum patitur, et ſecundum varium eorum effectum in corpus humanum Sect. III.

Ii 3 gaudent

gaudent diuerſitate. Omne auxilium, quod ars medica fert, cernitur in deſtruenda acredine praeternaturali, quae ineſt corpori, reliqua cadunt in naturam. Morbi multi vno remedio poſſunt ſanari. Pauca itaque remedia ſufficiunt ad artem medicam faciendam et inter haec refert quoque Noſter mercurium. In cutaneis morbis a ſcabie vſque ad ſummum leprae gradum, ſit venerea ſeu alia acris materia, ſuadet mercurium praecipitatum album rubrumve externe et interne calomel ad acrimoniam temperandam et deſtruendam. Et haec eſt prima claſſis morborum cutaneorum, altera attinet eos, in quibus miaſma ſub omni cute latet. Atque hic praefert viuum mercurium aliis eius praeparatis, quoniam magis penetrat. Huc refert et Noſter gummata cet. Tandem laudat unguentum externe applicatum haemorrhoidibus coecis valde dolentibus cum cito et egregio fructu ſequens: ℞. Raſur. Stann. opt. Argent. viv. aa. dr. ij. M. F. Amalgam. cui adde mercurii praecipitati rubri ſubtiliter pulueriſati dr. ij. Pomat. Roſat. vnc. j. Olei eſſential. Menth. Piperit. gutt. XX. M. F. Vnguentum.

Inflammatione omni praeſente, eo potiſſimum eſt reſpiciendum, vt ſpaſtice contractae ſolidae partes relaxentur et humorum ſtagnantium acredo corrigatur. Atque hic pariter commendat Noſter mercurium. In ſphacelo, in ſenibus potiſſimum et macilentis ob humorum malignitatem ſuperueniente, laudibus extollit ſequens externum remedium: ℞. Mercur. ſubl. corroſ. ſcr. ij. Tinct. Cort. Peruv. HUXHAMI vnc. IV. Aether. Vitriol. vnc. iij. Olei menth. piperit. dr. ij. M. Porro in vlceribus varia ſuadet Noſter mercurialia, nec non ſcrophuloſos iuuat mercurio, quos tractat, vti venereos.

Hactenus de externis morbis egit Noſter: iam de internis videamus. Vſum mercurii vero internum

ternum, multo maioribus difficultatibus eſſe ſubie-ctum, quam externum, Noſter non inficiatur. Sedes enim morborum internorum ſaepiſſime dubia, motus humorum diuerſitas eorumque varietas, aëris differentia, in vniuerſum corpus influentis et e corpore omni in genere effluentis, dein ex pulmonibus et in pulmones in ſpecie, viſcerum functiones ſingulares eorumque connexio et ſympathia, nervorum peculiaris actio pro diuerſitate partium eorumque conſenſus cet. his difficultatibus admodum ſeruiunt. Inde intelligi poteſt oeconomia corporis, et diiudicari mixtio morborum eorumque ſimilitudo, primo vero intuitu morbi vel per ſe, vel quoad partes corporis, vbi eſt eorum ſedes, adeo valde diſtincti videntur. Communicat igitur Noſter hic ſuas obſeruationes, ac primum quidem, quae ſpectant febres. Harum claſſis eſt tanta, vt omnes omnino in ſe capiat humani corporis morbos, quibuscum ſenſatio dolorifica eſt combinata. Deſcripſit Noſter hanc claſſem febrium in tria genera, quarum primum perſequitur febres ſymptomaticas, alterum complectitur corruptionem ſ. malignitatem humorum, et tertium repetit Noſter a contagio. Per hanc ſimplicem quidem diuiſionem febrium, liceat multas ſubdiuiſiones efficere, attamen praeiudiciis ſepoſitis et praeternaturalibus effectibus febrium diligenter diſquiſitis, ratur Noſter, eas tam ſymptomatum, quam medendi methodi ratione valde parum inter ſe differre.

Item haec ipſa differentia non a cauſis, ſed potius a varia corporis conſtitutione et ſymptomatibus eſt deriuanda. Eſſentiale omnium febrium eſt dolorifica irritatio ſeu ſtimulus neruoſi ſyſtematis, quippe quo cor et eius vaſa fluida ita mutantur, vt organis ſecretoriis noxia euadant. Inde autem oeconomiam corporis totam ita perturbari neceſſe

 eſt,

eſt, vt illud de ſanitate, quid quod de vita, periclitetur. Porro in cuiuſcunque generis febre ſananda ad haec tria potiſſimum reſpiciendum eſt: 1) ad ſpaſticam contractionem fibrarum neruoſarum relaxare, 2) obſtructionibus ſubuenire, 3) et acrimoniam corrigere. Hoc praeſtat mercurius ideoque baſin omnium remediorum efficere debet, quorum ope acrimonia, ſanitati et corpori noxia, eliminanda eſt. Vrget duos potiſſimum errores, quos febribus medentes ſaepe committunt, temerarias et inconſideratas nempe venaeſectiones et ſudoriferorum abuſum, atque mercurii vſum tam externum, quam internum, praefert Noſter. E. gr. loco venaeſectionis, hirudinum, et veſicatoriorum, externe impoſuit temporibus et carpis (ſuadet interdum toti capiti) vehementer delirantis emplaſtrum mercuriale cum felici euentu, exhibito inſimul interne mercurio. Venit tandem Noſter ad chronicos morbos, quos in duos claſſes diuiſit, qui partim ab acrimonia humorum, partim a viſciditate et tenuitate eorum pendent, habita inſimul ſolidorum ratione. Et iis conducit mercurius: e. gr. arthritidem, calculum renum et veſicae, Noſter eo curauit. Sed tamen fatetur quoque non fuiſſe adeo inueterata mala, eaque non in ſummo gradu. Item iuuat mercurius ſcrophuloſos et ſcorbuticos. Scorbuticis quoque bene conueniunt exhalationes animalium recens mactatorum et aceti vapores. Praediſponens cauſa hydropis in vniuerſum cernitur in debilitate vaſorum lymphaticorum, quae, vti Noſtro videtur, potius a reſpiratione impedita, quam ab alio viſcere laeſo, pendet in hydropicis. Mittamus hanc Noſtri ſententiam, quam cum Noſtro adhuc obſcuram putamus, et de triplici hydropis medela videamus. Ac prima quidem cernitur in reſtituenda exhalatione et renouatione aëris in no-

ſtris

ſtris humoribus contenti: ſecunda conſtat in iuſta elaſticitate fibris debilitatis reddenda: et tertia reſpicit viſcidorum et acrium humorum correctionem. Triplici autem huic medelae hydropis reſpondet mercurius, cautione adhibita, item addere hic oportet, Noſtrum experientia ſua edoctum, ea ſpecie hydropis, quem mercurius non iuuat, omnia reliqua medicamenta prorſus quoque eſſe ſuperuacanea. Denegatur iis aegris potus, et id tam crudele, quam rationibus deſtitutum Noſtro videtur, quin potius ſuadet potum antiſepticum, qui copioſe ingeritur. E. gr. ℞. Rad. Petroſelin. rec. Mell. rec., aa. vnc. III. coq. c. Aq. comm. unc. XVI. Colatur. adde Nitr. depurat. unc. j. mercur. ſublim. corroſ. gr. j. Vin. Canarienſ. et Sacch. alb. q. ſ. ad grat. ſapor. M. Hydatides potiſſimum inueniuntur in partibus genitalibus ſexus ſequioris e. gr. ouariis e. ſ. p. Conqueruntur feminae tum non raro de dolore vnius ſ. vtriusque lateris ſub vmbilico, et hic dolenti loco emplaſtrum mercuriale non ſaepe fruſtra applicuit. Interdum ita vel ſterilitati ſuccurrit Noſter.

Sed ſufficiant haec. Nec diffitemur quidem magna cum voluptate hunc librum nos legiſſe, qui multa lectu digna eaque interdum vere noua, experientia Noſtri prudenti et cauta confirmata, in ſe contineat; attamen dubitamus, quemlibet medicum Cl. FALK vbique, e. gr. in febrium medela, facile eſſe imitaturum. Quapropter magna cautio, quam iure meritoque Cl. Auctor Ipſe poſtulat, hic eſt adhibenda, et a nobis quoque maximopere ſuadenda.

XV.

XV.

ED. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae. Liber ſecundus L. B. 1778. apud P. v. D. Eyk et D. Vygh. 4. c. tabb. aen. 8. pagg. 164.

Libro harum obſeruationum primo *) a nobis indicato, inſtituti huius vtilis cum dederimus rationem, ad ſecundi progrediamur ſummam breviter cum Lectoribus communicandam.

p. 1. 1) *De vtero grauido.* Nominatis variis Auctoribus, qui in hanc rem inquiſiuerunt, Cl. SANDIFORT ſuas propoſuit obſeruationes atque iconibus potiſſimum ideo illuſtrauit, quoniam plurimae, quae exſtant vteri grauidi tabulae, eundem extra corpus, extra naturalem proinde ſitum ſiſtunt, aut tanto artificio paratae ſunt, vt maximo diuendantur pretio, nec quiſque eas facile ſibi comparare poſſit; ex Noſtri vero iconibus hic additis paruis licet, ſed partes omnes ſic exhibentibus, vt relatiuus ſitus rite pateat, ea, quae ſcitu neceſſaria ſunt, diſci commodo valere Noſter arbitratur.

p. 16. Multa in hoc caſu eſſe, quae attendi et legi merentur, atque, vti a Noſtro hic factum eſt, cum aliis obſeruationibus comparari, facile intelligitur ex ſitu et figura vteri, ſede et nexu placentae, numero membranarum ouum formantium, liquoris amnii natura, ſitu fetus, vteri craſſitie et peluis dilatatione, quae quidem omnia a nobis ſeorſim hic non poſſunt repeti. Fallaciam in definiendis grauiditatis menſibus partim ex ſuo exemplo, partim ex aliorum obſeruationibus Noſter largitur.

2) *De*

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 462.

2) *De obliquitate vteri, praeternaturali orificii ipſius conſtitutione et tubis Fallopianis penitus occluſis.* Obliqui ſitus cauſſas alias atque alias eſſe poſſe, alibi *) iam Noſter demonſtrauit. Hanc vteri obliquitatem Cl. Auctor vidit in mulieris cadauere, quod nullum omnino praegreſſae grauiditatis ſignum exhibuerat. Eius vagina praeter modum anguſta et contracta, vterus valde paruus, ligamentum latum dextrum breuiſſimum, ſiniſtrum longiſſimum; hinc tantus erat obliquitatis gradus, vt de corpore vteri nihil omnino media in pelui conſpiceretur. Ouaria parua et tubae firmiter clauſae. p. 57.

In alio cadauere ſiniſtrorſum obliquus erat vterus. Latum ligamentum dextrum longiſſimum, ſiniſtrum breuiſſimum. Tubae, ouaria cum vtero et hic cum viciniis ſic concreta erant, vt nec diſtingui, nec ſeparari, potuerint. p. 57.

In alio cadauere inclinabat ſeſe vteri fundus verſus dextrum latus immobilis, ob inaequalem ligamentorum longitudinem et ob quoddam ligamentum ſupernumerarium cet. p. 58.

Plenam orificii vterini obliterationem Noſter non vidit, ſummam vero eius coarctationem. Et ille vterus magnitudine et craſſitie erat notabilis cet. p. 66.

Tubas in extremitatibus clauſas vel in ligamenti ſpeciem mutatas Noſter reperit in vtero feminae, quae pluries peperiſſe videbatur. Variis hac de re additis monitis, probabilis maxime redditur adſcriptus hodie tubis vſus, in eo ſitus, quod tempore coitus ex ouariis ad vterum foecundum transmittant ouum, cui opinioni viſa tubarum ad ouaria contorſio, fetus in tubis reſidentes, ſimiliaque anſam dederunt. p. 73. p. 75.

3) *De ouo humano abſque vllo fetus indicio et placentae in hydatides degeneratione.* Ouo hoc deſcripto p. 76.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 469.

ſcripto et iconibus illuſtrato, aliorum obſeruationes huc pertinentes diligenter Noſter perſcrutatus eſt, inter quas Cl. BVRDACH *) obſeruationem quoque deprehendimus. Hydatides hic ex vaſis oriri neminem negare poſſe Noſter ratus eſt.

p. 90. 4) *De placenta duplici; rariori funis vmbilicalis cum illa nexu; veris nodis in fune viſis.* Comparato hoc exemplo cum aliis **) vtilitatem huius obſeruationis in arte obſtetricia Cl. Auctor oſtendit.
p. 100. „Caueant a rudiori velamentorum laceratione ob ſummum ex diſruptis, ſi tali modo per velamenta diſpergerentur, vaſis enaſciturum periculum. Caueant, ne, nato iam infante, funem adtrahant, placentam producturi, cum facillime abrumpi poſſet et in vtroque caſu rem potius naturae committant, ſibi plerumque ſufficienti.„

p. 106. 5) *De rudiori placentae protractione indeque nata lethali matricis inflammatione.* Secto cadauere vteri et vicinarum partium inflammatio in conſpectum veniebat. Vterus erat inſignis magnitudinis, et oſtio aperto gaudebat. Placentae vi euulſae portio partim in putredinem verſa erat, partim ita adhaerebat, vt ſeparari nequiret cet. Ex hac obſeruatione potiſſimum intelligitur, poſſe ita ſuppreſſionem vrinae oriri, item continuo lotii ſtillicidio praeſente magnam quantitatem ineſſe valere veſicae. Nam ope catheteris inſignis nihilominus ingens vrinae copia euocabatur in hoc exemplo.

p. 115. 6) *De anchyloſi oſſium pubis.* Deſcribit et iconibus illuſtrat hic Noſter exemplum, anchyloſin pubis oſſium oſtendens et exoſtoſes. Anchyloſin cum

*) v. comm. noſtr. tert. decad. Supplem. I. p. 80.
**) v. ib. p. 189. ſqq. et Vol. XX. p. 611.

cum Cl. GAVBIO adeſſe dicit Noſter, cum articuli ita abrigeſcunt, vt eorum motus prohibeatur. „Innominata cum ſacro ſic confluxerunt, vt nullibi ſpatium intermedium detur et nexus adeo firmus ſit, vt vnum idemque os formare videantur; oſſa vero pubis, ab anteriore ſeparata, a poſteriore ſeu interiore cohaerent, deperdita quaſi cartilagine omni. Conſtituit itaque haecce peluis vnicam maſſam oſſeam cet.„ Viri peluim dum deſcribit Noſter, nihil vlterius inde concludit, licet in pelui muliebri etiam ſimile vitium deteɛtum ſit. p. 118.

7) *De numero diuerſarum partium ſolito maiore.* Bis venam, ceterum ſine pari, duplicem Noſter vidit. Hepatica et lienalis arteria, diſtinɛtis oſtiis, ex aorta originem duxit. Duplex adfuit ſpermatica in quoque latere, duplex in ſiniſtro. In brachiales arterias binas ſeceſſit ſubclauia dextra. Duɛtus pancreaticus duplex cet. Ren dexter feminae duplici pelui et vretere inſtruɛtus, cuius icones ſunt additae. p. 125.

8. *De vaſe chylifero.* Eius principium in femina gaudebat inſigni capacitate et longitudine, ſic vt illa craſſitiem digiti medii, haec pollicem ſuperaret cet. Vas chyliferum ex capaciſſima cyſterna ortum, per thoracem adſcendens, verſus ſiniſtrum latus recedens, anſam formabat, ramis iterum ad ſe accedentibus, tum vero in quatuor findebatur ramos, binos maiores, totidemque minores qui omnes diſtinɛtis oſtiis in vena hiabant. In alio corpore, vti ALBINVS *), duɛtum fere obſeruauit Cl. SANDIFORT.

Atque ita figurarum explicatione, indicibusque capitum et rerum additis hic liber ſecundus finitus eſt.

XVI.

*) v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 260.

XVI.

Primae lineae ſemiologiae pathologicae. HERMANNI BOERHAVII viri ſummi inſtitutiones ſemioticas auxit et praelectionibus academicis accommodauit D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS Conſiliar. Intim. Aul. Brandenburgic. Medic. Prof. Primar. Acad. Imper. Nat. Cur. Adi. Societ. Scient. Monſpeliens. et Rhotom. Sodal. Erlang. a Frid. Andr. Schleich, 1776. 8. pagg. 101.

Nimiae breuitati magni BOERHAAVII debemus haec ſupplementa, quae, Cl. Auctor, in vſum auditorum vtiliter hic tradit. Nec immodeſte profitetur Noſter, ex HIPPOCRATIS aut GALENI aliorumque inſtitutionibus haec ipſa ſupplementa eſſe repetita, additis iis obſeruationibus, quas Cl. DELIVS Ipſe collegit, et ſecundum functiones vitales, naturales, et animales, vt re et nomine inſeruirent, digeſta. Quae BOERHAAVIVS, dum ſemioticam vniuerſam tradere ſecum conſtituerat et ſigna ſanitatis docuerat, praeter ea, quae hic, vt lemmata, accipiuntur, ea conſultius duxit Cl. Auctor, ad hygieinen, diaeteticam cet. amandare et ſuis locis reſtaurare. Reliqui autem paragraphorum numeri non turbati ſunt, quaeque addita, ſpeciatim interpuncta, vt tamen nonnulla quoque,
p. 31. complementi ergo ex ipſius Auctoris pathologia hic inſerta reperiuntur. Largitur vero Cl. DELIVS hoc ſcientiae ſemioticae compendium non omnibus numeris eſſe abſolutum, et id circo ſuadet huius doctrinae hiſtoriam litterariam addere, vti et Ipſe hic fecit. Haec et alia e. gr. de ſignis morborum et de ſignis ſtatus morboſi et omnino de ſemiotica generali

nerali et ſpeciali cet. legimus in praemiſſa inſtituti ratione, nos vero iam de nonnullis ſingulis videamus, a Noſtro iis, quae a BOERHAAVIO *) ſunt ſcripta, additis.

Ad §. 871. Nexus et differentia *pathologiae* et *ſemeiologiae*. Notio *morbi*, effectuum morbi ſ. *ſymptomatum*, actiuorum et paſſiuorum. Notio *ſtatus morboſi* ſ. praeternaturalis, *ſchematis* morbi, *hiſtoriae* et *nomenclaturae*, in quauis *vernacula*, morbi nec non *claſſificationum* morborum et *noſologiae*. De *characteriſtica* in genere. p. 17.

Differentia ſemiotices phyſiologicae, et pathologicae. Excuſatio Cl. Auctoris, de ente loquentis. Sed tamen exiſtentiam, et eſſentiam, rei, ſubiectiue, et obiectiue, ſumtae, de qua agitur et in concreto, conſiderare oportet.

Curationis morbi, et ſanationis, differentia, et conuenientia. De ſemiotica, therapeutica, et diſcreta, ne quid nimis, nec minus, fiat. De eo, quod, pro re nata agere poſſunt, et debent, medici rationales, et eo, quod ſaltem obſeruare, vel enunciare queunt.

Ad §. 873. De *iudicio intuitiuo*. De ſemiotica *hiſtorica et philoſophica*. p. 18.

Ad §. 878. De *typo*, *paroxyſmo*, *genio morbi* v. c. in variolis, tertiana, cachexia, ſcorbuto, coryza cet. p. 21.

Ad §. 881. De *morbo ſibi relicto*, et congrue, vel ſecus, tractato. De autocratiae natura. De morbi inuaſione, incremento, ſtatu, declinatione: in ſtadio vario. Characteres ſanitatem, eamque relatiuam, deſignantes melius in Higieine traduntur, qui itaque hoc loco ſeparantur. Vt tamen in corpore humano, apparenter ſano, etiam quaedam apparere poſſint, e quibus ad ſtatum praeſentem, p. 21.

*) Omittimus Boerhaaviana verba ſpatio parcendi cauſa.

tem, vel praeteritum, vel futurum, concludi poteſt; vt in habita, repleto; in conformatione ſingulari, varia.

Opportunus nunc locus eſt enarrationi hiſtoriae litterariae ſemiotices.

p. 23. Ad §. 900. De *examine* aegroti, rite inſtituendo, ſuccincto, interdum politico. In morbis acutis, et chronicis. In aegroto iam noto, vel primum viſo, ſeu nunciato. Conſideratio indiuidui ſecundum: 1. Res naturales, quales ſunt: ſexus, aetas, temperamentum, conformatio, conſuetudines, vitae genus. Anectotae variae. 2. Non naturales, quae ſunt: aër, locus habitabilis, clima, cibus et potus, motus et quies, ſomnus et vigiliae, excreta et retenta, pathemata animi. 3. Praeternaturales, quorſum pertinent: ſtatus praeſens, alienus a ſtatu ſano, collectio ſymptomatum. Cauſſa morbi inopinata, occaſionalis, varia. Venenum. Miaſma. Morbus antecedens. Laeſiones externae. Morbi diſſimulati, vel ſimulati. Remedia adhibita varia. Illuſtratio per exempla, et caſus, in terminis, dictos: et vnde hae lacrimae? De conſcribenda hiſtoria morbi. De conſiliis medicis. De patientia aegroti, et medici, vtriſque ſalutari, oneroſa, et diſcreta.

p. 30. Ad §. 914. De *ſcorbuto*.

p. 37. Ad §. 925. Notio *reuolutionis morboſae*.

p. 51. Ad §. 956. Exemplo *veſicatoriorum: podagrae: efflore ſcentiae: excoriationis*.

Supplementum. Breuis ſciagraphia morborum pecorum, chronicorum, et ſic dictorum epizooticorum; benignorum, et malignorum; vt et topicorum, et cuiuis generi animalium propriorum: cum ſignis potioribus.

p. 56. Ad §. 958. De modo *explorationis pulſus*. Menſurae. Numerus. Rhythmus. Eurythmia. Arythmia. De pulſibus Sinenſium. De pulſibus organi-

organicis, et artibus ſphygmicis, nouiter ſtabilitis. De cauſis mutationum. Conf. 969. De pulſu proditore pathematum. Sympoliſmus cum reſpiratione.

Ad §. 968. De *aeſtu volatico. Erubeſcentia.* p. 60.

Ad §. 976. De *reſpiratione exanthematum praenuncia.* Vom Heben und Iagen. p. 62.

Ad §. 995. De *ſtimulo vario.* Et a vicinia. Nexus ſyſtematis vropoieſeos, et ſpermatopoieſeos. p. 78.

Ad §. 1017. De *capſulis*, ſic dictis, renalibus, ſ. atrabilariis. p. 85.

Quae hactenus additamenta Cl. DELII recenſuimus, cuilibet BOERHAAVII paragrapho ab Ipſo ſunt adiecta, nunc ad ea capita tranſeamus, quae inſtitutionibus BOERHAAVII ſemioticis interſperſit. Praeterea ſchema dierum criticorum IVNCKERI *) auctum hic eſt additum.

Caput III. *De motus tonici alteratione, vt ſigno.* p. 52.

Caput VI. *De ſanguine et haemorrhagia, vt ſigno.* p. 66.

Caput VII. *De ſudore, vt ſigno.* p. 69.

Caput VIII. *De ſputo, vt ſigno.* p. 70.

Caput IX. *De functionibus primarum viarum et vomitu et aluinis deiectionibus, vt ſigno.* p. 73.

Caput XI. *De tumoribus et abſceſſibus, vt ſigno.* p. 87.

Caput XII. *De actionis animalis ſenſuumque, et motus voluntarii alteratione, vt ſigno.* p. 89.

Caput XIII. *De facie, partibusque externis, vt ſigno.* p. 97.

*) EIVSD. conſpect. ſemiolog. p. 399.

XVII.

EDVARD. SANDIFORT theſaurus diſſertationum, programmatum aliorumque opuſculorum cet. Vol. III. cum tabb. aeneis L. B. 1778. 4. pag. 623. praeter praefationem et contentorum indicem.

Laudauimus iam in duobus voluminibus prioribus a nobis indicatis *) huius inſtituti utilitatem et Noſtri huius rei expediendae aſſiduitatem atque diligentiam. Quapropter hic ſolummodo in enarrandorum contentorum exque iis a nobis iam commemoratorum indicandorum verſabimur occupatione.

p. 1. 1) I. BAADER *obſeruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illuſtratae* **).

p. 63. 2) IO. CHRISTIAN. BRVNS diſſ. inaug. exhibens *obſeruationes quasdam anatomicas et chirurgico medicas*, Gotting. 1760. Inſunt obſeruationes oſteologicae, circa angiologiam, de partibus genitalibus ſexus potioris, de grauidis, item placentarum hordae ſ. fordae deſcriptio, annotationes de remediis variis.

p. 83. 3) *Obſeruationes medico chirurgicae*, quas pro Licentia ſummos in arte medica capeſſendi honores exhibuit ANTON. HOGG, Ien. 1762. 4. Hae attinent ileum morbum, vbi illius operationis chirurgicae rarioris fauſto et infauſto exitu a ſe inſtitutae mentionem facit Noſter, quae in morbo iliaco interdum eſt adminiſtranda et quae conſiſtit in apertura abdominis et partis inteſtini, vbi potiſſimum voluulus haeret. Habuit quidem haec operatio et infauſtum euentum, qui tamen non ab hac proficiſcebatur, ſed a nimia dilatione eius. (Scimus et

*) v. comm. noſtr. decad. IIdae Suppl. IV. p. 731.

**) v. ib. Vol. XII. p. 614.

et nos quaedam exempla, quae operatione hac ſunt ſeruata, e contrario autem non negamus, nos eam fruſtra feciſſe, quoniam pariter nimis diu dilata erat operatio.) Inteſtino repoſito ex parte gangraenoſo, illud humectabat Noſter ſpiritu vini rectificatiſſimo. Quo facto, ſymptomata omnia ceſſarunt et res bene ſucceſſit. Arbitratur itaque Noſter inunctionem huius ſpiritus, quando tunicae externae inteſtinorum gangraena correptae ſint, optimum eſſe remedium eam curandi. Gangraenam ſine membri amputatione ſecundum methodum Cl. BILGVERI Noſter curauit.

4) OOSTERDYK *diſſ. de aceto* *). p. 95.

5) PHIL. ADOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. *de vrinae ſe et excretione ob multitudinem arteriarum renalium largiore caſu quodam ſingulari illuſtrata*, Auctore *Carol. Henric. Meuder.* Hal. ad Sal. 1763. 4. c. f. Quibusdam de ſe et excretione fluidorum praemiſſis disquirit Noſter, cum et quo modo haec multitudo arteriarum eueniat, inquirit porro in renum ſtructuram et vſum, et inprimis hunc caſum perſcrutatur et examinat: num talis vrinae excretio homini noceat, ſeu corpus aliquo modo mutet, vltimoque loco an ea quosdam morbos iuuet vel impediat. p. 123.

6) HERRMANN. BEZOET diſſ. inaug. *de modo, quo natura ſolutum redintegrat. L. B.* 1763. 4. Vulneris ſimplicis variis ſtadiis conſideratis, nouam ſubſtantiam in vulnere non renaſci probat Noſter, luxuriantis carnis originem monſtrat atque leges tradit, ſecundum quas natura ſolutum redintegrat; disquirit porro vulnera, quae curantur, etiamſi aliquid de ſubſtantia corporis fuerit amiſſum et corollaria addit de cicatricibus et ratione vulnerum coaleſcendorum aliaque huc pertinentia. p. 149.

*) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 642.

p. 169. 7) ED. SANDIFORT diſſ. inaug. *de pelui eiusque in partu dilatatione ib. eod.* Data peluis omniumque partium, quae hanc componunt, deſcriptione diligenti, vere eius oſſa moueri in partu totamque dilatari variis argumentis probauit Noſter.

p. 190. 8) IO. MICH. THIERRY diſſ. inaug. *de partu difficili a mala conformatione peluis* Argent. 1764. 4. Breui peluis deſcriptione praemiſſa, ipſius oſſa non in partu ſemoueri niſi in iunioribus et ſumma adhibita vi; annoſiorum vero oſſa potius disrumpi, quam ſeiungi arbitratur Noſter; porro dimenſiones tradit, vitia peluis examinat et obſeruationem notatu dignam de parturiente, ob exoſtoſin in oſſe ſacro, paucis poſt partum praeterlapſis horis mortua, addit.

p. 203. 9) H. A. WRISBERG *deſcriptio embryonis* *).

p. 253. 10) H. P. LEVELING diſſ. *de pyloro* **).

p. 271. 11) LAVR. CLAVSEN *de inteſtini duodeni ſitu et nexu* ***).

p. 291. 12) T. G. TIMMERMANN *de belladonna* ****).

p. 311. 13) C. R. HANNES *de puero epileptico foliis aurantiorum recentibus ſeruato.* Vpſal. et Lipſ. 1766. 4. Foliorum horum vis antiepileptica, quam alii †) quoque laudarunt, hic probatur. Addidit hic Cl. SANDIFORT, quae Cl. HANNES de eodem remedio et de moſcho inſeruit nouis act. Acad. Caeſar. Vol. V.

p. 324. 14) B. PATVNA *hiſtoria fetus ſine inuolucris extra vterum cet.* ††).

15) FR.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 420.
**) v. ibid. p. 447.
***) v. ibid. Vol. VII. p. 247.
****) v. ib. Vol. XV. p. 544.
†) v. indic. tripl. noſtr. comment. IIdae decadis ſub verbo aurantia.
††) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 345.

15) FRANC. BIVMI *obſeruationes anatomicae* p. 340. *ſcholiis illuſtratae*, Mediolan 1765. Traditur primo loco hiſtoria morbi, tum cadaueris ſectio, deinde caſus relatus examinatur et cum aliis comparatur. En elenchum harum decem obſeruationum; Arcus aortae oſſeus et aneurysmaticus. Hepar ſteatomatoſum. Calculus inſignis ilei. Plexus choroidei cruore diſtanti cet. Carotis ad receptaculum VIEVSSENII aneurysmatica cet. Calculi cyſtici et lien cartilagineus. Sanguis in ventriculis cerebri concretus cet. Velamentum mucoſum pulmonis dextri. Pulmo dexter conſumptus. Arteria magna oſſea, cor mole auctum cet.

16) D. COLOMBIER diſſ. *de ſuffuſione ſeu cataracta oculi anatome et mechanismo locupletata.* p. 401. Pariſ. 1765. Praemiſſa oculi anatome cataractam deſcribit, cauſas, ſpecies, diſcrimina a morbis affinibus, diagnoſin, prognoſin medelamque tradit Noſter, depreſſionem dein et extractionem ipſius correctiones disquirit, quasdam circa operationes has animaduerſiones addit, ſuam methodum deſcribit, modum denique, quo diuerſae cataractae ſpecies in diverſis caſibus operatione ſanandae ſint, ſubiungit.

17) IO. FRID. REICHENBACH diſſ. inaug. continens *cautelas et obſeruationes circa extractionem cataractae nouam methodum ſynizeſin ſiſtentes.* p. 437. Tubing. 1767. 4. Morbi deſcriptione exhibita et eius ſede anatomice examinata, quatuor exempla enarrat, operandi modum, ab aliis propoſitum perſequitur, ſuamque methodum communicat.

18) IO. DAN. METZGER *neruorum primi paris hiſtoria* *). p. 457.

19) A. B. R. HIRSCH *paris quinti neruorum encephali disquiſitio* **). p. 477.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 268.
**) v. ib. Vol. XIV. p. 530.

p. 501. 20) E. KRÜGER diſſ. *de neruo phrenico* *).

p. 528. 21) Diſquiſitio phyſiologica *de eo, quod vitam conſtituit in corpore animali*, Praeſ. GVALTH. VAN DOEVEREN Auctore et Reſp. *Matth. van Geuns*. Groning. 1758. Pertinet haec diſquiſitio accurata ad phyſiologiam generalem. Ac primum quidem praemittuntur quaedam ad rem generatim facientia, dein quibus actionibus conſtet vita et ad quam ſimplicitatem hae poſſint reuocari. Omnem nempe motuum et functionum in corpore mirabilem et ſtupendam varietatem ſoli compoſitionis fibrarum partiumque infinitae organiſationis et maxime compoſiti mechanismi diuerſitati, *ſimplicem contractionem* varie moderanti tribuit. Haec vero vitalis contractio differt celeritate, vehementia, aequabilitate cet. Quo facto, in ſedem et naturam cauſarum iſtius vitalis contractionis inquirit Noſter, an ſcilicet vitaliter agendi principium ipſis motricibus fibris inhaereat et qua ratione. Porro inquiritur in ſuppetias partibus irritabilibus et integrae corporis oeconomiae accedentes. Item de ratione et cauſis phaenomenorum irritabilitatis atque energiae neruorum earumque conſpirationis diſputatur. His traditis vitae corporis integri accuratior idea exhibetur et ad difficultates reſpondetur.

p. 567. 22) Diſſ. pathologica inaug. *de morte corporea et cauſis moriendi*, Auctore MATTH. VAN GEVNS L. B. 1761. 4. Mortem eiusque cauſas in genere et mortis diuiſionem, tum moriendi varias rationes, mechanicam mortem ex vitiis mixtionis variae, moriendique rationem dynamicam Noſter examinat. Triplici potiſſimum modo mors ſubſequi poteſt ſecundum tria illa, quae in corpore viuo diſtingui oportet, *mixtionem, mechanismum, vires*. Priorem mortis

*) vid. comm. noſtr. Vol. VII. p. 430.

mortis cauſam vocat Noſter vitium mixtionis, ſeu ipſius materiae, alterum mechanicum ſeu inſtrumentarium, tertium dynamicum.

XVIII.

FERDINAND LEBERS *Jhro Röm. K. K. Apoſtol. Maj. Raths, der Wundtarzneykunſt D. der Zergliederungskunſt, der theoretiſchen und pracktiſchen Wundtarzneykunſt ordentl. und öffentl. Lehrers auf der hohen Schule zu Wien, des löbl. k. k. Stadt und Landgerichts, wie auch der löbl. Bürger und St. Markes Spitals erſten Wundarztes cet. cet. Vorleſungen über die Zergliederungskunſt. Wien, bey Rudolph Gräffer,* 1776. 8. *pagg.* 528. ſine praefatione indicibus et tabula articulationum.

i. e.

Praelectiones anatomicae Auctore FERDINANDO LEBERO.

Indicamus huncce librum eo lubentius, quo magis ſimilem diu deſiderabamus. Pertractat autem Cl. Auctor, qui nuper quoque huius libri latinam verſionem*) curauit, ſingulas anatomici ſtudii diſciplinas ab oſteologia ad ſplanchnologiam; quemadmodum et ſingularum partium ſitum, figuram, proportionem et reliquas proprietates ſedulo et accurate diſquirit. Pleraque noua inuenta anatomica ſingulis locis inſeruit atque nobis inprimis eo laudandus videtur, quod idonea et haud incongrua propoſuerit nomina partium corporis humani Germanica.

*) Praelectiones anatomicae, Vindobonae, 1778. 8.

In oſteologia recenti ſiue ſyndesmologia peri-
oſteum, cartilagines, medullam oſſium et ligamenta
deſcribit atque contendit perioſteum potiſſimum
oſſibus datum eſſe, vt vaſa cauo oſſium medullari
adducat, apophyſes oſſibus applicet atque muſcu-
lis affigendis inſeruiat, quamuis quidam muſculi
p. 135. proxime cum oſſibus cohaereant. Color oſſium
recentium variat pro ſitu et corporis ipſius aetate;
p. 140. dentibus eſt margaritaceus ſubgriſeus. Medulla
oſſium mox rubicundior, mox magis diluta, tranſit
ad ipſas articulationes per vaſa minima ibique ſe
p. 142. cum ſynouia commiſcet. Gignitur autem et com-
ponitur ſynouia ex ipſa medullae oleoſa parte, mu-
co a glandulis ſecreto et aquoſo fluido ex arteriis
ligamentorum exſudante.

In Myologia vſus eſt Albinianis, atque in angiologia, cui circulationem ſanguinis in fetu adiunxit, Hallerianis denominationibus, quibus ſubiunxit breue lymphaticorum vaſorum examen.

p. 355. Glandulas diuidit ſecundum ſtructuram in
ſimplices, e ſimplicibus compoſitas, conglobatas et
conglomeratas et ſecundum humores, quos ve-
hunt, in muciparas, ſebaceas, lymphaticas, ſaliua-
p. 358. les et lacrymales. Vſum glandularum congloba-
tarum incognitum putat. In conſideratione viſce-
rum, quae vltimo loco perſcrutatur vaſa atque ner-
vos non omiſit, ſicuti et pancreatis parui et ana-
tomiae fetus mentionem iniecit.

Nos autem alteram huius libri partem, ſcilicet chirurgicam, quam Cl. Auctor editurus eſt, ſimili ſtudio exaratam auide expectamus.

XIX.

Mediciniſche, chirurgiſche, theoretiſche und prackti-ſche Betrachtungen über alle Arten der veneri-ſchen Krankheiten, nebſt einer ſichern und für einer jeden bequemen neuen Heilungs - Methode herausgegeben, von D. I. C. SCHREIBER. *Ber-lin, gedruckt bey Chriſtian Sigismund Spener,* 1775. 8. *Seitt.* 47.

i. e.

Medicae, chirurgicae, theoreticae et practicae meditationes ſuper omnes ſpecies morborum venereorum. Addita ſecura et cuilibet accommodata noua medendi methodo. Auctore I. C. SCHREIBER M. D.

Antequam Noſter ſuam methodum venereos aegros tractandi communicat, breuiſſime hiſtoriam et deſcriptionem mali venerei, eiusque partialem et vniuerſalem infectionem, huius miasmatis naturam, noxas huius mali in communi vita, medendi methodos celeberrimorum virorum in infectione partiali et vniuerſali perſequitur. Noſtri ratio medendi cernitur in remedio plerumque indolis vegetabilis, praecipuis humores depurandi et attenuandi virtutibus praedito, quod inſenſibilem in modum miasma ſiphylliticum e corpore emittit atque educit, per vrinam vel per lenem ſudorem et niſi per has vias, per aluum. Conduxit Noſtro non ſolum in his, ſed etiam in aliis chronicis morbis, inprimis ſi acredo ſpiſſitudoque humorum et viſcerum obſtructiones aderant. Formam huius remedii poteſt aeger eligere et bibat aeger decoctum ex radicibus, vel ſi aegri res hoc non permittant, decoctum hordei ſeu puram aquam. Mo-

deratum vſum vini et cereuiſiae, dulcium et acidorum eſculentorum non interdicit in ſua methodo, nec aëris fugam poſtulat. Interea in locali infectione externa quaedam adhibet remedia. Pollicetur hanc ſuam methodum experientia ſua comprobatam fortaſſe proxime penitus detegere et declarare.

XX.

Noua Phyſico Medica.

Bataviae in India Orientali fundata eſt die XXI. April. CIƆIƆCCLXXVIII. litterarum Academia, quae ſecum conſtituit, rem Indiae oeconomicam emendare, et has leges ſanciuit:

1) Conſtabit Societas ex Praeſide, cui muneri Rector vrbium Hollandicarum in India hac ſitarum praeerit, qui in ſingulo conuentu, res adhuc actas Societati referre debet; ex Directoribus, qui e membris ſupremi ſenatus eligentur; atque ex Membris, inter quae cuiusuis conditionis, huius vicinarumque vrbium incolae recipiuntur, quae quouis anno 4. philippeos ſaltim vel 11. numos Imperiales pro expenſis a Societate faciendis, conferre debent.

2) Conuenient vero Socii bis quouis in anno, in magno arcis Batauianae triclinio, primo lunae die menſis Februarii atque Auguſti. Praeterea quoque, circa cuiusuis menſis initium, vnus e Directoribus, cum octo membris huic officio conſtitutis, quibus curatorum nomen eſt, in ipſius aedibus, litteras ad Academiam transmiſſas recenſet, easque ordinabit.

3) Etſi ea, quae de mercaturae in hisce terris progreſſu, agricultura, atque nauigationis ſecuritate exponunt, Academiae ſint gratiſſima; interim tamen aliarum diſciplinarum quoque, vt phyſicarum et medicarum emendationem, antiquitatum

tum in patria inueſtigationem, atque morum praecepta Socii optant.

4) Summa quidem praemii pro obſeruationibus transmiſſis, definietur, ex obſeruationis vtilitate atque praeſtantia: promittit tamen concio, ſe ad minimum centum numorum imperialium Hollandicorum, quos *Ryksdaalers* dicere conſueuerunt, eſſe daturam. Praemium vero quaeſtionum, quarum quouis anno duas proferre conſtituit, nummus aureus erit, centum philippeos valore aequans. In huius altero latere palma cum armis Batauiae et inſcriptione *Ter Nutte van het Gemeen* in altero vero verba *Bataviaaſch Genootſchap opgericht, den* 24 *April*, 1778. ſculpta leguntur. De praemio hoc certare, quilibet poterit, ſi de Praeſide atque Directoribus Academiae receſſeris. Genere dicendi vero Belgis proprio, in conficiendis libellis pro Academia deſtinatis, eſt vtendum, eorumque imprimendorum curam Societas adminiſtrabit.

5) Pecuniae a Sociis collatae pars, inter Auctores obſeruationum vel libellorum Academiae transmiſſorum diſtribuetur; reſidua vero Academiis Harlemenſi, Roterodamenſi atque Vleſſingenſi tradetur, quo iſtae in Belgio Europaeo tractatus vtiles hac redimant.

6) Res obſeruatione dignae, in has diſtributae ſunt claſſes; in agriculturam, piſcatum, manufacturas, mechanicam, hiſtoriam litterariam et medicinam. Omittimus plures illarum, a noſtris ſtudiis alienas. Exempli loco e priori claſſe, in qua XXIII leguntur obſeruationes, notamus has:

Indicare diuerſas radices facile ſerendas, quae frumento deficienti ſubſtitui poſſunt:

Docere methodum, qua Theobroma Cacao in his terris coli debeat, quo ipſius fructus, Caraguenſibus conueniant:

Appor-

Apportare ex Perſia oues Kiermenſes, eosque ita ſeruare, vt lanae natura non mutetur.

In medica claſſe vero haec leguntur:

Quaenam ſit ſpecies dyſenteriae Indis propriae, quomodo ea ab Europaea differat, quibusue remediis ſit arcenda:

Cur obſtructio viſcerum, appellata Koek, *ſit adeo communis Batavis, et quomodo huius progreſſus ſiſtatur.*

Quinam ſint fructus, herbae atque radices medicatae indigenae, de quarum virtute, adhuc nil conſtabat.

Tractatus, firmis obſeruationibus nitentes, ad Praeſidem vel Curatores mittantur. Ex membris, quae ſecundum acceſſionem locum in conuentubus tenebunt, notamus; IO. THEMANS Chir. Noſod. Prim. etc. LAMB. DAN. KREBS Medic. Noſod. prim. Inſp. leproſor. GERARD. MAAS Med. Doct. Poliatr. Batav. DAVID. BYLONEM Chir. eiusd. vrbis. IO. PAVL. HOFMANNVM Med. Doct. et Pharmacop. et IAC. VAN DER STEEG Chir.

Societas Scientiarum Regia *Gottingenſis* in conuentu menſis Nouembr. ao. 1779. ſequentes propoſuit quaeſtiones:

Declaretur accuratius, quam adhuc factum eſt, veterum res metallica, id eſt ars et ratio, quam veteres in fodiendis atque tractandis metallis ſequuti ſunt; vt comparetur ea cum re metallica noſtri aeui; atque doceatur, ſi quid inde elici poſſit, quod vtilitatem aliquam in re noſtra metallica habeat?

Alcali minerale et lixiuioſum, ſintne ſpecie diuerſa, an ſola varietate? Si ſpecie non differant, quaeritur: an poſſit additamento aliquo lixiuioſum mutari

mutari in minerale? Quod qui effecerit, plurimum videtur profuturus iis, qui ſal humorem ex aëre attrahens coquunt.

Optimi ſuper vtraque harum quaeſtionum tractatus Auctori quinquaginta philippeorum praemium ſoluetur; prioris elaboratio vero ante finem Septembris anni 1780, poſterioris vero eodem in menſe anni 1781. more conſueto ad Societatem mittantur. Praeterea oeconomici argumenti tres quaeſtiones promulgari curauit, quarum prior ante Iunium 1780 Societati transmittenda, eſt haec:

Oſtendatur, quaenam ſit proportio, inter oeconomiae in Saxonia inferiori partes (inter agriculturam nempe atque rem pecuariam) rei publicae atque oeconomis vtiliſſima.

Ante Octobris menſis initium eiusdem anni huius ſolutionem exſpectat:

Quaenam ſint remedia, quibus alimentum in ſtabulis dare Saxoniae inferioris incolae incipiant; haec vero ea eſſe debent, quae et magiſtratus auctoritate ſtabiliri, et oeconomis ipſis perſuaderi poſſunt.

Ante initium Iunii 1781. indicandi erunt:

Quinam ſint labores in ergaſtulis commodiſſimi nec non fructuoſiſſimi, potiſſimum in Saxonia inferiori.

Praemium cuiuslibet quaeſtionis eſt nummus, duodecim nummos aureos Hollandicos aequans. Sunt vero more recepto *), temporibus modo indicatis, Societati mittendae.

Societatis Scientiarum *Harlemenſis* quaeſtiones et praemia ſunt:

Quaenam ſit natura nebularum atque exhalationum marinarum, quae in Hollandia Zeevlammen *nuncupan-*

cupan-

*) vid. ſupra.

cupantur, quinam ſint ipſarum effectus, et quomodo noxae hinc ortae auertantur.

Elaborationes ſuper hac re ante 1781 anni initium ipſi mittantur. Praeterea praemio afficiet eum, qui ante annum 1784. tractatum ipſi miſerit, in quo inueſtigatae ſint:

Quaenam arbores vel herbae, praeter conſuetas illas, in India occidentali *coli poſſint, alimento vel manufacturis inſeruientes? Poſſintne obſervatione duce aliae plantae inueniri, quarum cultus ſanitati ſit noxius, vti de indigofera planta id conſtitit?*

Tandem ante initium 1785. erit diſquirendum:

Quomodo fluminis Bataviam circumfluentis rapiditas poſſit augeri, cuius in fluendo tardidate, aër iſtius regionis, nunc tantopere corrumpitur.

Accepit vero pecuniae ſummam ab Academia litteraria ibi fundâta, de qua modo retulimus, pro qua huic quaeſtioni praemium decreuit, nummum illum, quem eruditis tribuere ſolet. Tractatus ſingulae quaeſtionis, ſint breues, Hollandice, Gallice vel Latine ſcripti, nomineque velato, vectigalibus ſolutis ad Cl. C. C. H. VAN DER AA, qui a ſecretis Academiae eſt, mittantur.

Inter Regiae Societatis *Gottingenſis* Socios ſunt recepti Cl. IOS. BANKS Praeſes Societatis *Londinenſis*, PETR. CAMPER Med. Doct. Prof. Anat. *Amſtelodamenſis*, IO. ALB. EVLER Prof. *Petropolitanus*, CAROL. BONNET *Genevenſis* et DAN. MELANDERHJELM Prof. Aſtron. *Upſalienſis*. Cl. NATH. GODOFR. LESKE autem Prof. Oecon. et Hiſtor. natural. *Lipſienſis* amicum ſibi et familiarem litterarum commerciis legit.

Socie-

Societas Regia, quae *Frankoſurti* ad *Viadrum* ſcientiarum et artium emolumento incumbit, Cl. LESKE Socium et Aſſeſſorem claſſis oeconomicae creauit.

Cl. * * EHRMANN Med. Doct. et Pract. *Francofurti ad Moenum* Correſpondens Academiae *Pariſinae* eſt deſignatus.

Cl. * * HAGEN, loco HENCKELII muneri Profeſſionis Chirurgicae *Berolini* praeeſt.

Cl. IO. DAN. METZGER Anatom. et Chir. Profeſſor *Regiomonti*, munus medici curam noſocomii atque orphanotrophei gerentis, loco Exp. GERVAIS accepit.

Cl. * * MÜLLER loco CARTHEVSERI *Gieſam* vocatus eſt.

Cl. I. T. PYL Med. Doct. *Berolinum* abiit. Poliatris primi ac Regii collegii medici aſſeſſoris dignitate.

D. IOANNES DANIEL REICHEL inter Sodales oeconomicae Societatis *Lipſienſis* eſt receptus.

Cl. MICH. ADELBVRNER Math. Phyſic. et Logices Prof. *Altorſinus*, die 19 Iul. 1779. anno aetatis 78. eſt mortuus.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1775 prodierunt.

Nicht das Clima, ſondern eine glückliche bürgerliche Regierung iſt die Mutter der Wiſſenſchafften. Eine Rede des Herrn Hofrath MEDICVS. *Mannheim*, 4. *maj.*

IDEM *von der Lebenskrafft*, ib. 8.

I. VON MEIDINGERS *ökonomiſch practiſche Abhandlung von dem Torfe oder der brennbaren Erde. Prag.* 8.

A. MESMERS *Schreiben an einen auswärtigen Arzt, über die Magnetcur. Wien.* 8.

S. T. DE MEZA diatribae tres medicae. Hafn. 8.

IO. DAN. METZGER aduerſaria medica cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 455.)

Diſcorſo teorico anatomico ſopra un caſo particolare d' artritide vaga recurrente del Conte A. MICHELLI. C. 8.

An illuſtration of the ſexual ſyſtem of the genera plantarum of LINNAEVS. By IOHN MILLER, (*icones elegantiſſimae.*)

ANT. MINASSI diſſertazioni ſopra vari fatti meno ovvi della ſtoria naturale. Napol. 8. Tom. 2.

IOS. MINGONI hiſtoria medica thermarum Patavinarum ſ. obſeruationum medico practicarum circa morbos iisdem thermis tractatos. Cent. 1ma. Patav. 4.

IO. GEORGE MODELS *kleine öconomiſche phyſicaliſch chymiſche Schrifften. Petersb.* 8. mai. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 522. Proſtat quoque Franco Gallica verſio per PARMENTIER, quae Pariſiis prodiit hoc ipſo anno, cuius ſcripta hic tradimus, 8. in duobus voluminibus.

Traité de la diſſolution des métaux Par M. BONNET. à Paris. 12.

IO. BAPT. MORGAGNI idea noua inſtitutionum medicarum per I. S. WILDENHAYN. Lipſ. 8. (*Eſt hic liber denuo editus ita, vti* MORGAGNIVS *eum tradidit.*)

O. F. MÜLLER flora Danica. (*v. ſupra p.* 235.)

PHIL. LVDW. STAT. MÜLLERS *Ueberſetzung des Linnäiſchen Naturſyſtems. 6ter Theil, 1ter Band. Nürnb.* 8. (priores Tomos vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 28.)

IO. ANDR. MVRRAY *mediciniſche practiſche Bibliothec*, I. *Bandes 3tes und 4tes Stück. Göttingen.* 8.

Reflexions ſur les dangers des exhumations precipitées et ſur les abus des inhumations dans les egliſes. Par P. T. NAVIER. à Paris. 8.

NECKER phyſiologie des corps organiſés cet. à Bouillon et à Paris. 8. (*Eſt verſio Franco Gallica v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 739.*)

IO. ERN. NEVBAVER deſcriptio anatomica rariſſimi peritonaei conceptaculi tenuia inteſtina a reliquis abdominis viſceribus ſecluſa tenentis Prol. I. et II. Ien. 4. c. figg.

NICOLAI *Pathologie, 4ter Band.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 452.)

EIVSD. diſſ. inaug. de viribus ac vſu mercurialium, Reſp. *Jo. Chriſt. Guil. Müller.* Ien. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de anthelminticis Reſp. *Georg. Frid. Hoechſtettero.* ib. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de vtilitate et neceſſitate paracenteſeos thoracis. Reſp. *Samuel Holm.* ib. 4.

Le cri de la nature en faveur des enfans nouvéaux-nés; ouvrage dans le quel on expoſe les regles diététiques, que les femmes doivent ſuivre pendant leur groſſeſſe et pendant leurs couches; les avantages, quelles trouvent à nourrir leurs enfans, et les dangers qu'elles courent en ne ſe ſoumettant pas à cette loi naturelle. On y a joint un précis hiſtorique de l'inoculation, et pluſieurs autres objets d'utilité publique. Par Mr. NICOLAS. à Grenoble et à Paris.

H. NVDOV epiſt. ſiſtens obſeruationes de natura embryonis humani. Lipſ. 4.

EIVSD libell. de ſomno. ib. 8.

Anmärkningar wid Staar Operationen och den Siukas Skötſel denefter af I. L. ODHELIVS. Stockholm. 8.

R. C. F. OPIZ *Geſchichte einer Epidemie gallichter faulender und bösartiger Fieber, die in der Stadt Mindten in den Jahren* 1771 *und* 1772 *geherrſcht haben, als ein Beytrag zu der Geſchichte dieſer in ganz Teutſchland damahls herrſchenden Epidemie, nebſt einem Anhange von den Wetterbeobachtungen. Berlin.* 8.

OPPIANI poetae de venatione libri quatuor et de piſcatione libri V. cum paraphraſi graeca librorum de aucupio Graece et Latine, curauit I. G. SCHNEIDER. Argentor. 8.

IO. FRID. CHRIST. OTTO diſſ. inaug. de erroribus quibusdam in cura fracturarum oſſium frequenter commiſſis. Gotting. 4.

OVERCAMP diſſ. inaug. de febribus putridis. Reſp. *G. J Sauer.* Hal. 4.

C. V. PANCERA diſſ. inaug. de vſu corticis Peruuiani in intermittentibus. Tyrnav. 4.

Raggionamento critico ſull' uſo interne degli agli nelle febbre grave, ſull' ordinario trattamento delle putride e bilioſe affezioni, e ſulla indole delle malattie che oſſervaſſi ſogliano nella citta di Venezia; del Dr. J. PANZANI. Venezia. 8.

Nouvelle edition de la chymie hydraulique par PARMENTIER, revue, corrigée et augmentée des notes. à Paris. 12.

Recherches hiſtoriques et phyſiques ſur les maladies epizootiques, avec les moyens d'y remedier dans tous les cas, publiés par ordre du Roi. Par Mr. PAVLET. I. Part. ib.

An occount of the laſt expedition to Port Egmont in Falklands, Islands in the year 1772. Together with the transactions of the company of the Penguin Shallop during their Stay there. By BERNHARD PENROSE. Lond. 8.

G. H. C. PESCHEL diſſ. inaug. de cura conualeſcentium ex febribus acutis. Lipſ. 4.

IO. CONRAD. PETRI diſſ. inaug. tentamina quaedam circa generationem puris. Argentor. 4.

IO. GODOFR. PFAEHLER diſſ. inaug. de ſalium cryſtalliſatione nonnulla ſiſtens. ib. 4.

Detail de ſuccès de l' etabliſſement, que la ville de Paris a fait en faveur des perſonnes noyées, IIIe partie. Par Mr. PIA. à Paris. 12.

ANDR. PICQVERII praxis medica. Pars poſterior. Amſtelod. 8.

P. I. PIDERIT *von der Schädlichkeit des allgemein bekannten Ailhaudiſchen Pulvers. Frankfurth und Leipzig.* 8.

G. PITSCHENS *Geſchichte practiſcher Fälle von Gicht und Podagra, 2ter Theil. Halle.* 8.

I. O. PLANER *Ueberſetzung der Gattungen der Pflanzen. Gotha.* 8. *mai.* Vol. I. et II.

ERNST PLATNERS *Zuſätze zu ſeines Vaters Einleitung in die Chirurgie,* I. *Theil. Leipz.* 8. *m. K.* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 707.)

ANT. GVIL. PLAZ progr. de putredine a corporibus arcenda. Lipſ. 4.

EIVSD. progr. de vincibilibus medicorum ſecantium erroribus. ib. 4.

I. I. PLENCK pharmacia chirurgica ſ. doctrina de medicamentis, praeparatis ac compoſitis, quae ad curandos morbos externos adhiberi ſolent. Vienn. 8. mai.

EIVSD. primae lineae anatomes. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 34.)

EIVSD. *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzneykunſt. Wien.* 8.

EIVSD. *Auswahl der chirurgiſchen Arzneymittel, nebſt einem Verzeichnis der chirurgiſchen Werkzeuge und Bandagen. Aus dem Lateiniſchen. Wien.* 8.

I. C. POHL progr. de pericardio cordi adhaerente eiusque motum turbante. Lipſ. 4.

Abhandlung von den hypochondriſch und hyſteriſchen Nervenkrankheiten, beyder Geſchlechter oder von den vapeurs *durch Herrn* POMME, *nach der 4ten Ausgabe aus den franzöſiſchen überſetzt, durch* I. A. GLADBACH. *Breslau und Leipzig.* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 652.)

Traité de l' apoplexie et de ſes differentes eſpeces, avec une nouvelle methode curative dont l' utilité eſt prouvée par l' experience etc. Par Mr. G. B. PONSART. à Liege. 12.

Obſervations ſur les effets des vapeurs mephitiques ſur les corps de l' homme et ſur les moyens de rappeller à la vie ceux, qui en ont eté ſuffoqués. Par Mr. PORTAL. à Paris. 8.

POTKONICZKY de metallis petrificatis. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 365.)

Chirurgical obſervations relative to the cataract, the polypus of the naſe, the cancer of the ſcrotum, the different kinds of ruptures, and the mortifications of the toes and feet. By PERCIVAL POTT. Lond. 8.

PRESTWICH's diſſertation on mineral, animal, and vegetable poiſons, containing a deſcription of poiſons in general, their manner of action, effects on the human body, and reſpective antidotes; with experiments and remarks on noxious exhalations from Earth, Air and Water. Together with ſeveral extraordinary caſes, and elegant Engravings of the principal poiſons of the different countries. ibid. 8.

Obſervations on the diſeaſes of the army. By IOHN PRINGLE VII. Edit. ib. 8. (*v. comm. noſtr. Vol. II. p.* 393.)

EIVSD. a diſcourſe on the torpedo, delivered at the anniverſary meeting of the royal ſociety. November 30. 1774. ib. 4.

EIVSD. obſervations ſur differentes eſpeces d' air, traduits

traduits de l'anglois. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 126.)

Philoſophical empiricism: containing remarks on a charge of plagiarism reſpecting Dr. H - S. interſperſed with various obſervations relating to different kinds of air. By JOSEPH PRIESTLEY. Lond. 8.

EIVSD. *Geſchichte des gegenwärtigen Zuſtandes der Optic. Aus den Engliſchen überſetzt, von* G. S. KLÜGEL, 2 *Theile. Leipzig.* 4. *m. K.*

Handbuch der Pferdewiſſenſchafft, zu Vorleſungen von den Gräflichen Lippiſchen Hauptmann und Stallmeiſter PRIZELIUS. *Lemgo.* 8.

Introduction a l'art equeſtre. Par IEAN IACQV. PUECH. à Geneve.

I. PVRCELL *von der Kolick, nach der 2 Engliſchen Ausgabe mit Anmerkungen deutſch herausgegeben, von D.* A. P. GESNER. *Nördlingen.* 8.

Le Secret de médécins ou manuel antiſiphillitique conténant la methode de ſe guerir ſoi même de la maladie vénérienne et de ſ'en preſerver. Par Mr. D. R. à Paris. 12. (*Auctor huius libri* CEZAN *dicitur.*)

Examen de la houille, conſidérée comme engrais de terres Par Mr. RAVLIN. ib. 12.

Les monſtres ou les Ecarts de la nature; ouvrage qui renferme toutes les monſtruoſités, que la Nature produit, ſoit dans l'eſpece humaine, ſoit parmi les quadrupedes, les bipedes etc. en planches colorées, peintes & gravées. Par Mr. & Mde REGNAVLD. à Paris. fol. (*Primus faſciculus ſplendidi huius operis continet infantem vno pede inſtructum; murem porcellum bicorporeum, pullum cyclopum, connatum infantem, pullum quadripedem, felem bicapitatum, leporem cuniculum tripedem. Infantem bicapitatum. Canem tri- et vitulum bi-capitatum.*)

AVGVST GOTTLIEB RICHTERS *chirurgiſche Bibliothec, 3ten Band.* 1-3. *Stück. Götting.* 8. (Non eget hoc opus continuatum noſtra commendatione.)

A. D. RICHTERS *Lehrbuch einer Naturhiſtorie. 2te Auflage. Leipzig.* 8.

N. I. N. RIEGLER diſſ. de cibis noxiis. Tyrnav. 8.

F. RIEMS *vollſtändige practiſche Anleitung das aufgeblähte Vieh zu retten. Berlin.* 8. (Puncturam in Tympanite ſuadet).

An eſſay on the uterine haemorrhage which precédes the delivery of the full grow foetus. By EDWARD RIGBY. Lond. 8.

P. I. RODTSPERGER diſſ. inaug. de dyſenteria Tyrnavienſi anno 1775. epidemica. Tyrnav. 8.

Elementi di obſtetricia del ROEDERER tradotti et corredati di figure in rame da GIVSEPPI GALETTI. 4. (*v. comm. noſtr. Vol. XV. p.* 249.)

EBERHARD ROSENBLAD diſſ. de perturbatione critica. Reſp. *Jo. Kraak.* Lond. Goth. 4.

C. F. ROTTHACK diſſ. de eductione puris e cauo pectoris. Duisburg. 4.

L'art du treillageur ou menuſier des jardins par Mr. ROVBO fils. à Paris. c. f.

Obſervations ſur les pertes de ſang des femmes en couches et ſur les moyens de les guerir. Par Mr. ROVX. a Diion. 8.

ROVX journal de médecine cet. v. infra.

ROZIER obſervations ſur la phyſique cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 580.) Exſtat et verſio Germanica. (*v. ibid. Vol. XXI. p.* 272.)

MARC. PHIL. RVHLAND diſſ. de partu praeternaturali ac difficili ob procidentiam funiculi vmbilicalis iuxta caput. Argentor. 4.

LVDW. RVPPE *Abhandlung vom Scorbute, herausgegeben und mit einer Vorrede begleitet, von* I. L. T. SCHLEGEL. 8.

Mate-

Materia medica antiqua et noua, repurgata et illuſtrata ſiue de medicamentorum ſimplicium officinalium facultatibus tractatus. Auctore IO. RVTTY. Rotterod. 4.

I. H. RVYS diſſ. de ſacchari effectibus ſalubribus et inſalubribus in corpore humano. Duisb. 4.

Introduction to the ſtudy of pathology on a natural plan: containing an eſſay on fevers etc. By JAMES RYMER. Lond. 8.

Traité complet d'anatomie ou deſcription de toutes les parties du corps humain. Par Mr. SABATIER. à Paris. 8. Vol. 2.

I. B. M. SAGARS *Abhandlung vom Meelthau, als der groeſten Urſache der Hornviehſeuche, und derſelben Curart. Wien.* 8.

SAGE *Anfangsgründe der Mineralogie nach den Grundſätzen der Probierkunſt. Aus dem Franzöſiſchen überſezt, mit Anmerkungen von* NATH. GOTTFR. LESKE. *Leipzig.* 8. (Qui varios Auctoris errores emendauit.)

EIVSD. *Chymiſche Unterſuchung verſchiedener Mineralien, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* L. A. G. SCHRADER *mit Anmerkungen von* IO. BECKMANN. *Göttingen.* 8.

I. D. SANTORINI ſeptendecim tabulae anatomicae cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 645.)

F. C. G. HOEFER diſſ. de natura arthritica. Helmſtad. 4.

L. L. HOFFMANNS *Anhang zum erſten Theile, von den Pocken, worinn die angegebene Urſache von der Aßimilation der anſteckenden Fiebermaterie, ferner erwieſen, und die Exiſtenz der Pockendrüßen außer allen Zweifel geſetzt wird. Nebſt* 1. *Kupfer. Münſter.* 8.

I. R. S. HOLDEFREVND *von Keuchhuſten der Kinder. ibid.* 8.

EIVSD. *Erzählungen merkwürdiger Krankengeſchichten. Braunſchweig und Wolfenbüttel.* 8.

Agenda de ſanté ou nouveau recueil portatif des plantes, arbres & arbuſtes tant de la France que des pays etrangers rangées non ſous leur ordre alphabetique, mais ſous celui des maladies qu' elles concernent. Par Mr. A. HONCRE. à Paris. 12.

Mémoire ſur les diſſolutions de la pierre avec problémes de chimie. Par Mr. HUAULME. ibid. 4.

HÜB-

HÜBNERS *Natur etc. Lexicon.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 160.)

I. W. L. VON HÜBSCH *Vorſchläge die jetzt herrſchende Hornviehſeuche zu verhindern. Frankf. am Mayn und Cölln.* 8.

Every Woman Her Own Phyſician: or, the Lady's Medical Aſſiſtant. Containing the Hiſtory and cure of the various diſeaſes incident to woman and children. By A. HVME, M. D. Lond. 8.

G. L. HVRLEBVSCH diſſ. de zinco eiusque vſu. Helmſt. 4.

Nachricht von dem Entſtehen des Schwammes in den Gebäuden, und von dem ſicherſten Mittel, ſelbigen zu verhüten, dem Publico zum Beſten mitgetheilet, von I. L. HVTH. *Halberſtadt.* 8.

IOSEPH. IACQVEREZ diſſ. inaug. de partu quodam naturali laborioſo propter gangraenam in vtero praeexiſtentem et rupturam. Argentor. 4.

G. F. IAEGERSCHMIDTS *Unterricht, für die Hebammen in den Badiſchen Landen, 2ter Theil, welcher die Verpflegung der Schwangern, Kindbetterinnen und Kinder enthält. Fortgeſetzt von* C. L. SCHWEIKHARD. *Carlsruhe.* 8.

WOLFGANG. IVL. IOACH. IAN de materiae nerveae ſecretione. Erlang. 4.

IANINS *Abhandlungen und Betrachtungen über das Auge und deßen Krankheiten. Berlin.* 8. (Huius libri alibi mentionem fecimus. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 238.)

A generic and ſpecific deſcription ob Britiſh plants translated from the genera et ſpecies plantarum of the celebrated LINNAEVS. To which is prefixed an etymological dictionary explaining the claſſes, orders and principal genera. With notes and obſervations. By IAMES IENKINSON. Lond. 8.

Eight anatomical Tables of the human Body, containing the principal parts of the Skeletons and Muſcles repreſented in the large Tables of ALBINVS. By IOHN INNES. Edinb. 4.

EIVSD. ſhort deſcription of the muſcles etc. ib. 8. min. (*Imitatur* DOVGLASSII *myographiam additis obſeruationibus recentiorum anatomicorum.*)

I. IOHNSTON diſſ. de Phlegmaſiis. Edinb. 8.

I. H. G. VON IVSTI *gekrönte Abhandlung über die Frage, wie die Kupfererze mit Erſpahrung der Zeit und der Kohlen auf den Kupferhütten beſſer bearbeitet werden können, nebſt einigen andern kleinen Schrifften, die Chymie und Berghüttenſachen betreffend. Leipzig.* 8.

Anfangsgründe der bürgerlichen Baukunſt für Landleute, nebſt einer kurzen Anzeige die Gewitter abzuleiten, von IO. CHRIST. FRID. KEFERSTEIN. *ibid.* 8. *m. K.*

Beurtheilung eines Beweiſes vor die Immaterialität der Seele, aus der Medecin, von I. C. KEMME. *Halle.* 8.

I. G. KERN *vom Schneckenſteine oder dem Sächſiſchen Topas-Felſen zum erſtenmale herausgegeben und mit Anmerkungen vermehrt, von* I. H. VON BORN. *Prag.* 4. *m. K.*

I. C. KERSTENS progr. de gangraena a decubitu optimaque eam praecavendi et depellendi methodo. Kiliae. 4.

EIVSD. diſſ. de bronchotomia et ad illam inſtituendam commodiſſima inſtrumenta. Reſp. *Io. Rhode.* ibid. 4.

SIM. HEINR. ADOLPH KAYSERS *Abhandlung von der Geſundheit, und derſelben Einfluß auf die Glückſeeligkeit der Menſchen. Gießen.* 8.

Schrei-

Schreiben den thieriſchen Magnetismus, und die ſich ſelbſt wieder erſetzende electriſche Krafft betreffend, *von* I. T. KLINKOSCH. *Prag.* 8.

EIVSD. diſſ. de herniis congenitis vt plurimum inſanabilibus. Duisb. 4.

I. M. KORDALY diſſ. inaug. de plica Polonica Hal. 4.

LVD. KORNBECK diſſ. continens hiſtoriam morborum a mercurio excitatorum. Vienn. 8.

Grundſätze der Bienenzucht, beſonders für Weſtphäliſche Gegenden, von L. A. KORTVM. *Weſel und Leipz.* 8.

Oeconomiſche Encyclopedie des Hrn. D. KRÜNITZ 7. 8. *und* 9. *Theil. Berlin.* 8. *m. K.*

Nouvelle méthode de traiter les maladies vénériennes par la fumigation avec les Proces verbaux des guerifons opérées par ce moyen. Par Mr. PIERRE LALOVETTE. à Paris. 12.

PHIL. ADOLPH. LAMPE diſſ. de noxis ex ſepultura in templis. Argent. 4.

Die Chirurgie für angehende Wundärzte, von I. H. LANGE. *Lüneburg.* 8.

GEORG. AVGVST LANGGVTH diſſ. de ſtimulo naturae parcius addendo. Reſp. *Gottl. Samuel Müller.* Witteb. 4.

EIVSD. diſſ. de valetudine ſexus elegantioris a coma cothurnata. Reſp. *Chriſt. Henr. Guſtav. Oberkampf.* ibid. 4.

EIVSD. progr. de plica XIV pedum rariſſima muſeo Academico nuper illata. ib. 4.

Eſſays phyſical and chemical. By Mr. LAVOISIER translated from the French with notes and an appendix. By THOMAS HENRY. Lond. 8.

Medical inſtructions towards the prevention and cure of chronic or Slow diſeaſes peculiar to women. By IOHN LEAKE. Lond. 8.

F. LEBERS *Vorleſungen über die Zergliederungskunſt.* v. ſupra p. 519.

An introduction to botany. By JAMES LEE. Lond. 8.

L. F. B. LENTIN *Grundſätze zu der* 1775. *publicirten Vorbauungskur gegen die Hornviehſeuche. Göttingen.* 8.

Obſérvations ſur les maladies épidémiques, ouvrage rédigé d' aprés le Tableau des épidémiques d' HIPPOCRATE, & dans lequel on indique la meilleure méthode d' obſerver ce genre des maladies. On y a preſenté, à côté de chaque obſervation, dans des colonnes ſéparées, l' adminiſtration des remedes, leur effet, les ſignes de coction, les jugemens de la maladie, les pouls critiques, etc. publié par ordre du Gouvernement & aux frais du Roi. Par Mr. LEPECQ DE LA CLOTVRE. à Paris. 4to.

Supplément ou traité de Mr. PETIT ſur les maladies chirurgicales etc. Par Mr. LESNE. à Paris. 8. (*v. comm noſtr. Vol. XXI. p.* 486.)

IO. GOTTFR. LEONHARDI progr. de primae inſpirationis vera cauſa. Lipſ. 4.

IO. LESTBOM diſſ. inaug. de cultura pratorum artificioſa. Reſp. *Laur. Chriſt. Haggren.* Upſal. 4.

LETTSOM. V. ELLIS.

EIVSD. Obſervations preparatory to the uſe of Dr. MYERSBACH's medicines: In which the efficacy of certain german preſcriptions (*given in Engliſh*) is aſcertained by facts and experience. Lond. 8.

An anſwer to a pamphlet, written by D. LETTSOM entidled obſervations cet. (*v. praecedentem librum.*) ibid. 8.

The impoſtor detected; or the phyſician the greates cheat: being a candid Inquiry concerning the

the practice of Dr. MEYERSBACH: containing a faithful account of many remarkable cures performed by him, which had been dee med incurable - being a full refutation of the ſophiſtical Arguments and invidious reflections of Dr. LETTSOM, and others. ibid. 8. (*Defenditur* D. MEYERSBACH.)

I. LOURICH oſſervazioni ſopra diverſi pezzi del viaggio in Dalmatia del Abb. FORTIS. Venez. 4.

EIVSD. littera apologetico at S. ANT. LORGNA, in cui ſi confutano varie cenſure fatte alle ſue oſſervazioni ſopra diverſi pezzi del viaggio del A. FORTIS. (ſ. l.) 4.

IO. NEPOM. ANTON LEVTHNERS *Beobachtungen und general ſo wohl als ſpecial Kurmethode, hitziger Gall und Faulfieber, über deren weſentlichen Karacter, verſchiedene Symptomen, zufällige Nebenerſcheinungen voll oder unvollkommene kritiſche Abfälle, kränkliche Verſetzungen oder Metaſtaſes in den epidemiſchen Jahrgängen, in dem Churfürſtlichen Krankenhauſe zu Gieſing geſammlet. Nürnberg.* 8.

MEIER LEISER LEVI diſſ. de morbis epidemicis. Gotting. 4.

An eſſay on the blood in which the objections to Mr. HVNTER's opinion concerning the blood are examined and removed. By G. LEVESON. Lond. 8.

A. LEVRETS *Verſuch über den Misbrauch der allgemeinen Grundſätze und wider die Vorurtheile, die ſich der Ausbreitung der Hebammenkunſt entgegen ſetzen. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Mit Anmerkungen und einigen aus dem Franzöſiſchen Tagebüchern herausgenommenen Zuſätzen vermehrt, von* D. C. BVRDACH. *Leipz.* 8. *m. K.*

IO.

IO. FRID. LICHT diſſ. inaug. de praecipuis viarum lacrymalium morbis. Argentor. 4.

GEORG. GVILIELM. LIEBE dubitationes de augmento lactis ex anaſtomoſi vaſorum mammariorum cum epigaſtricis. Lipſ. 4.

Precis de la matiere medicale. Par Mr. LIEVTAVD. à Paris. 8. Vol. 2. (*Noua editio reuiſa ab Auctore.*)

EIVSD. anatomie hiſtorique et pratique. Edition nouvelle augmentée. Par Mr. PORTAL. ibid. 8. Vol. 2.

C. LINNAEI diſſ. inaug. de aphyteja. Reſp. *E. Actuario.* Upſal. 4. c. f.

EIVSD. *auſerleſene Abhandlungen aus der Naturgeſchichte, Phyſic und Arzneywiſſenſchafft. Leipzig.* 8. *m. K.* (Eſt verſio quarundam diſſertationum ex Amoenitatibus Academicis.)

Abhandlung vom Hornerzte, einer neuen Gattung Silbererze, abgefaſſet von C. H. LOMMER. *ibid.* 8. *m. K.*

Tractatus de morbis cutaneis. Auctore A. C. LORRY. Paris. 4.

Der Kukuk oder des Herrn I. A. LOTTINGERS *auf eigne Erfahrungen gegründete Nachrichten, über die Naturgeſchichte dieſes wunderbaren Vogels. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Strasburg.* 8. (Obſeruationibus ſatis curioſis cuculi hiſtoria naturalis egregie illuſtratur. Verſionem Germanicam Cl. HERRMANN Prof. Argentorat. curauit.)

CHRIST. FRID. LVDWIG ep. gratul. de munimentis plantarum. Lipſ. 4.

PETR. IO. DAN. LVTHERITZ ep. gratul. de corporis motu noxio digeſtionis adiumento. ib. 4.

D. MAGENISE *Theorie der Entzündung aus Gründen und Erfahrungen. Aus dem Engliſchen überſetzt. Göttingen.* 8.

A compleat treatiſe on perſpective in theory and practice. By THOM. MALTON. Lond. fol.

Nuova eſpoſizione della vera ſtruttura del cervello

lo umano di VINCENZO MALVCARNE. Turin. 8.

A new and complete treatiſe on the diſeaſes of women. By H. MANNING. Edit. II. Lond. 8.

An enquiry into the nature, cauſe and cure of a ſingular diſeaſe of the eyes. By I. P. MARAT. Lond. 4.

EIVSD. An eſſay on gleets. ibid. 4.

EIVSD. de l' homme ou des principes et des loix, l' influence de l' ame ſur le corps et du corps ſur l'ame. Tom. II. et III. à Amſterdam.

I. D. MARTINI diſſ. analecta ad Μιασματολογιαν de primis morboſorum miasmatum originibus. Hal. 4.

F. H. W. MARTINI *Geſchichte der Natur, in alphabetiſcher Ordnung*, 3. *Bänd. Berlin.* 8.

MARX *von Eicheln*, (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 450.)

H. G. G. VON MATTVSCHKA flora Sileſiaca, *oder Verzeichniſs der in Schleſien wildwachſenden Pflanzen, nebſt einer umſtändlichen Beſchreibung derſelben, ihres Nutzens und Gebrauchs, ſowohl in Abſicht auf die Arzney als Haushaltungswiſſenſchafft*, 1*ter Theil. Leipzig.* 8. (Haec flora multis ex cauſſis laudem et plauſum meretur. Nam prima eſt, quantum nobis conſtat, quae Germanico idiomate conſcriptas definitiones ſpecierum, et diligenter collecta ſynonyma Germanica provincialia continet. Deinde ipſae deſcriptiones ſunt accuratae, nomen Latinum eſt Linneanum, atque icones Kniphofianae, Ludwigianae et Weinmannianae laudantur, vſusque pharmaceuticus ex LINNEI materia medica et oeconomicus ſimul notantur. Ordo caeterum eſt iuxta ſyſtema Linneanum. Primo hoc tomo priores 13 claſſes, a monandria ad polygamiam recenſentur, atque numerus ſpecierum eſt 422.)

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. Journal de medécine etc. Par ROVX Tom. XLV. et XLVI. p. 387
II. Hortus Romanus. Tom. II. et III. 405
III. LVDWIG diſſ. de antherarum pulvere 411
IV. BERGIVS materia medica Tom. I. 412
V. Spécifique contre la goutte par Mr. EMERIGON 419
VI. STRACK de cruſta lactea infantum cet. 421
VII. SCHILLING de lepra 424
VIII. Philoſophical Tranſactions cet. Vol. LXV. et LXVI. 444
IX. DANIELS *Sammlung mediciniſcher Gutachten und Zeugniße* 480
X. SCHRÖDER opuſcula medica per ACKERMANN Vol. I. 483
XI. HARTMANN diſſ. de borace ammoniacali 490
XII. SCHÄFFERS *Abhandlung vom Mayenwurmkäfer wider den tollen Hundebiß* 492
XIII. Speculations and conjectures on the qualities of the nerves. By MVSGRAVE 494
XIV. A treatiſe on the medical qualities of mercury in three parts. By FALK 499
XV. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae Lib. II. 506
XVI. DELII primae lineae ſemiologiae pathologicae 510
XVII. SANDIFORT theſaurus diſſertationum, programmatum cet. Vol. III. 514
XVII. LEBERS *Vorleſungen über die Zergliederungskunſt* 519
XIX. SCHREIBER *von veneriſchen Krankheiten, nebſt einer neuen Heilungs-Methode* 521
XX. Nova phyſico medica 522
XXI. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1775 prodierunt 527
XXII. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1776 prodierunt. 545

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXIII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly. Edinburgi apud Io. Balfour. Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann. Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali. Milano apud Ioſ. Galeazzi. Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud. Holmiae apud Magnum Sweterum.

I.

Philoſophical Tranſactions, of the royal Society of London. Vol. LXVII. For the Year 1777. Part. I. et II. London. 1777. et 1778. tabb. aen. XX. pagg. 906. in 4to.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae Vol. LXVII. Pars I. et II. ad annum 1777. et 1778.

Primae partis commentarii ſunt: Pars I.

1. De *femina, quae absque eſu et potu viuebat,* Auctore D. MACKENZIE. Cuius aetas erat triginta et trium annorum, et in iuuentute plus ſemel epilepticis conuulſionibus ea infeſtabatur, neque fluxum menſtruum rite experiebatur. Anno aetatis ſuae 28 febre afficiebatur, poſt quam lente reconualeſcebat, atque ſubito in plenam anaeſtheſiam, vt neque mouere ſe, neque cibum aut potum capere poſſet, incidebat. Maxillae clauſae, ne maxima quidem vi aperiri poterant. Subinde tamen cochlearia nonnulla potus inſtillare ei poterant parentes. Atque hoc modo per quatuor fere annos continuabat, neque quicquam niſi nonnullas vrinae guttas excernebat. Noſter eam diſquirens, in lectu immobilem, quaſi tetano infectam, inuenit, pulſu diſtincto et regulari, debili et paruo, facie ſatis alacri nec pallida, corporeque adhuc et artubus ſatis carnoſis, abdomine tamen tumido, muſculisque tenſis, genubus flexis, atque ſtrictis. Multum et quiete dormiebat. p. 1.

 Quin-

Quinque annis praeteritis, erecta ſedere et nere poterat, parumque cibi et potus aſſumebat, eam fere quantitatem, qua ad nutritionem infantis biennis opus erat. Oculi tum torui atque ſub os frontis verſi erant, atque toto corpore exhauſta et marcida erat. Quae quidem relatio octo teſtibus oculatis confirmatur.

p. 12. 2. *De vtili lotione et frictione trunci arborum, ad promouendum annuum incrementum, ex litteris Cl.* MARSHAM. Verno tempore, incremento auctis gemmis, ſcopis ſetaceis aqua madefactis truncum lauauit et fricuit, donec algis et muſcis liberatus eſſet, deinde frictionem hanc humidam lanugineo panno continuabat et quidem ter aut quinquies per ſeptimanam ſi ſicca eſſet tempeſtas. Inde euenit, vt lota ſic arbor duplo maius caperet incrementum ea arbore, quam non fricaret. At vero, etſi celerius incrementum hac lotione et frictione effici concedamus, multum tamen dubitamus, fore vt operae pretio fructus ſatis reſpondeant.

3. *De ſexu Apium atque propagationis ratione obſeruata*, Auctore IO. DEBRAW. Confirmat Auctor ea, quae Cl. SCHIRACH *) de ſexu apium detexit, quibus omnes apes operarias eſſe feminini ſexus, non ſatis nutritas, atque ex ouis quibuslibet, ſi laruae ſatis nutriantur, fieri reginam ſ. apem feminam proliferam conſtat. Auctor, ſe eadem experimenta duobus annis ante Cl. SCHIRACH inſtituiſſe ait. Experimentis etiam probat, mares eſſe ſic dictos fucos, negante quamuis SCHIRACHIO; ſicque Maraldianam **) coniecturam confirmat.

Com-

*) in libro, cui titulus: *Erläuterung der Kunſt junge Bienenſchwärme oder Abläger zu erzielen. Budiſſin.* 1770. 8.

**) vid. eius obſ. in Mém. de l'acad. des Scienc. à Paris. 1712. p. 333.

Commendat itaque Anglis culturam apum, atque Schirachianam methodum noua examina arte parandi, optatque vt SCHIRACHII liber in Anglicam linguam vertatur.

4. *De imagine* COPERNICI *ad Societatem Regiam miſſa*, a D. WOLF. p. 33.

5. *Relatio itineris in Africam a Capite bonae ſpei et deſcriptio noui Cuculi*, Auctore D. ANDREA SPARRMAN. Iter hoc inſtituit nimis ſicco tempore, quo omnes fere plantae periere, exceptis paucis ſilueſtribus, inter quas etiam nonnullae nouae reperiuntur, ne a THVNBERGIO quidem in Flora Capenſi deſcriptae, quas alio tempore deſcribet Auctor. Animalia contra plura vidit, atque in itinere 100 milliaria longius, quam ante eum Germanus quidam, porrexit. *Bouem Bubalin* Africanum a *Biſonte* Americano non differre putat; et *Viuerram Putorium* hic vidit, quem BVFFONVS in America ſola habitare perhibet. *Manatum* viuum cepit. p. 38.

Promittit, ſe obſeruationes de Hottentotis, et hiſtoria naturali Elephantis et Rhinocerotis publici iuris eſſe facturum.

Nouam ſpeciem *Cuculi indicatorem* nominat, quoniam hominibus atque vrſi ſpeciei indicat examina apium ſilueſtrium voce repetita *cherr*, *cherr;* etenim melle lubenter veſcitur, cuius portio ei ab hominibus etiam relinquitur. *Minor* eſt Cuculo Europaeo, atque differt *colore albo ſubtus*, *cauda cuneiformi*, *rectricibus extimis albis*, *interioribus aeruginoſo fuſcis*. p. 43.

6. *Experimenta electrica noua*, Auctore TIBERIO CAVALLO. Primo inſtrumentum deſcribit, quo atmoſphaerae electricitatem dimenſus eſt, ob- p. 48.

 ſeruatio-

ſeruationesque quotidianas a 27 Septembri vſque ad 19 Dec. 1776 narrat. Tum ſequuntur experimenta facta cum tubo hermetice occluſo, in cuius cauitate mercurius incluſus erat.

p. 56. 7. *Tertius tractatus de actiniis*, Auctore Cl. DICQVEMARE *). Perſequitur experimenta de generatione quartae ſpeciei: ea, cum ſe contraheret, in vaſis latere poſt ſe reliquit paruam portionem, quam rudimentum nouae actiniae eſſe exinde coniiciebat, quod actinia eadem in baſeos parte ſingulari ratione ſe extenderat. Quatuor diebus praegreſſis haec portio ſe valde contrahebat et dilatabat, ſequenti die ſe loco mouebat, atque elapſis adhuc ſeptem diebus os et artus conſpiciebantur. Menſe praeterito plica corporis formabatur, atque ſimilis omnino, artubus exceptis, actinia enaſcebatur. Exinde ſequi videtur Cl. Auctori, actinias eſſe vera animalia, quae gemmis ſe propagent.

p. 66. Arte etiam baſin Actiniae in decem partes ſecuit, atque ex ſingula parte integra Actinia enata eſt. Notatu dignum videtur, quod, ſi portiones diſſectae magnae eſſent, etiam actiniae magnae oriebantur. Si igitur haec multiplicatio vi germinis aut oui fieret, partes includentes et fibrae vicinae non deberent partem animalis conſtituere. Etſi igitur haec propagandi ratio theoriae ouorum contraria videtur: aliae obſeruationes tamen eidem conueniunt.

Obſeruauit etiam ex portionibus, quae naturali via ſeparantur, interdum naſci duas Actinias, quae nonnunquam iunctae manerent, dum aliae a ſe inuicem ſeparabantur. Num itaque duo germina in iſtis portionibus reconduntur? aut fit hoc absque germinibus aut ouis? Plures quaeſtiones de principio vitae

*) vid. ſupra. p. 451.

vitae in partibus his relictis mouet, atque forte in materia gelatinoſa illud reſidere coniicit. Plura inpoſterum obſeruationibus ſe detecturum eſſe ſperat.

8. *Experimenta et obſeruata electrica*, Auctore GVILIELMO HENLY. Quum experientia conſtaret, corpora tinctura nigra, quae ex fuligine et gummi parata eſſet, et pice aut oleo oblinita a fulmine ſecura reddi, eosdem effectus artificiali electricitate produci annifus eſt Cl. Auctor. Poſtea electricitatem choccolatae electrometro et Lugdunenſi vacuo diſquiſiuit, eamque poſitiuam eſſe, atque ſi imminuatur, iterum fuſione in oleo oliuarum reſtaurari inuenit. Coniicit igitur, cum oleum multum phlogiſti contineat, inter electricam materiam et phlogiſton magnam eſſe affinitatem, ſi non ſint vnum idemque. p. 85. p. 94.

Proponit deinde Cl. Auctor noua experimenta electrica tabulis vitreis Norimbergicis inſtituta, quibus Frankliniana de electricitate theoria egregie illuſtratur. Sequuntur experimenta TIBERII CAVALLO cum machina Cl. VOLTAE: denique ſubiungitur catalogus corporum mineralium, animalium et vegetabilium, quae ſi bacillo ex ſigillatoria cera facto affiguntur, atque cum panno lanugineo, aut ſerico albo fricantur, electricitatem vel negatiuam vel poſitiuam offerunt. Ex quibus patet electricitatem eſſe in omnibus fere corporibus, facile excitari, ſemper agere, atque eius actionem in omnibus naturae operationibus maxime eſſe neceſſariam et vtilem. Igitur electricitatem conſiderat tamquam purum, aethereum, elementarem ignem, qui omnibus corporibus inhaereat, atque cum terrea aut alia baſi intime ſit connexus, atque in quiete maneat, donec motu aut frictione excitetur. Ineſt etiam vegetabilibus, atque exinde cum eorum oleo p. 98. p. 116.

 extra-

extrahitur; fermentatione, efferueſcentia et putredine forma phlogiſticorum vaporum auolat: deſtillatione cum ardenti ſpiritu tranſcendit. Quod vt probaret lignum furno ſiccatum fricuit et electricum inuenit. Idemque comprobatur, ſi electricitas et ignis ſecum comparantur. Quae quidem cuncta obſeruatis et teſtimoniis illuſtrantur.

p. 144. 9. *Excerptum ex litteris Cl.* IO. STRANGE, *et litterae a Cl.* TOALDO *de reciproco aeſtu maris Veneti.* IANVM PLANCVM *in ſpecimine reciproci aeſtus in mari ſupero*, recuſo Romae 1760, erraſſe, qui aeſtum maris ſequi curſum potius ſolis, quam lunae tradiderit, a Cl. TOALDO docetur: cauſſa enim erroris fuit haec: aeſtus maiores contingunt circa nouam plenamque lunam: horum acceſſuum hora parum a lunae tranſitu per meridianum, isque ipſe parum a tranſitu ſolis per eundem circulum diſtat. Cl. TOALDO autem probat, aeſtum maris, vt alibi, ita Venetiis, regi a motu lunae.

p. 149. Altitudo aeſtus maxima in toto Adriatico circa Syzygias obſeruatur, tuncque aquae creſcunt ad tres pedes Venetos, raro ad quatuor aut quinque, rariſſime ſex, mari irato ac procelloſo. Circa ſolſtitium hibernum maximi aeſtus contingunt, quod a vicinia maiore ſolis, in fine Decembris ad peri-
p. 156. gaeum delapſi, deriuat. Quae de circulari aquarum in Adriatico mari fluxu, cum MONTANARIO, PLANCO et aliis conſentientia, monet, omittimus. Subiungit concluſa ex his obſeruationibus, quae doctrinam NEWTONI de aeſtu maritimo mirifice illuſtrant.

p. 162. 10. *Litterae Cl.* PETRI WARGENTIN, *quibus differentia inter meridianum et Grenouicenſem ex comparatione obſeruationum primi ſatellitis Iouis, in obſerua-*

ſeruatoriis praecipuis per decem annos inſtitutorum definitur.

11. *Methodus inueniendi Valorem infinitae ſeriei quantitatum decreſcentium, Auctore* FRANC. MASERES. p. 187.

12. *Verſio loci ex libro Arabico* EBN YOVNES de eclipſi ſolari, Auctore GEORG. COSTARD. p. 231.

13. *Obſeruationes ſuper annua euaporatione.* Liverpooli in Lancaſhire, Auctore Cl. DOBSON. Quotidie obſeruatis pluuia, vento, aëris temperatura atque euaporatione per ſeriem quinque annorum, apparuit, quantitatem pluuiae non eſſe certum indicem humiditatis aut ſiccitatis atmoſphaerae, ſed potius euaporationem. Etenim pluuia copioſiori, aëris temperies eadem erat, quae cum duplo minor eſſet quantitas pluuiae. p. 242.

14. *De hominibus, qui colores non diſtinguere potuerunt*, relatio Auctore IOS. HVDDART. *Harris*, qui cum quatuor annos aetate eſſet, primo ſenſit, alios qualitatem quandam corporum animaduertere, quam ipſe in iis non videret. Figuram autem dignoſcere poterat. Album colorem quidem a nigro diſtinxit, ſed coniectura tantum. Cum Noſter eum in diſtinguendis coloribus inſtrueret, tandem aliquam differentiam animaduertit, ſed ſemper haeſitauit, et colores commiſcuit. p. 252.

15. *Noua theoria rotatorii motus corporum, viribus hunc motum turbantibus affectorum*, Auctore IO. LANDEN. p. 266.

p. 296. 16. *Regulae maſſam metallinam ad reflectentia teleſcopia aptiſſimam conficiendi, cum deſcriptione rationis, qua politura atque vera parabolica curuatura in magno ſpeculo conquiratur*, Auctore IO. MVDGE. Proportio ſtanni ad cuprum ea duriſſimam et optimam dat compoſitionem, qua 14½ vnciae ſtanni ad duas libras cupri adhibentur.

p. 350. 17. *Epitome indicis obſeruationum barometro thermometro, hydrometro* Lyndoni in Rutlandia 1776, a THOMA BARKER *inſtitutarum.*

p. 353. 18. *Epitome diarii meteorologici in annum* 1776, Briſtoli *habiti a* SAMVELE FARR.

Pars II. Altera in parte continentur ſequentes tractatus:

p. 385. 19. *Relatio de monte quondam igniuomo prope ab Inuerneſs*, Auctore THOM. WEST. Nominatur ab incolis mons Petri, in ſummitate eius veſtigia, eum quondam igniuomum fuiſſe, ex lapidibus, lavae ſimiles, reperiuntur: craterem tamen inuenire non potuit Cl. Auctor.

p. 388. 20. *Experimenta electrica atque correctio Cantoniani electrometri*, Auctore TIBERIO CAVALLO. Priora cum electricitatis perpetuae machina ſunt inſtituta, deinde colores varios electricis ictibus mutauit; correctumque electrometrum icone illuſtrauit.

p. 401. 21. *Barometricae obſeruationes in profunditate fodinarum in Hercynia inſtitutae*, Auctore IO. ANDREA DE LVC.

22. *Vni-*

22. *Vniuerſales mathematicae regulae ad proportiones generatim aeſtimandas*, Auctore IAC. GLENIE. p. 450.

23. *Morbus Annae Davenport*, Auctore FIELDING BEST FYNNEY, Chirurgo. Erat illa annos nata viginti et vnum, atque ad quintum vſque aetatis annum ſanitate optima fruebatur, a quo tempore valetudinaria, et ſubinde colicis doloribus, praeſertim ſi acidis veſcebatur, obnoxia erat. Ante annum in dextro latere abdominis, ſupra inguinibus, tumorem animaduertit, qui, ſi ea femur extendere annitebatur, vehementes dolores excitabat, vt igitur genua verſus pectus contrahere cogeretur. Noſter eam tum emaciatam, vehementi ſiti, et appetitu proſtrato affectam inuenit: eique corticis Peruuiani puluerem in rubro vino ſingulis quatuor horis praeſcripſit, atque cum iam tumorem in ſuppurationem verti ſentiret, maturantia externe imponi iuſſit. Abſceſſum deinde iuxta os ilium incidit, atque altero verſus vertebras intra coſtas ſpurias et os ilium formato, eum etiam aperuit. Aliquot diebus elapſis integumenta abdominis gangraenoſa apparuerunt: Ideoque corticem externe et interne copioſe dedit: Externe quidem hoc modo, ℞. Tinct. cort. Peruv. ſimpl. ℥ij. Tinct. myrrh. comp. ℥j. Spir. ſal. Ammon. et Mell. Aegypt. āa. ℥ß. M. fiat embrocat. et ℞. Faec. Cereviſ. acid. ℔j. Farin. avenac. q. ſ. coque ad conſiſtentiam Cataplaſmatis et adde Pulv. Cort. Peruv. ℥j. Ol. Oliv. rec. ℥jv. M. F. cataplaſm. Hoc adhibito gangraena ſiſtebatur; ſed euacuatio magna in copia continuabat, vt aegra de vita periclitaretur. Menſe praeterito nouus abſceſſus profundius, verſus dextram inguinis partem oriebatur, qui emollientibus tractatus ſponte ſe aperuit, atque ex quo alienum corpus, p. 458.

corpus, ſatis ſingulare exemit, quod hic icone eſt delineatum. Nucleum ligneum habebat, qui maſſa carnea erat obductus: Reſidebat in appendice vermiformi inteſtini coeci atque craſſior pars cum peritonaeo cohaeſit. Hoc igitur exemto, faeces ſubinde per vulnus excernebantur, illud tamen aptis medicaminibus adhibitis ſenſim imminuebatur, atque aegra ſanitati reſtituebatur. Videtur nucleus is iam a quinto aetatis anno intra corpus latuiſſe.

p. 465. 25. *De regno Tibetano relatio*, *litterae a Cl.* IO. STEWART. Magis politicam, quam naturalem hiſtoriam ſpectant.

p. 493. 26. *De gradu et quantitate venti*, *qui ad movendas machinas pneumaticas maiores requiritur*, Auctore IO. STEDMANN.

p. 504. 27. *Deſcriptio Cinchonae Iamaicenſis ſ. C. caribaeae* LINN. Auctore GVIL. WRIGHT. Dicitur etiam Arbor corticis Ieſuitarum, atque naſcitur in petroſo ſolo. In febribus remittentibus eius vſum maxime expertus eſt. Viditque corticem ventriculum roborare, vomitum et nauſeam impedire, morbidos humores in primis viis corrigere. Icon et deſcriptio egregiae adduntur.

p. 507. 28. *Deſcriptio et vſus Geoffraeae inermis Iamaicenſis* (Cabbage barktree), Auctore EODEM. Pertinet ad Flores papilionaceos, drupiferos. Drupa enim ſubouata magna nucem includit ſubouatam, ſubligneam. Folia habet oppoſita ternata oblongo ouata, acuminata. Affinis eſt *Geoffraeae ſpinoſae* LINN. Icon eius egregia datur. Lignum huius arboris ſatis durum eſt: praecipue eius cortex in vſum ducitur, qui extus cinereus, intus niger

ger et ſulcatus eſt. Recens cortex ſaporem mucilagineum dulcem offert: eius odor fere ingratus eſt. PETER DVGVID eius primus in tentaminibus Edinburgenſibus phyſicis. Vol. II. meminit. Noſter eius vim anthelminthicam experimentis agnovit, eumque in decocto, ſyrupo, puluere, et extracto exhibuit. Narcoticos etiam, et fortiter purgantes habet effectus, ideoque parua in doſi primum exhiberi debet.

29. *Obſeruationes in Sabaudia factae, vt altitudo montium barometro definiatur, quibus methodus Cl.* DE LVC *) *in examen vocatur*, Auctore GEORG. SHVCKBVRGH. p. 513.

30. *Relatio de Obſeruatorio Braminorum in Benaria*, Auctore ROB. BARKER. p. 598.

31. *Relatio de morbo Doctoris* MACY, *et de iis, quae in demortuo corpore animaduertebantur*, Auctoribus D. HVNTER et HENR. WATSON. Duabus ſeptimanis ante mortem vehementi opprimente dolore in regione ventriculi adoriebatur, qui vena ſecta quidem remittebat, ſed plane tamen non euanuit. Opio diu vſus erat; cum vero ab eius vſu deſiſteret, perpetuo tuſſi infeſtabatur. De dolore et vehemente alui fluxu conquerebatur, atque fiſtula ani cum prolapſu inteſtini recti infeſtabatur. Medici palliatiuam tantum opem reſtare putarunt: aeger ipſe opio iterum vtebatur. p. 608.

Mortuo aegro, cor et pulmones integra, vt et inteſtina tenuia ſana reperiebantur, inteſtina autem craſſa, praeſertim colon, diſtenta, inflammata, atque

*) In libro *Recherches ſur les Modifications de l' Atmoſphere.*

atque vlceribus exeſa erant: inteſtinum rectum contractum et liuidum. In pericardio parua portio purulentae materiae.

p. 614. 32. *Experimenta antlia pneumatica iuxta* SMEATONI *principia facta et comparata cum iisdem antlia vulgari inſtitutis*, Auctore EDW. NAIRNE.

p. 649. 33. *De cultura Bromeliae Ananae, excerptum ex litteris Cl.* GVIL. BASTARD. Deſcribitur ratio, qua magna ſatis aquae calidae copia, ſimul cum calido aëre ad radices ferantur.

p. 653. 34. *Experimenta in Britannia inſtituta, vt regulae altitudines ope barometri metiendi obtineantur*, Auctore COL. GVIL. ROY. Nouum inſtrumentum, quod Monometrum dixit, atque tabula Geographica delineata ſunt.

p. 789. 35. *De nouo micrometro et megametro*, Auctore Cl. BOSCOVICH.

p. 799. 36. *De nouo inſtrumento metiendi minores angulos, quod priſmatici Micrometri nomine inſignitur*, a Cl. NEVIL MASKELYNE.

p. 816. 37. *Relatio de experimentis, iuſſu Societatis Regiae ad definienda puncta fixa thermometrorum inſtitutis, atque de iis, quae praecauenda ſunt eadem inſtituendo.*

II.

Hortus Romanus, ſecundum ſyſtema I. P. TOVRNEFORTII a NICOL. MARTELLIO Aquilano Medico Doctore Linnaeanis characteribus expoſitus; adiectis ſingularum plantarum analyſi ac viribus. Species ſuppeditabat ac deſcribebat LIBERATVS SABBATI Mevanias eiusdem horti cuſtos et chirurgiae Profeſſor. Accedunt tabulae centum propriis plantarum coloribus expreſſae. Tom. IV. Romae MDCCLXXVI. Sumpt. Bouchard et Gravier. Ex typographia Pauli Funchi. Tom. V. ibid. MDCCLXXVIII. fol. tab. aen. centum.

Inſunt volumini quarto claſſis V. nec non VI. Tournefortianae indiuidua; in quibus plantae cruciformi roſaceoque flore continentur. Claſſes modo nominatae ita nobis videntur exſtructae, vt vna alteraue, forſan leuiore, emendatione egere videantur. Huius aſſerti illuſtrandi cauſa ſect. VI. VIII. IX. claſſis V. Sect. I. et genus 11. 12. Sect. II. claſſ. VI. adducere liceat. Retinuerunt tamen in plurimis locis a TOVRNEFORTIO receptam diſtributionem, quae, vti modo diximus, aliqua ex parte nobis videretur corrigenda.

Sufficiant haec de methodo in libro recepta, videamus potius plantas hic depictas. Rariores quae nobis luſtrantibus ſe obtulerunt, ſunt Clypeola Ionthlaſpi? tab. 1. Myagrum perfoliatum, tab. 3. Vella annua tab. 8. Clypeola maritima t. 19. Alyſſum vtriculatum t. 20. Ricotia Aegyptiaca t. 22. Cheiranthus tricuſpidatus t. 23. Siſymbrium tenuifolium? et polyceratium t. 34. 38. Hypecoum pro-

*) Antecedentes tomos vid. ſupra. p. 505.

procumbens t. 45. Cleome ſpinoſa t. 47. Bunias erucago et cakile tab. 48. 49. Amaranthus ſpinoſus tab. 53. Portulaca piloſa, et racemoſa tab. 60. 61. Argemone Mexicana t. 65. Podophyllum peltatum t. 67. huius foliola ſunt emarginata, Cactus opuntia, Tuna tab. 68. 69. poſterioris flos priori pallidior, Paſſiflora coerulea, minima, laurifolia tab. 70 - 72. vtrum poſteriorem recte definiuerimus, dubii ſumus, inuolucro enim pentaphyllo a Linneana deſcriptione differt; foliis vero ſimplicibus a P. Murucuia LINN. cui circa ſtylum poſita ſimilis eſt campanula; germenque ad baſin ſtyli adſidere videtur. Ciſtus laeuipes t. 79. Aliſma flaua t. 92. vt PLVMIERII ſubſcriptum ſynonymon nobis ſuadet, vel parum ab Aliſma plantagine aquatica differt, vel cum eadem eſt commixta. Corchorus olitorius? hirſutus, ſiliquoſus t. 95 - 97.

Enumeratis iis, quae apud nos minus frequenter coluntur, plantarum familiis, ad indicandas eas ſtirpes properamus, quarum figurae exhibitae, a natura paululum receſſiſſe ſunt viſae. Ad has referendi ſunt Iberidis amarae tab. 7. flores griſei pedunculique omiſſi. Cochlearia glaſtifolia et officinalis, Lepidiumque graminifolium t. 12 - 14. quibus in ſingulis floribus ſtamina tributa ſunt quatuor; ſilentio praeterimus reliquas tetradynamicas, quibus loco ſex ſtaminum quatuor ſunt conceſſa, quod a tabula 15 - 22. vſque aliisque in locis ſaepius factum eſt. Dentariae pentaphyllae t. 30. folia ſuperiora quinata eſſe deberent; Raphanus raphaniſtrum t. 43. foliis profundius inciſis, floribus maioribus, ſiliquis maioribus anguſtioribus antice compreſſis a naturali forma abhorret; in Myagro perenni t. 44. ſinus foliorum ſunt neglecti; Potamogeton criſpum t. 51. ab imperito facile pro monoica haberi poſſet, cum inferiores verticilli deflorati

feminéis

femineis valde analogi, ſuperiores vero, florentes, maſculis conſentanei videantur, certe eodem modo haec in Myriophyllo ſpicato florum diuerſitas in tabula antecedente erat depicta; Paris quadrifolia tab. 52. deſtituitur ſtaminibus tribus, eius baccae maturitate fiunt nigrae; Droſerae rotundifoliae t. 76. modo orbiculata, modo oblonga data ſunt folia, pili foliorum marginales rubri minus eleganter picti, omnesque plantae partes nobis iuſto maiores videntur; Parnaſſiam paluſtrem t. 77. pictam, vix vnquam caulibus folioſis infimis vidimus, noſtra enim ſemper ſcapis vnifoliis erectis gaudebat, de nectariis negligenter pictis nil dicamus; Ciſti helianthemi t. 78. ſtamina colore ſubrufo ſpurcata naturae prorſus non conueniunt; neque Pyrolae rotundifoliae t. 91. color naturae reſpondet.

Pauciſſimis de ſynonymia videamus. Thlaſpi aruenſe perfoliatum maius BAVH. tab. 6. Thlaſpi aruenſe vaccariae incano folio maius B. Pin. 106. ſeu Thlaſpi campeſtre LINNEI eſſe videtur. Cardamine pratenſis t. 31, quae eſt Naſturtium pratenſe magno flore BAVH. Pin. 104, male pro Naſturtio aquatico ſupino BAVH. habetur. Argemone armeniaca etc. t. 66. eſt Papauer argemone LINNEI, quod ex capſula atque ex calycis petalorumque numero facile potuiſſet dignoſci. Non optimo iure Hypericum t. 90, quod nobis hirſutum eſſe videtur, ab Editoribus Aſcyrum magno flore B. Pin., quod eſt Hypericum Aſcyrum LINN., nominatur. Nigella damaſcena t. 94. non nominanda fuiſſet Nigella aruenſis cornuta BAVH. Omittimus plures ſynonymicos errores.

Iam ſupereſt, vt de combinatione generum TOVRNEFORTIO diſtinctorum a Cll. Editoribus ſuſcepta,

cepta, aliquid dicamus. Crambeu et Sinapiſtrum, Rapam et Napum nimirum coniunxerunt, reliqua vero genera nimis affinia, LINNEI obſeruationibus vnita, coniungi non poſſe putarunt. Genera varia, vt Amaranthi, et Iunci ad alias, nimirum ad apetalorum claſſes, merito amandarunt.

De qualitatum viriumque ſcrutinio, in quo Cl. GEOFFROY, maxima ex parte ſunt ſecuti, hoc notamus, quod negent Noſtri Portulacae lac cogendi effectus, cum multum olei, phlegmatis, parumque ſalis contineat.

Vol. V. Tranſimus iam ad quintae centuriae disquiſitionem, in qua icones plantarum ex claſſibus Tournefortianis VI, quam in antecedente volumine tractare inceperant, et VII. petitarum, reperiuntur. Claſſis VII. huius voluminis *plantas flore polypetalo roſaceo vmbellato* complectitur.

Rariores plantae, quae nobis ſe obtulerunt, ſunt: Salſola altiſſima tab. 1. Trianthema monogyna tab. 2. S. N. 342. pictoris negligentia deformis reddita; Cactus triangularis tab. 3. 4. Cuſſaea viſcoſiſſima IACQVINI t. 5. Color naturali obſcurior, capſula a latere non tam picta, quam potius colore eſt inquinata; Garidella nigellaſtrum t. 6. Riuina humilis caneſcens t. 7. Capparis ſpinoſa inermis t. 8. Semperuiuum arachnoideum, et arboreum t. 9. 11. prius caret foliorum lanugine; Portulaca anacampſeros tab. 13. Fagonia cretica t. 16. Tribulus terreſtris t. 17. Folia huius plantae pinnata a pictore in integra ſaepius ſunt mutata; Geranium inquinans t. 22. iuſto pallidius pictum, ſtamina conſpici poſſunt nulla; Anemone coronaria t. 33. 34. Anemone latifolia ſaniculae folio C. B. t. 35. et Pulſatilla foliis trifidis dentatis, flore incar-

nato

nato pleno BVRM. tab. 36. quas LINNEVS ignorare videtur; Clematis vitalba, et integrifolia tab. 40–42. Potentilla ſupina tab. 47. Phytolacca decandra tab. 51. hanc ſtaminibus deſtitutam, facile quis, reliquos characteres minus ſedulo inueſtigans, pro P. dioica habere poſſet; Aralia racemoſa t. 52. Aſparagus aphyllus t. 53. Medeola aſparagoides t. 54. Lagoecia cuminoides t. 55. Agrimonia agrimonoides t. 58. Oenothera molliſſima t. 60. Bubon macedonicum t. 68. Pimpinella aniſum t. 69. Bunium bulbocaſtanum t. 73. Bupleurum odontites, et fruticoſum t. 79. 80. Athamanta Meum t. 82. Oenanthe apii folio C. B. t. 84. quam definire non potuimus; Smyrnium oluſatrum t. 91. Crithmum maritimum t. 94. Oreoſelinum apii folio minus. I. R. H. t. 97. nobis incognitum manſit.

Neque in hoc volumine deſunt, negligentiae pictoriae teſtimonia; quorſum pertinet Spiraea vlmaria tab. 14. cuius cyma a pictore eſt ſpurcata; caeruleum Geranii triſtis t. 23. ſcapum ſumus mirati; Veratrum nigrum t. 29. ob florum colorem dilutiorem. Caltha paluſtris t. 30. partim ob colorem nimis pallidum, partim ob ſcapum erectum nudum; Ranunculus Ficaria t. 37. ob habitum iuſto maiorem, caulem erectum, colorem dilutum, pictorisque in pingendo negligentiam; Circaeae lutetianae t. 56. griſei flores; Agrimonia Eupatoria t. 57. colore ſpurcato; Ammi maius t. 65. ob herbae colorem obſcuriorem. Plantarum vero vmbelliferarum vix vlla eſt, cuius forma ita eſt depicta, vt naturali habitui prorſus conueniat.

Errarunt vel in hoc tomo, in ſubſcriptis plantarum ſynonymis; ſic defloratum Spiraeae Vlmariae ramum t. 15. pro Spiraea Arunco habuerunt;

 Gauram

Gauram Linnei t. 61. Oenotheram nominarunt; Aethuſa Cynapium t. 72. male dicta eſt Phellandrium ſeu Cicutaria paluſtris C. B., Sium t. 75. quod nobis nodiflorum LINN. eſſe videtur, male cum Sio latifolio ſeu Apio paluſtri foliis oblongis C. B. confunditur. Myrrhis TOVRNEFORTII male Scandici LINN. annumeratur.

In expoſitione virium, laudatur ſedi acris facultas incidens, vomitoria, diuretica in quartana, ſcorbuto, hydrope; Geum vrbanum in dyſenteria et variolis commendatur; Actaeam inuſitatam, ſed heroicam eſſe in aſthenia virginica affirmatur.

Pertractauimus iam ſingula, quae adhuc prodierunt, ſplendidi huius operis volumina, et quosdam indicauimus errores, hoc voto, vt in poſterum ſimiles euitarentur.

III.

Chymie experimentale & raiſonnée par Mr. BAVME. Tom. III. à Paris, 1773. 8. c. ind. vniverſ. 1 alph. 23 plag.

i. e.

Chemia experimentalis et rationalis, Auctore Cl. BAVMÉ. Vol. III. etc. *).

Argentum nonnunquam ſalinarum forte particularum admixtione volatile redditur. Fuligini in moneta Pariſina haud parum huius metalli inhaeſiſſe viſum eſt. Quin adeo teſte Cl. LEWIS illud interdum violento igne vſtum disploditur quaſi et crepat, aliqua ſimul ex parte in auras auolans. D'ARCETO in globis porcellaneis incluſum argentum vehementiſſimo igne calcinari poſſe rato, vitriolicum

*) vid. ſupra. p. 211.

triolicum forte acidum impoſuit porcellaneae maſſae inhaerens, cuius efficacia metallum corroſum fuit. Noſter nunquam argentum igne deſtrui expertus eſt. Vitriolicum acidum aliquam phlogiſti particulam argento ſubtrahit: deſtillatione enim ex hac ſolutione acidum ſulphureum elicitur. Et ex vitriolo lunari argentum ſola quidem fuſione excitari poteſt, ita tamen, vt de priſtino pondere quidpiam perdatur, quod contra, ſi tantillum inflammabilis materiei adieceris, non facile deſiderabitur.

Luna cornea aqua ſoluta ſemper in fundo vaſis puluerem aliquem albicantem relinquit, quem purum acidoque per aquam orbatum argentum eſſe, fuſio demonſtrat. Igne ſublimatorio aliqua lunae corneae pars attollitur, ita tamen, vt ſimul acidum a metallo ſenſim ſecedat. Ex ſolutione vitrioli lunaris, affuſo acido ſalis, luna cornea fundum petit. Quatuor ſalis lixiui partibus opus eſt, vt absque vlla iactura argentum ex luna cornea reſuſcitetur. Humida via, vt vulgo vocant, luna cornea non reſoluitur, niſi et ipſa, et alcalinus ſal aqua ſolutus primum fuerit. Ex nitroſa ſolutione ſalis medii arſenicalis ope deturbari argentum poteſt, ſic vt arſenicum argento, ſal lixiuus autem acido nitroſo nunc maritetur. p. 20.

Arboris Dianae vegetationem ita fieri Noſter cenſet, vt mercurius amalgamatis ſolutionibus mercurii argentique commixtis inditi, ex hac ſolutione argentum deiiciat, atque ſic cryſtalliſationi occaſionem ſuppeditet. p. 40.

In *cupellatione* ſ. exploratione Argenti a nimii plumbi additione ſedulo abſtinendum eſt; alias argenti globuli multi per ſcorias diſperſi deliteſcunt, tentaminisque fides anceps inde redditur. Circumſpici etiam debet, ne ſtannum forte plumbo inſit. Damna ex eiusmodi miſcela facile oriun-

da duplici ratione corrigere docuit Cl. GRASSE. Vbi nempe id animaduerteris, aut martis limatura teſtae docimaſticae inſpergenda eſt, quae cum ſtanno coeat, et ad oras vaſis ſic reiiciatur; aut mercurius ſublimatus corroſiuus repetitis vicibus addendus, quo fit, vt et hydrargyrum et ſtannum acido ſalis obnuptum in auras auolet.

p. 70. Ex ſolutione auri cum aqua regis parata ſub deſtillatione primum tranſit in recipulum acidum nitri, relicta auri in acido ſalis ſolutione, vnde apparet, auri arctiorem eſſe cum acido ſalino, quam cum nitroſo, neceſſitudinem. Poteſt adeo ſolutio illa ſalina absque auri ſeparatione, aqua dilui.

p. 77. Aurum fulminans coctione in aqua non deſtruitur, etſi hoc fiat, ſi ex aqua communi coquitur. Disploſionem illius ſuper igne, a ſulphure nitroſo vna cum auro ex ſolutione delapſo, repetendam eſſe Noſter exiſtimauerat, donec BERGMANNI tentaminibus, absque nitroſo acido fulminans aurum fieri poſſe edoctus, conſilium mutauit.

p. 85. Purpura mineralis vulgo ad encauſtica opera et pingenda vaſa porcellanea vſurpari ſolita, colorem ſordidiuſculum vitris conciliat, vtpote multa ſtanni calce abundans. Praeferendam itaque huic eſſe calcem auri ex ſolutione ſua per alcalinum aut ſilicum liquorem ſecretam Noſter exiſtimat, dummodo facilis huius calcis reductio moleſtias non crearet. Eas tamen euitari poſſe docet, ſi auri ſolutioni parum tantummodo ſolutionis ſtanni adſtilletur, et purpura mineralis deinceps ex liquore mixto
p. 105. per alcalinum liquorem deturbetur. Commode etiam purpurae mineralis loco calx auri digeſtione huius metalli cum hydrargyro parata adhiberi poteſt.

p. 122. Platina Europaeis primum innotuit ex WOODII obſeruationibus et experimentis, quae Transactioni-

actionibus Philoſophicis A. 1749 et 50. inſeri curavit. Poſt hunc SCHEFFERVS, LEWIS, MARGGRAFIVS, tandemque Noſter cum MACQVERO in huius metalli naturam inquiſiuerunt. Platinae, quae in noſtras regiones deportatur, quaeque in granula diviſa eſſe ſolet, auri mercuriique globuli, nec parum martialis ſabuli intermixtum eſt. Igne per ſe et ſine additamentis fundi nequit, a radiis ſolaribus tamen domatur, ita, vt in foco ſpeculi ardentis, minuto temporis primo praeterlapſo liqueſcat, nec tamen in terram ſic liquata decidat, vtpote ſtatim atque a foco recedit, conſolidari rurſus ſolita. Poteſt ſic fuſa mallei ictibus inſigniter attenuari et extendi.

Ex ſolutione platinae alcali fixum puluerem p. 138. deiicit, qui, quo plus alcalini liquoris adſperſeris, eo pallidius flaueſcit. Etenim non pura platinae calx praecipitatur, ſed ſale platinae commixta. Sal iſtud difficulter ſe dirimi patitur, ita, vt repetitis demum lauationibus cum alcalino liquore inſtitutis, acidum a calce metallica ſecedat. Sal platinae, quod ex ſolutione huius metalli alcalino volatili liquore mixta decidit, ſuper igne non detonat. Nulla platinae calx vitris aut vaſis porcellaneis tingendis accommodata eſt; ſemper enim ignis violentia metallum inde reſtituitur. Caeterum difficillima eſt platinae ex calce ſua reductio, et vix vnquam ita votis reſpondet, vt in ſolidam maſſam illa coeat. Speculi ardentis ope metallicam primum, dein vitri opaci fuſci ſpeciem induere viſa eſt.

Aurum platina adulteratum eſſe facili et ex- p. 150. pedito experimento cognoſces, vbi ſolutioni auri ſal ammoniacum ſolutum affuderis. Platina enim, auro prorſus intacto ſic fundum petet. At contra, vbi parum auri platinae inhaeret, huius miſcelae argumentum habebis in puluere fuſco, qui ex metalli iſtius mixti ſolutione adiecto vitriolo martis

praecipitatur. Ab auro enim puluis iſte proficiſcitur, cum quippe platinam deiicere vitriolum martis nequeat. Manifeſtatur etiam auri in platina praeſentia eo, quod ſolutio ſtanni auriferae platinae ſolutioni adſperſa ſtatim purpureo colore tingatur, cum contra purae platinae ſolutio hac ratione explorata fuſcum aut lateritium puluerem dimit- p. 161. tere ſoleat. Hepar ſulphuris, perinde ac nitrum vſtione ſimultanea aliquam platinae partem ſoluunt. Idem metallum regulo antimonii, zinco, bismutho et ſtanno facile iungi ſe patitur. Videtur adeo aliqua platinae cum ſtanno conflatae portio acido ſalis ſolui poſſe. Promta eiusdem cum plumbo eſt colliquatio, miſcela eo fragiliore et duriore inde prodeunte, quo maius platinae pondus additum fuerit. Cupellatione metalla ſic mixta a ſe inuicem ſeparantur, ita tamen, vt platina ſemper aliquam plumbi particulam pertinaciſſime in ſe retineat, indeque pondere augeatur. Vehementiſſimo tamen igne torta platina nullum, certe paucum plumbum retinet; quin potius, vt Noſtrum experimenta docuerunt, mollior ductiliorque hoc labore redditur. Cum ferro fuſo facile conflatur, naſcente inde duriſſimi metalli genere. Cupro quoque et argento maritari poteſt, huic tamen paullo difficilius. Omnium lubentiſſime vero cum auro miſcetur, ita tamen, vt color auri et magna pars mollitiei pereat, niſi exiguum ſaltim platinae pondus addideris. Septuaginta quatuor auri partes ab vna platinae parte fere non immutantur, dummodo forti igne metalla fuſa fuerint.

p. 207. Ad finem ſic perducta corporum naturalium, metallorum inprimis disquiſitione chemica, luſtratisque iis illorum facultatibus, quae tentaminibus varii generis artifici chemico innoteſcunt, Cl. Auctor ad varias artes et opificia deſcendit, quibus Chemia famu-

famulatur. Auſpicatur hanc diſputationem a fictilium operum contemplatione, atque ex his omnium primo artem lateres coquendi deſcribit. Terra argillacea, pinguis, modico ſabulo mixta lateribus effingendis accommodatiſſima eſſe cenſetur. Illa ex ſuis ſtratis protracta aceruatim congeritur et per hiemem frigori imbribusque expoſita relinquitur. Sic et attenuatur et tractabilior redditur. Poſtmodum aqua maceratur pedibusque calcatur et depſitur; tandem in formas redacta ſiccatur atque in magnis furnis huic labori adaptatis coquitur. Lateres cum calce et ſabulo parati reliquis duritie praeſtant.

Fornices docimaſticos ex integra maſſa, non, vt vulgo fieri ſolet, ex partibus inter ſe conferruminatis parare Cl. Auctor iubet. Ad crucibula fingenda maxime idonea maſſa ex terrae aluminoſae bene lotae et vſtae partibus tribus et ſingula argillae albae componitur. p. 223.

Fictilia, (*Poterie de terre verniſſée*) vaſa teſtacea, (*poterie de gres commune*) fictilia Anglicana. (*terre d' Angleterre*). Ex vaſis vltimo loco recenſitis albiſſima maxime quidem aeſtimantur, cum vero plenariam coctionem non experiantur, molliuſcula ſunt, et quodamtenus ab aqua penetrabilia. Vitium iſtud corrigitur inſperſo furnis ſale culinari, cuius vapores cruſta vitrea vaſa obducunt. Color aeneus fictilibus conciliari dicitur vaporum ſalinorum atque ſimul phlogiſticorum auxilio. p. 225.

Vaſa porcellanea. In Franco-Gallia vſque ad annum 1770 nondum inuenta fuerat ratio hoc fictilium genus bene praeparandi. Eo fere tempore circa Seuas (*Seues*) terra argillacea reperiebatur pulcerrimis vaſis porcellaneis effingendis omni ex parte accommodata. *Kao-lin* Chinenſium argilla alba admodum pura eſſe videtur; *petun-tſe* autem ſpa- p. 231.

 thum

thum fuſibile ſ. fluorem mineralem nominant. Ex his duobus porcellanea vaſa in India orientali fabrefiunt.

p. 243. Antequam tractari et formari queat maſſa porcellanea, terrae, et lapides illam conſtituentes lauari prius, a particulis rudioribus purgari, aqua denique per ſemeſtre ſpatium in foſſis grandioribus macerari debent. Sic ſubacta maſſa fingitur, et ſiccata in peculiari quodam receptaculorum terreorum genere (*gazettes*) aliqua ex parte coquitur. Vaſa deinceps puluere vitreo conſperguntur, coloribusque pro lubitu pinguntur, atque denuo forti igne vruntur, donec iuſtam nacta fuerint conſiſtentiam et ſplendorem.

p. 251. Vaſa porcellanea adulterina (*Faïance*) poſt vera fuiſſe inuenta Noſter arbitratur. Solent illa vt plurimum encauſto ex centenis minii et ſabuli quadraginta ſtanni vſti et viginti aut quinque et viginti libris ſalis vitri obduci.

p. 254. *Encauſtice. Ars vitriaria.* Eam accurate Noſter deſcribit; ita tamen vt vix audeamus aliquid ex hac ipſa tractatione hoc loco deſcribere. Addidit etiam varias obſeruationes ad artis vitriariae hiſtoriam ſpectantes. Vitri in feneſtris vſus omnium primo apud gentes Septentrionales et quidem in templis inualuiſſe videtur. FORTVNATVS ſexti ſeculi poeta, et GREGORIVS TVRONENSIS illius coaetaneus, huius rei meminerunt. Circa octaui ſeculi initium vitriarios ex Francogallia in Angliam accerſitos fuiſſe memoriae proditum eſt. Seculo duodecimo Abbas quidam, SVGERVS, fanum ſancti Dionyſii (*St. Denis*) feneſtris vitreis egregie pictis exornauit.

Illud vitri genus, quod Anglis *flint-glaſs* di-
p. 283. citur, ex Noſtri ſententia praeſtantiam ſuam non exqui-

exquiſitae cuidam partium conſtituentium proportioni et mixtioni, ſed potius fortuito caſui debet. Ait enim ſe ex quibusdam eruditis cognouiſſe, vitrum illud in iisdem furnis eademque ratione, vt commune, obtineri; neque ſemper omne vitrum in crucibulo quodam fuſum iisdem laudibus pollere, ſed quaedam ſaltim fruſtula eligi, quae illud vitrum achromaticum ſ. *flintglaß* praebeant; ita vt nondum conſtet, qua ratione illud ſic mutatum fuerit. Quamuis itaque certa et conſtans via hoc vitrum parandi nondum inuenta fuerit, Cl. Auctor tamen exiſtimat, illa vitri communis vitia forſan corrigi, adeoque vitrum achromaticum effingi poſſe, ſi maſſae vitriariae nulla ſalia adiicerentur, eaque dum fluit, ſpatula lapidea agitaretur, ſic enim fieri poſſe arbitratur, vt vniformis quaedam et aequalis totius vitri ſit conſiſtentia.

Vitri genera varia, leuiora, et ponderoſiora, quae cum plumbi calcibus parantur, et achromaticorum vicibus in teleſcopiis fungi poſſunt. Inter haec plurimi facit Noſter, quod ex duabus ceruſſae partibus et vna ſilicum calcinatorum conflatur. p. 285.
Porcellanea Reaumuriana aut vitrea, quae, vt notum eſt, vaſorum vitreorum cum ſabulo et gypſo caementatione obtinentur, hac ipſa vſtione ita affici videntur Cl. Auctori, vt acidum vitriolicum ex gypſo euolutum ſub vaporum ſpecie omnia vitri interſtitia penetret. p. 294.

Gemmae factitiae. Vitrum, quod his parandis vulgo impendi et nomine *Straſ* inſigniri ſolet, Noſter ex vnciis duabus ſilicum vſtorum, vna cinerum clauellatorum puriſſimorum, drachmis ſex boracis et duabus ceruſſae fieri iubet. p. 296.

Metallicorum operum disquiſitionem Cl. Auctor ab vniuerſali quadam globi terraquei contemplatione auſpicatur. Terra primigenia ſiue elemen- p. 301.

elementaris ex Noſtri ſententia, corporum organicorum adminiculo in varias figuratur formas; eo, quod his ipſis corporibus a natura demandatum ſit officium, igneam materiem in ſinu ſuo fouendi quaſi et colligendi, eamque poſtea aliis corporibus tradendi. Iuuatur autem haec igneae materiae diffuſio aquarum miniſterio, quibus quippe telluris facies indies mutatur.

Terra vitreſcibilis, quae, vt videtur, ab initio telluris omnem molem conſtituerat, aquis deinceps inundata, vegetabilia varia aluit, quae nunc primum e creatoris quaſi manibus egreſſa, terrae naturam immutare coeperunt. Magis adhuc illa a priſtina deflexit indole, poſteaquam animalia quoque extiterunt, quorum ope terra calcarea nata eſt. Ex eodem regni vegetabilis et animalis penu omnis materia inflammabilis depromta eſt, qua ad ſalia, metalla, ſulphuraque formanda natura opus habet. Quid? quod et mare immenſae vegetabilium et animalium ibi degentium copiae ſalſedinem debet, quae in fluuiis ob adfluentes continuo aquas pluuiales nulla eſt. Metalla, in quibus terream particulam ſalini principii adminiculo cum inflammabili materia iunctam eſſe Cl. Auctor cenſet, in ipſo maris gremio longe frequentiſſime naſci autumat; ita forſitan, vt terra calcarea phlogiſti acceſſu ſenſim ſenſimque immutetur. Num ſulphur aut arſenicum omnibus metallis inſit, nihil decerni poſſe ait, cryſtallorum tamen formas in metallis a ſulphuris connubio plerumque pendere. Montes ob ſtratorum ſitum perpendicularem, certe non horizontalem, corporumque marinorum in iis abſentiam, primaeuos dictos, perinde ac alios omnes mari ſuam originem debere, imo adeo ſummae antiquitatis eſſe, veroſimile eſt: ſiquidem, ſtratorum, quae antea in calcareae indolis monte fuerant, ſitum, a variis

riis cauſis, mutata ſimul ipſius ſaxi natura, turbari potuiſſe perpendas: prouti ſimile quid fieri cernimus, quando lapis calcareus lamelloſus igne vehementiſſimo vſtus, forma ſua orbatus, confuſisque quaſi inter ſe laminis, ad vitreſcentium lapidum naturam ſenſim inclinat. Ornatur porro haec ſententia a Cl. Auctore alio quodam experimento, quo conſtat, lapides varios vitreſcibiles, quarzum e. g. corneum lapidem, cotes, ſilices, achatasque, ſi violentiſſimo igne torreantur, lamellarum formas, primigeniae quaſi naturae indices, prodere. Eſt denique non obſcurum huius rei argumentum in cochleis, quas hinc inde in vitreſcentem lapidem conuerſas offendimus; quarum tamen, ob calcareae terrae, dum ad vitreſcentem naturam redit, contractionem voluminisque imminutionem exiguus numerus eſt. Vt breuibus omnem Noſtri ſermonem adumbremus, aquae, corporibusque organicis omnis telluris facies, quae nunc eſt, externa, omnisque interior fabrica debetur: his terrarum fertilitas, his terrae motus, his montes igniuomi, his denique omne metallorum, corporumque mineralium inflammabilium genus gignitur et producitur, aeternisque aquarum et corporum organicorum viciſſitudinibus innititur, quae et nunc eſt, et olim erit, globi terraquei forma et indoles.

Mineras metallicas eas ſaltim dici vult Noſter, quibus ſapor nullus ineſt. Exiſtimat enim, niſi haec nota minerae definitioni adiiciatur, fieri poſſe facile, vt ſalia metallica quoque, et aquae minerales cum mineris peruerſa ratione confundantur. Omni autem minerae metallicae praeter metallum, vel ſulphur ineſt, vel arſenicum. p. 335.

Auri minera nulla datur, ſiquidem hoc metallum ſemper purum et ſolidum eſt, ſaxisque ſaltim inhaeret. Idem de platina ſtatuendum eſt; cum p. 337.

ſulpha-

ſulphure enim arſenicoque copulari recuſat. LEWIS ſmiridi ſic dicto Hispanico platinae mineram, ſi qua eſt, ſimilem eſſe ſuſpicatur.

p. 341. Quae Cl. BAVME *minera argenti cornea* dicitur, nobis ea eſſe videtur, quam noſtrates *mineram vitream* ſalutare ſolent. Nobis enim vocata minera argenti cornea, non arſenico, (niſi caſu fortuito id quoque inhaereat) ſed acido ſalis ſemper mineraliſata eſt. De plumbo nudo, quod hinc inde reperiri narrat, mineralogorum plurimi, nec immerito, dubitant.

p. 377. Enarratis ſuccincte iis, quae ad venarum cuniculorumque ſubterraneorum indagationem et exſtructionem pertinent, vaporumque mephiticorum, inflammabilium et metallicorum natura perpenſa, ad ipſius artis docimaſticae contemplationem Noſter accedit. Praefert autem in ſcrutinio minerarum (*Eſſai des mines*) eam rationem, qua minerae contuſae non lotae igni traduntur. Ex lauatione enim hoc incommodi enaſci ait, vt vna cum terreſtribus particulis, de minera ipſa haud parum abripiatur; adeoque tentaminis fides ambigua reddatur. Monet etiam certius expeditiusque fore de minerarum pretio iudicium, ſi paullo maius minerarum pondus ſcrutinio ſubiicias, quam ſi, ex plerorumque artificum more, in exigua ſaltim copia laborem inſtituas.

p. 381. In disquiſitione minerarum auriferarum vſtione praeuia vix opus eſt. Plurimum autem intereſt, ſal et boracem adiicere, alias ignis vehementia plurima plumbi pars comburitur, adeoque magna auri copia intacta, ſaxoque minerae inhaerens relinquitur. Praeſtat etiam mineram fuſam in crucibulo aſſeruare, quod ſi enim effunditur, aliqua particula metalli ſemper remanet. Eandem rationem in mineris argenti perſcrutandis ſequi oportet. Cu-

preae

preae ſic disquirendae ſunt, vt ſedulo primum vſtulentur, diu protracto igne, donec omnis arſenici ſulphurisque vapor auolauerit, alias, hepate ſulphuris ſub fuſione naſcente, quo non exigua metalli pars corroditur, fallax euadit huius examinis euentus. A plumbo in hoc labore abſtinendum eſt, quo quippe magna aeris copia ſemper deſtruitur. Cum ſtannum facillime in calcem abeat, et difficulter reſtituatur, ſub calcinatione minerarum ſtanni, magna plerumque eius pars deperditur, niſi, quod Cl. Auctor ſuadet, minerae ignitae picis nonnihil adiiciatur. Inde enim hoc commodi habebis, vt arſenicum metallica forma nunc donatum facilius diſſipetur. Oportet etiam, quantum fieri poteſt, a mineris disquirendis lapidea fruſta ſeparare, ne ſub harum tarda colliquatione metallum denuo comburatur. Mineris ferri, pertinaciter ſulphur ſub calcinatione retinentibus, calcis viuae pauxillum ſub fuſione addere oportet, quo et lapidea minerae pars celerius fundatur, et ſulphur exactius ſeparetur. In eliquatione hydrargyri, quae deſtillatione fit, oleum addere oportet, ne forte metallum in minera ſua ſaepenumero minutiſſime diuiſum, in calcem abeat.

Pertractatis omnibus circa metallorum eliquationem laboribus, ad pyritas Noſter deſcendit, quos et ſulphuris aut arſenici metallum in ipſis contentum inuoluentis, et terrae non metallicae copia, ac denique ipſo compoſitionis modo a mineris differre arbitratur. Sulphur nempe alia ratione in pyritis quam in reliquis mineris ſuo metallo iungi exiſtimat, forſitan ob argillaceae terrae praeſentiam. Quod vero ſolos pyritas ex chalybe ſcintillas prolicere eoque a mineris optime diſtingui poſſe opinetur, vehementer miramur, cum multae minerae idem faciant, ex quarum numero haematiten, ſtanni p. 440.

mine-

mineram cryſtallifatam (*Zinngraupen*) cobaltique cineream (*grauer Speiskobalt*) nominaſſe ſufficiat.

p. 458. Etſi pyritas martiales, ſi vitriolum ex iis ſeparare animus eſt, poſt praeuiam vſtionem aëri, in quo defatiſcant, exponere oportet; neutiquam tamen in vitrioli cupri elixiuatione eadem ratio obſeruanda eſt. Quod ſi enim pyritas cupreos igne toſtos, ſubdio aſſeruaueris, metuendum eſt, ne, quae omni pyritum generi inhaeret particula martialis, ſimul cum cupro ſalina ſpecie effloreſcat, adeoque vitriolum cupri inquinet.

p. 467. Cum ſaepenumero ex pyritis vſtis alumen elixiuetur, nouam quandam ferrum praecipitandi rationem Noſter proponit. Magis hunc laborem votis reſponſurum eſſe ſperat, ſi loco lixiuii, quod vulgo huic operi impenditur, ſaponariorum et vrinae putridae, lixiuium alcalinum phlogiſticatum adhiberetur, quod exiguis impenſis ex ſale lixiuio cum calce viua et carbonibus fieri poſſe docet.

p. 512. Enarratis omnibus iis, quae ad aquarum mineralium originem et explorationem pertineant, Cl. Auctor ad ſalinarum ſalisque foſſilis contemplationem accedit. Quam vt exemplo illuſtraret, ſali-

p. 517. narum comitatus Burgundiae (*Franche - Comté*) deſcriptionem adiecit. Binas vero ſalinas iſta regio habet, alteram Montmoroti, alteram Salinis (*Salins*). Illic tres putei ſunt, ſcatebrae vero plures, in hos puteos confluentes; quorum aquae, cum ſale non admodum diuites ſint, aërea ventilatione in aedificiis ſic dictis graduatoriis, concentrantur, antequam ſal excoquatur. Aquae ſalſae Salinenſes, triplici fonte ſcatentes, illa praeparatione non indigent, ſed, vt illas natura ſale plenas largitur, ſtatim igne inſpiſſantur. Salinas etiam habet Lotharingiae comitatus, tribus locis, easque

ſale

ſale ita abundantes, vt absque aëris opera ſtatim excoqui poſſint. Noſter, a ſalinarum Burgundicarum et Lotharingicarum curatore inuitatus, harum aquarum omnium naturam tum inter ſe, tum etiam cum aliis aquis ſalſis comparauit, eiusque laboris ſummam hoc loco expoſuit. Faeces ſalinarum (*Schlott*) ſelenite, ſale marino communi et terreo, mirabili ſale, terraque libera, conſtant. Ex aquis ſalſis, ſub deſtillatione nil niſi pura aqua in recipulum tranſit. Eaedem tamen dum in aëre aperto coquuntur, odorem acidum ſpargunt, qualem ex acido ſalis percipere ſolemus. Quid? quod idem vapor campanis vitreis exceptus et ſub aquae forma nunc comparens, ſyrupum violarum et heliotropii tincturam rubello colore inficere, argentumque non minus ac mercurium ex nitroſa ſolutione deturbare viſus eſt. Ex hac aqua calore ad ſiccitatem redacta, ſolidi quid relinquitur, ex ſale terreſtri et communi mixtum. Vt copiam ſalis terrei, communi ſali admixti p. 547.
cognoſcere poſſis ſolutioni mixti vtriusque ſalis cryſtallos ſodae adiicere oportet. Hac ratione enim deſtructo ſale terreo, pura terra deiicitur, quae, cum ſemper ſalis illius dimidiam partem conſtituat, facile, quantum huius fuerit, definiri poterit. Adiecit Cl. Auctor huic tractationi tabulam, qua ſalis ex variis Galliae ſalinis petiti ratio partiumque illud conſtituentium mutua proportio declaratur.

Magneſiam ſalis communis terram calcaream p. 558.
eſſe Noſter opinatur: qua tamen in re egregie fallitur, cum certioribus Cl. MARGGRAFII obſeruationibus iam dudum demonſtratum ſit, peculiare quoddam hoc terrae genus eſſe. Non minus in definienda ſalis Epſomenſis natura labitur. Illud enim, non, vt vult Noſter, ex ſale mirabili, ſale communi et terreſtri paucoque ſelenite mixtum eſt, ſed potius acido vitriolico et terra magneſia conſtat. Paratur

 enim,

enim, quod taceri mirati ſumus, adiecto ad muriam ſalis colcothare vitrioli.

p. 568. Sequitur artificiorum et adminiculorum contemplatio, quibus et dulces aquae a corruptione et putrilagine defendi, et aquae marinae ſuo ſale priuari potabilesque reddi poſſunt. In aquas puras fontium fluuiorumque putredo non cadit, dummodo in vaſis conſeruentur nulla putredine ſolubilibus. Dolia lignea eo citius aquam corrumpunt, quo recentius lignum eſt. Quod damnum, vt ex aliqua certe parte euitetur, Cl. Auctor vaſa intus vernice quodam obducere ſuadet. Aqua marina nulla vnquam filtratione edulcorari potuit. Congelata omni quidem ſale orbatur: verum huius
p. 575. aquae non vbique nauigantibus copia datur. Deſtillatio huic fini accommodatiſſima eſt. Cum vero deſtillatio iſta facile turbetur nauium in alto mari iactationibus, quibus quippe ex alembico aqua marina ſaepenumero in recipulum proiicitur, adeoque opera omnis perditur, neglecta per aliquod tempus fuit omnis aquae marinae deſtillatio; donec anno 1763. Cl. POISSONNIER, medicus Pariſinus, duplex machinarum genus propoſuit, quibus deſtillatio ſub ipſis nauium vehementiſſimis ſuccuſſibus commode inſtitui peragique poteſt. Machinam vtramque Noſter hoc loco deſcribit iconibusque illuſtrat. Altera magnum alembicum refert, in cuius cauo medio furnus reconditus eſt, ſic vt aqua marina deſtillatione edulcoranda omnem eius ambitum circumfluat. Alembici collum in capitulum oblongum rotundum deſinit, laminaque duplici ferrea clauditur, per quam tubuli plures ita transeunt, vt ab inferiori et maiori lamina adſcendant et conuergendo in ſuperiorem eandemque minorem hient. Hac ratione vapores aquae deſtillatae per tubulos iſtos ad roſtrum alembici, ſerpentino modo flexum, tranſire

tranſire coguntur, ſimulque hoc efficitur, ne aqua in alembico contenta vnquam ad recipulum defluat, ſed ſimulac nauis iactatione concuſſa fuerit, ſtatim a lamina illa, ad quam allidit, reſiliat. Altera machina ita comparata eſt, vt furnus extra alembicum, qui duplex hic eſt, exſtructus ſit, aeſtuarium vero vndique vaſi circumductum haud parum calore ſuo deſtillationem iuuet atque acceleret. Caeterum collis alembicorum laminae eiusmodi, quales paullo ante deſcripſimus, impoſitae ſunt. His inuentis, maxima vtilitate ſeſe commendantibus magnam POISSONNERIVS promeruit gloriam, ita, vt ab exteris quoque inuideretur, et IRVINVS Anglus, in ſupremo ſuae gentis concilio machinas illas tanquam a ſe excogitatas proponeret. Cuius arrogantiam tamen refutauit Cl. DVTENS inuentorique ſua iura vindicauit.

Nitrum neque ex aëre naſcitur, neque a vitriolico acido, quod multi contenderunt, producitur; ſed potius ex ipſis corporibus animalibus, putredine reſolutis, terraque calcarea, generatur, ita, vt ſimul humiditate aërisque acceſſu opus ſit ad illius formationem ſuſtinendam. Videtur adeo acidum, quod nitro ineſt, multum ignis liberi fouere, eique naturam ſuam ſalinam debere. Adumbrata ſic nitri origine, ratio a Noſtro deſcribitur, qua vulgo in colligendo et elixiuando nitro vti ſolent. Sal commune, quod ex nitroſis lixiuiis depuratione ſecedit, vt inutile plerumque reiicitur. Propoſuit itaque Cl. BAVME illud aqua ſolutum ad extinguenda incendia plurimum praeſtare poſſe, quippe cum ignem ſuffocet celerrime, et, ne rurſus accendatur, impediat. p. 600.

In fine huius libri Cl. Auctor de lapide ſic dicto philoſophorum ſuam ſententiam expoſuit, atque, vt Chymicum rationalem decet, nugas Alchemicorum ſpernendas ridendasque eſſe declarauit. p. 61

Fraudes impoſtorum perinde ac rationem illas detegendi accurate ſimul enumerauit.

p. 693. Poſt indicem huius libri, appendicis loco tractatio breuis de aëre fixo adiecta eſt. Corporum, ex quibus euoluitur aer fixus, particulis omnes virtutes et facultates tribuit, quas recentiores Phyſici huic ſubſtantiae proprias eſſe voluerunt, adeoque non opus eſſe arbitratur, vt nouae quaedam aeris ſpecies excogitentur. Diſſertationem iſtam non poſſe omnibus numeris eſſe abſolutam facile intelligitur, cum ex eo demum tempore, quo ſcripta eſt (1773) locus iſte de aere factitio innumeris inventorum acceſſionibus ornatus atque locupletatus fuerit, quae tunc maxima ex parte prorſus ignorabantur.

IV.

Diſputatio de ſale ſedatiuo HOMBERGII, quam Praeſide THEOPHIL. CONR. CHRIST. STORR, P. P. O. pro doctoris gradu defendit Auctor *A. Ch. Reuſs*, Tubingae, CIↃIↃCCLXXVIII. 4. plagg. 6.

Quo difficilior cognitu chemicis ſemper viſa eſt ſedatiui ſalis natura, et quo plures eapropter de hac re proſtant opiniones, eo magis laudandam eſſe operam eorum cenſemus, qui experimentis, iisque caute inſtitutis, lucis quicquam affundere huic diſputationi ſtuduerint. Quare commemorationi huius Cl. REVSSII libelli in noſtris commentariis lubenter locum relinquimus, praeſertim cum tentaminibus ſuis ea, quae alii de hac re tradiderint, mox confirmare, mox emendare Cl. Auctor allaborauerit. Dabimus nos huius rei quaedam ſpecimina; nam omnium experimentorum, quae Cl. Auctor

inſtituit,

inſtituit, recenſum quo minus tradamus, inſtituti noſtri ratione impedimur.

Boracis depurationem a Belgis ea perſici ratione Noſter arbitratur, vt *Tincal* repetitis vicibus in feruida aqua ſoluatur, et pinguedo eidem adhaerens aquae calcis viuae admixtione abſorbeatur, tandem vero, addita haud dubie ad augendum pondus (et ad ſaturandum ſedatiuum ſal,) quadam ſalis ſodae portione, euaporetur et cryſtalliſetur *). Vere cryſtallinum ſal ſedatiuum, quale Cl. BAVME ſe obtinuiſſe refert, nec ſublimatione, neque cryſtalliſatione vnquam producere Cl. Auctor potuit, ſed lamellarum ſubpellucidarum forma ſemper conſpicuum fuit. Crotonis tinctorii infuſum aeque ac violarum ſyrupus ſalis huius admixtione manifeſto rubri redduntur, hic tamen liquor ruborem, quem Crotonis tinctorii infuſum diu retinuit, poſt viginti horas rurſus amiſiſſe viſus eſt. Aquoſam huius ſalis ſolutionem cum minerali non minus, quam cum vegetabili et volatili alcali efferbuiſſe dicit; at vero metuendum eſt, ne vel ſtrepitu, a commixtione horum liquorum orto, vel alia ratione Auctor fuerit deceptus, nobis enim adeo felicibus nunquam eſſe contigit, vt fixum aërem ex alcalinis ſalibus hoc modo expelleremus. Contra Cl. BAVME monet Noſter, ſedatiuum ſal ſublimatione paratum

 inten-

*) Etſi nuper Cl. FERBERVS (vid. Eiusd. *Neue Beyträge zur Mineralgeſchichte verſchiedener Länder. Erſter Band, Mietau* 1778. pag. 334.) cum MODELIO defendit, hoc opus a Belgis absque vllo additamento peragi, parum tamen abeſt, quin Cl. REVSSIVM ad verum propius acceſſiſſe ſtatuamus; nam Tincal ſolutione, licet repetita ea fuerit, atque euaporatione nunquam albas, ſed fuſcas profert cryſtallos. Conf. A. MICHELITZ Diſp. exhibens ſyſtematicam ſalium diuiſionem, Viennae 1776. pag. 21.

intenſiori ſemper virore flammam alcoholis tingere, quam praecipitatione et cryſtalliſatione obtentum.

Ex tentaminibus, quae producendi ſedatiui ſalis cauſa Cl. Auctor inſtituit, patet, et axungiam porcinam, et petroleum cum terris variis mixtum atque digeſtum ſalia exhibuiſſe, quae eſſent ſedatiuo valde ſimilia; nam et lamelloſa ſplendente gaudebant forma, et alcoholis flammam reddebant viridem. Ceterum iudicat, *hoc ſal eſſe acidum ſuae naturae, quod cum ad terrarum, tum ad inflammabilium naturam quodammodo inclinet.*

V.

ANTONII BRVGMANS magnetiſmus, ſeu de affinitatibus magneticis obſeruationes academicae. Lugduni Batauorum, apud Luzac et von Damme, CIↃIↃCCLXXVIII, 4. plagg. 17. cum tabula aenea.

Nouam, eamque aptiſſimam Cl. Auctor hoc in libro Lectoribus cognitam reddit methodum, qua facillime poſſit cognoſci, vtrum quoddam corpus, ſiue minerale ſit, ſiue ex alio naturae regno petitum, ab admoto magnete attrahatur, atque adeo ferreas particulas admixtas habeat, nec ne? Nimirum etſi hactenus a variis naturae ſcrutatoribus reperta erant corpora, quae cum chemica analyſi, tum ſua aduerſus magneticam acum affinitate de ferro admixto perſuaſos reddebant phyſicos; ſaepenumero tamen occurrerunt alia, quae, etſi chemicum examen martiale principium in iisdem haerens extra omne dubium poſuerat, tamen ne mobiliſſimae quidem acus ſedem mutabant. Quare hoc ſibi ſumſit Cl. Auctor, de cuius in indagandis, explicandisque naturae phaenomenis peritia iam alio tempore

pore ad Lectores noſtros retulimus *), vt huius euentus cauſam intelligeret, eamque, ſi fieri poſſet, ſtuderet remouere. Neque hoc ipſi male ceſſit; namque eo in ſuis examinibus progreſſus eſt, vt varia corpora, quae omni ferro viderentur deſtituta, velut *cyprinum vitriolum*, *ſuber*, *nuces auellanae*, et plura alia facile ab admoto magnete attraherentur.

Verſatur autem in eo Brugmannianae methodi ſumma, vt corpora, de quorum martiali principio certus fieri cupias, quam mobiliſſima reddantur. Quam ob rem conuenit, vt vel brachio alterutri *acus non magneticae*, eiusque facillime mobilis **), vel, quod praeſtat, *puriſſimi hydrargyri*, aut *limpidiſſimae aquae* ſuperficiei eadem imponantur, atque cum generoſo magnete, eoque vel naturali, vel artefacto, parallelepipedi formam habente, disquirantur.

Ac primum quidem fluidum *ſolidis* praeſertim p. 7.
corporibus, velut *lignis*, *lapidibus*, *iisque mineris* et *metallis*, quae cum eo haud facile in amalgama abeunt, examinandis praeclare inſeruit; *fluida* vero p. 8.
corpora, prout et ea *mineralia*, quae hydrargyrum ſibi facile vniunt, atque adeo mobilitatem eiusdem tollunt, vel ſoli aquae, vel, ſi hoc humore ſint ſpecifice grauiora, aut mixtionem cum eo ineant, circello chartaceo, aut exiguae concauae lenti vitreae, puriſſimae aquae innatanti, committenda ſunt, quo facto admotus generoſus magnes affinitatem, ſi quid ferri corpus examini ſubiectum continet, non

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 438.

**) In hac acu deſcribenda quo minus prolixiores ſimus, iconis defectu impedimur. Ceterum ipſe Cl. Auctor fatetur, eam expectationi ſuae ſaepenumero non reſpondiſſe, quare iis corporibus, quae exiguam ferri copiam continent, velut *lignis*, *corticibus* etc. diſquirendis hydrargyrum, vel aquam adhibeamus, neceſſe eſt.

ſolum claram atque perſpicuam faciet, verum et-
iam polos conſtantes in eo haud raro excitabit.

Atque haec quidem magnetiſmi detegendi ra-
tio quo eſt ſimplicior, hoc quoque aptiorem eam
eſſe multa, eaque ſumma cum cura inſtituta tenta-
mina, quorum euentus breuiter annotabimus, Cl.
p. 20. Auctorem docuerunt. Et ex mineralium quidem
regno *humum atram*, *ochram flauam*, *rubram et viri-*
p. 26. *dem*, *vmbram*, *cimoleam rubram*, *molybdaenam nigri-*
cantem fabrilem, *tripelam*, *terram coeruleam* in Dren-
thiae tractu collectam, *argillam fiſtulariam*, *terram*
fullonicam Anglicam, *argillam porcellanam Delfenſem*,
ex eaque parata *opera figulina*, *bolos*, *terrasque ſigil-*
latas omnes, aliaque *terrae* et *arenae* genera, quae
colore aliquo, ſiue is *niger*, ſiue *coeruleus*, aut *cine-*
reus fuerit, tinctae deprehenduntur, generoſi ma-
gnetis actioni haudquaquam reſiſtere animaduertit.
p. 22. Eodem cum euentu eam non ſolum *argillae recen-*
tis ſpeciem, quae rubris lateribus parandis materiem
praebet, verum etiam *cunctas reliquas*, ſiue flauum,
ſiue coeruleum, aliumue colorem ex igne adipiſcan-
tur, examini ſe ſubieciſſe, ipſos vero rubros lateres
polos conſtantes hac operatione recepiſſe fatetur.
p. 23. Vtrum autem ea albae, puriſſimaeque argillae ſpe-
cies, ex qua *vaſa porcellana Saxonica et Iaponenſia*
parantur, eundem editura ſit effectum, definire cer-
tiſſime non audet; quanquam enim ipſa haec vaſa
attrahuntur, ſaepenumero tamen expertum ſe eſſe
ait, nonnulla corpora, niſi ignis actionem fuerint
paſſa, omni magnetica vi deſtitui.

p. 27. *Turfa recens* inſignem quoque exſerit erga
magnetem affinitatem; quo diutius vero hoc foſſi-
le libero aëri fuerit expoſitum, eo magis haec vis
p. 30. decreuiſſe viſa eſt; *caementum induratum* in verum
p. 32. magnetem polis diſtinctis inſtructum abiit. *Vitrio-*
lum album, illudque et *naturale* et *artefactum*, prout
etiam

etiam *viride* et *cyprinum;* porro *lapis atramentarius*, p. 76.
oſteocolla officinarum, *marmora colorata*, *lapis coticu-* p. 87.
laris, *molaris*, *pumicis et lazuli; ardeſia*, *laua*, *ſteatici*
et ſerpentini lapides, *turmalinus*, *ſuccinum;* varii lapi- p. 101.
des pretioſi velut *Rubinus*, *Hyacinthus Occidentalis et*
Orientalis, *Chryſolithus*, *Smaragdus*, *Granatus*, *lapis*
nephriticus, *Turcois*, *Iaſpides* et *Achati nonnulli*, prout
et *micae*, *asbeſtique* variae ſpecies, et *ferri*, *ſtanni*,
cupri, *zinci*, *cobalti* atque *hydrargyri minerae*, pro p. 108.
diuerſa ferri immixti copia, mox maiori, mox minori vi a magnete in motum ducebantur, atque adeo clariſſima dabant teſtimonia, falſam omnino eſſe communem illam opinionem, qua nullas ferri, aliorumque metallorum mineras, neque vllos lapides, aliaue naturalia corpora, in quibus ferri quicquam inſit, a magnete trahi ſtatuitur, niſi antea vel ſola, vel cum inflammabili quadam materie fuerint calcinata.

Indubitatis quoque, iisque fidiſſimae experientiae ſuperſtructis argumentis euicit Noſter, varia vegetabilia et animalia corpora, quorum martiale principium multis hactenus dubiis fuerit obnoxium, a magnete lubenter attrahi, etſi nulla vel calcinatione, vel alia enchireſi ad hanc affinitatem demonſtrandam fuerint apta reddita. Sic *ſpongia*, *ſuber*, p. 34.
cortex Peruuianus, *nuces auellanae*, *amygdalae*, *cortices*
arborum antiqui, *oſſa cerarum*, *lignum Rhodium*, p. 35.
Mahoni, *ebenum*, *quercus*, *etc. infecta* que varia ſatis conſpicua huius affinitatis ſigna prodiderunt, cum exiguam horum corporum partem, piperis grano circiter ſimilem, (nam rotunda figura reliquis praeſtat), hydrargyri ſuperficiei impoſuiſſet, generoſumque magnetem admouiſſet. Alia vero tunc demum hanc vim exſeruerunt, cum vel calcinata, vel in cineres, aut, Boerhaauiana methodo, in terram ſic dictam ſimplicem mutata eſſent. Atque huc

 quidem

p. 75. quidem ſpectant *ſilices pyromachi*, *charta ſcriptoria*, p. 77. *fuligo*, *lana alba*, *herbae et fructus varii*, *auium plumae*, *ſpinae piſcium*, *conchae marinae*, *aliorum animalium ossa* et *crines*, *ſanguis*, *eiusque ſerum*, *pinguedo* et *caro animalium etc. metallorum quorundam* v. c. p. 84. p. 125. *plumbi* et *zinci calces*, *antimonium diaphoreticum*, *mercurius praecipitatus ruber*, *turpethum minerale etc.* quippe in quibus mox maiorem, mox minorem partium, quae magneti adhaeſerunt, copiam infuiſſe, expertus eſt.

Quo magis vero horum experimentorum euentus, quos laudauimus, recedunt ab iis, quos alii naturae ſcrutatores cognitos nobis reddiderunt, hoc quoque aptiores aliorum opinionibus de magnetiſmo mox producendo, mox deſtruendo, emendandis, nouisque condendis noſtro Cl. Auctori viſi ſunt, quarum nonnullas vt adiungamus, vel ipſa earundem excellentia inuitamur.

p. 24. Et primum quidem mirandum nulla ratione eſſe ait, BECHERVM et GEOFFROY ex limo, vel argilla *ferrum artificiale* produxiſſe, cuius quippe inſignis quantitas in terrea illa materie latuerit, atque p. 26. adeo chemicis artificiis tantum fuerit ſeparata. Color terrarum determinatus, v. c. cinereus aut ochraſeus neceſſarium haudquaquam eſt magneticae affinitatis ſignum; namque illas ſpecies, quae luteo, alioue colore gaudent, maiori nonnunquam vi ad magnetem accedere animaduertit, atque illas, quarum externus habitus maioris affinitatis indicia prodere videbatur; attamen repetita experientia edoctus eſt, hanc ipſam vim eo magis decreſcere, quo propius huiusmodi corporum color ad perfectam albedinem accedit, ita, vt nonnullae terrae, aliaque ex iis nata corpora reperiantur, quae affinitatem p. 32. prodant omnino nullam. Caementum induratum

propter

propter magnam, quam continet, ferri copiam, ad martiales terras referendum eſt.

Magneticam ferri vim, quam cunctis fere martialibus crocis chemici denegant, Noſter delere nullo artificio potuit; etenim ſiue huius metalli in mineralibus et vegetabilibus acidis ſolutiones, ſiue crocum STAHLII aperitiuum, aliasque calces vel ex ſolutionibus, vel cum ſulphure paratas, ſiue ipſum ferrum libero aëri atque pluuiae per diuturnum tempus expoſitum examini ſubiiceret, ſemper conſpicua magnetiſmi ſigna animaduertit; et quamvis haec proprietas quodammodo imminuta eſſet, hoc tamen decrementum ab adhaerente ſalina materie vnice repetendum eſt, qua quippe rurſus expulſa, magneticae vires redeunt. p. 35.

Quemadmodum autem omnis acidorum in ferrum actio inanis erat atque fruſtranea, ita quoque ſtudioſa phlogiſti ab eodem ſeparatio ad deſtruendum magnetiſmum nihil omnino valuit. Tantum enim aberat, vt ferri ſcoriae cum nitro fuſae, ab eoque poſt refrigerium rurſus ſeparatae hac affinitate deſtituerentur, vt lubenter admoti magnetis actioni parerent, atque vnionem cum eo inirent. Hinc patet, nullum humanum artificium huic metallo deſtruendo, aut, vt chemici loquuntur, decomponendo idoneum eſſe, quippe quod, quam demum cunque habuerit formam, ſua in magnetem actione nunquam non cognoſci poſſit. p. 55.

Ceterum, etſi multa naturalia corpora, velut ſilices pyromachi, terrae variae, aliaque, quae ſupra notauimus, calcinatione ad magnetiſmum recipiendum apta redduntur, tamen Ill. BVFFONO, qui hanc vim ignis eſſe productum ſtatuit, Cl. Auctor non aſſentitur; etenim cum vbique fere ferrum inueniatur, atque in ipſa atmoſphaera haereat, non potuerunt illa corpora, quorum martiale p. 75.

princi-

principium ignis vi tantum magis conſpicuum redditur, magnetis actioni reſiſtere.

p. 90. *Corallia rubra*, quorum externus habitus ferri admixti ſigna prae ſe ferre videtur. Noſter in magnetem non agere vidit, etſi calcinatione ad hanc virtutem demonſtrandam ea apta reddiderat; hinc veriſſimum eſt, aliorum corporum mineralium colores a ferro, aliorum vero a ſola inflammabili materie repetendos eſſe.

p. 120. Attractio, quam varia corpora poſt calcinationem cum inflammabili quadam materie inſtitutam produnt, haud ſemper a ferreis particulis calcinatae terrae, ſed ſaepenumero a martiali inflammabilis materiei principio pendet; ſic *creta alba* per ſe calcinata, nulla omnino magneticae affinitatis ſigna prodidit, cum vero *candelarum ſebum* eidem admiſcuiſſet, eamque igni denuo expoſuiſſet, omnem maſſam attrahi animaduertit; hinc, ſi velimus de ferreis cuiusdam corporis particulis certiſſime perſuaſi eſſe, conuenit, vt illud absque omni additamento igni exponamus atque calcinemus.

Supereſſet, vt quasdam proferremus Cl. Auctoris opiniones, quibus noſtrum aſſenſum dare haudquaquam poſſumus; at vero, etſi huiusmodi
p. 88. materiem praeberent ea, quae de *calcarei lapidis* origine, et quorundam mineralium corporum, v. c.
p. 99. *ſerpentini lapidis* partibus conſtituentibus offendimus, quippe quae nobis haud probantur; non poſſumus tamen hic diutius inhaerere.

VI.

VI.

Sammlung der neueſten gedruckten und geſchriebenen Nachrichten von Magnetcuren, vorzüglich der Meſsmeriſchen. Leipzig, bey Chriſtian Gottlob Hilſchern 1778. 8. *Seiten* 194. praeter praefationem.

i. e.

Collectio nuper impreſſarum et ſcriptarum relationum de magneticis curationibus, praecipue Mesmerianis.

Inſunt huic collectioni variae breues relationes, litterae et reſponſa variorum Auctorum, aegrorum et Societatum, nec non recenſiones librorum et diſputationum, e. gr. HEINSII et REICHEL *), obſervationes de magnete medicae, philoſophice, phyſice et medice hanc rem proponentes, quae magneticae virtuti medicae proſunt et obſunt. Ampliores enim noluit hic Noſter colligere tractatus, quoniam illi vel iam noti vel ſaltem indicati eſſent, et facile reperiri poſſent. Attinet inprimis haec collectio Mesmeriana et Helliana ſtudia. Cum vero varia de vi medica magnetis in praecedentibus voluminibus noſtrorum commentariorum **) in vtramque partem queant legi, nec omnes in hac collectione contenti articuli a nobis ſeorſim hic commemorari: hunc librum ad hiſtoriam litterariam de magnetis vi medica pertinentem maluimus hic vulgare, quam recenſere.

VII.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 557.

**) v. ib. decad. IIdae indic. tripl. it. Vol. XXII. p. 57. it. Vol. hoc p. 139.

VII.

PHILIPPI GEORGII SCHROEDERI, Opuſcula medica, ſtudio I. C. G. ACKERMANNI. Volumen ſecundum, Norimbergae apud I. G. Lochnerum, 1779. 8. Alph. I, plagg. 11½.

Alteri huic opuſculorum, qnae vocant, academicorum beati SCHRÖDERI volumini Cl. Editor, praeter primam *experimentorum ad veriorem cyſticae bilis indolem explorandam captorum* ſectionem a nobis alibi laudatam *), decem inſerendas curauit diſſertationes, quarum cum nondum facta fuerit in noſtris commentariis mentio, aliquem recenſum eo lubentius damus, quo magis eas abundare bonis praeceptis animaduertimus.

p. 9. *Diſp. I. De haemorrhagiis febrilibus*, propoſita Gottingae 1769, a *G. C. Reichmann.* Praemiſſis haemorrhagiarum nonnullis diuiſionibus ad earum febrium, quibuscum huiusmodi profluuia haud raro coniuncta deprehenduntur, enumerationem Cl. Auctor accedit, ſimulque eorum, prout morbi atque aegroti conditio ſuaſerit, vel cohibendorum, vel adiuuandorum tradit praecepta. Et *diaria* quidem *febris* ſpontanea ſanguinis ex naribus excretione tolli nonnunquam viſa eſt; frequentius tamen, cum plethorae et congeſtionum in iis, qui hac febre laborant, cauſae ſaepe deſint, nec ſanguis a naturali ſua craſi deflectat, neque aucto valde impetu vaſa diſtendat, ſolui aliis mutationum atque excretionum generibus ea conſueuit. In *ſynocha* vero,

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 293. Alteram horum experimentorum ſectionem quo minus ederet SCHRÖDERVS, morte impeditus fuit.

vero, ſiue *ſanguinea febre*, quae eiusdem cum diaria indolis, iisque fere de cauſis, modo grauioribus, nata eſt, et ad quatuor, ſeptem, pluresue dies producitur, ſanguis ex naribus haud raro profluit, et *cauſus* huiusmodi excretione mox fuit ſublatus, mox peior redditus; etenim, ſi ſanguis in ardentis huius febris decurſu nimis fuerit attenuatus, aut ſi vehementes ſpaſticae congeſtiones eam excitauerint, acrisue in praecordiis abundauerit bilis, in aegri detrimentum huiusmodi ſpontanea haemorrhagia ſaepenumero ceſſiſſe, euentumque omnino dubium reddidiſſe viſa eſt. *Exanthematicae* variae *febres*, velut *morbilli*, *variolae*, *purpura rubra* et *ſcarlatina*, ſi plethoricos, neque vlla viſcerum labe affectos inuaſerint, ſanguinis profluuio primis morbi diebus accedente leuari vt plurimum ſolent; ſin autem puſtulae iam eruperint, dubius omnino, maiorisque periculi plenus eſt huius excretionis effectus. *Intermittentes febres*, prout et *miliarem albam ſimplicem* atque *petechiales* vix cum haemorrhagiis coniunctas eſſe, *inflammatorias* autem huiusmodi profluuiis mox ex naribus, mox ex recto inteſtino, aut mulierum genitalibus partibus prodeuntibus haud raro fuiſſe perſanatas repetita, conſtitit experientia; quare in iis, qui hac phlogiſtica ſanguinis diatheſi laborant, ſalutarem illum fluxum, de quo et bona ſanguinis indole, et ſufficiente, haud tamen immoderata, excreti quantitate perſuademur, cohibendam nequaquam eſſe patet. Ceterum, etſi ad quaeſtionem: vtrum ſanguinis copiam antea, quam haemorrhagia fiat, aut eius breui oriturae certa ſigna adfuerint, imminuere, hacque ratione ſpontaneam euacuationem anteuertere conueniat? vario modo reſponderi ſolet; artificiali tamen ſanguinis detractione haud raro euitari eiusdem ad loca minus idonea congeſtiones, eaque propter, potiſſimum

mum in iis, qui boni ſanguinis copia abundant, moderatam venae ſectionem non poſſe non ſaluberrimos ſaepenumero producere effectus, Noſter et rationibus, et experientiae innixus, affirmat.

p. 50. *Diſp. II. de coctionis atque criſeos in febribus impedimentis, variisque noxis inde oriundis*, defenſa Gottingae, 1768. a *G. M. F. Brawe.* Quo grauioribus periculis aegri, acutis morbis laborantes, cruditatis tempore expoſiti deprehenduntur, eo magis ſtudendum eſt, vt impedimenta, quae peccantis materiae coctioni atque criſi obſint, remoueamus, ipſiusque naturae conamina, quibus huic fini ſatisfacere allaborat, aptiſſimo medicamentorum, rerumque, quas vocant, non naturalium vſu adiuvemus, nec peruerſa medendi ratione ſuperſtites aegri vires debilitemus prorſus, atque ad ſubigendam, expellendamque ex corpore morboſam materiem omnino ineptas reddamus. Obſtant vero ſaluberrimo huic conſilio haud raro permultae cauſae, quibus mox ipſa cum morbis coniuncta febris, eaque vel nimis debilis, vel iuſto vehementior, mox nimia ſanguinis abundantia, mox viſcerum, glandularumque obſtructiones, mox naturae per omnem morbi decurſum, et praeſertim circa criticum ſtadium nimius languor, mox aliae circumſtantes res originem dant, eaeque eo magis metuendae ſunt, quo grauiores fuerint, et quo diutius aptiſſimae medendi rationi, diaetaeque regimini reſtiterint; etenim vel mortem accelerant, vel chronicis variis morbis anſam praebent, quibus corrigendis vix vlla medicina par eſt. Hinc, quam vtile nunquam non ſit ſtudioſius harum cauſarum examen, et quas e contrario noxas errores in medendo commiſſi efficiant, clariſſimum eſt.

Diſp. III

Diſp. III. de viribus naturae debilioribus in febrium decurſu recte aeſtimandis, iisque accommodata medendi ratione, Gottingae 1770. Reſp. *P. H. Weis*. p. 88.
Quam multum in febribus pendeat ab integriori virium naturae efficacia, et quam late ea ad omnes viui corporis functiones ſe extendat, non poteſt non iis eſſe notiſſimum, qui cum ſani, tum aegroti hominis oeconomiam perſpectam habeant, eique vel conſeruandae, vel emendandae dederint operam; hinc in varias illarum conditiones, gradusque ſollicite inquirendum, iisque, ſi labefactatae fuerint, apta medendi methodo occurrendum eſſe liquet. Signa vero, quibus vitalium virium imbecillitas cognoſcitur, a variis, quae valde laeſas viui corporis actiones concomitantur, ſymptomatibus, velut a difficili, eademque parua, rara, anxia, et praeſertim frigida reſpiratione, a variis pulſus mutationibus, a ciborum appetentiae, ſitisque defectu, ab externorum ſenſuum torpore, capitis grauitate, vertigine e. ſ. p. petenda ſunt; et cauſae eiusdem mox euidentiores, mox abſconditae magis deprehenduntur. Sic excretiones cum ſanguineae, tum ſeroſae praeter naturam euenientes, quae nec leuantium, neque criticarum habeant indolem; ſic nimia neruoſi ſyſtematis actuoſitas in deliriis, anxietatibus, conuulſiuis motibus, vigiliis diutius perſeuerantibus etc. conſpicua; ſic nimia ſanguinis abundantia, vitia regiminis, curae, meditationes, animi affectus, colluuies vitioſa ad primas vias delata, ipſa febris indoles e. ſ. p. ad cauſarum debilitatis in febrium decurſu obviae numerum pertinent, quae, niſi remoueantur, peccantis materiei coctioni obſunt, eamque prorſus prohibent. Eſt vero in tollenda hac debilitate non ſolum ad eius indolem, quibus nempe in functionibus, et quo gradu ſe exſerat, eiusque ad cauſas, ex quibus fuerit orta, verum etiam ad integram

praeſentis morbi naturam, et exitum, quem tum ſibi relictus, tum certa ratione tractatus, habiturus ſit, ſimul reſpiciendum, vtendumque eapropter auxiliis, quae et debilitati, et ipſi principi morbo conueniant.

p. 147. *Diſp. IV. de putridarum febrium differentiis*, defenſa Gottingae 1768. ab *A. E. Brande*. Etſi negari omnino non poteſt, putridas humorum corruptiones cum variis febribus, quarum cauſam mox vario modo, graduque alienata bilis, mox alia vitioſa colluuies ad primas vias delata, mox inflammatoria quaedam ſtaſis ſiſtit, haud raro reperiri coniunctas; tamen certum eſt, repetitaque experientia euictum, putridas nonnunquam obuenire febres, quae, cum neque malignis accenſendae ſint, neque bilioſam colluuiem, aut inflammatoriam ſtaſin coniunctam habeant, velut peculiare febrium genus conſiderari mereantur, quod ſoli humorum reſolutioni vel contagio excitatae, vel a nimia inedia, vehementiori motu, mercurialium, terreorumque medicamentorum et aromatum abuſu, excernendorum retentione, aliisque cauſis productae originem debeat. Hinc male philoſophatos fuiſſe eos apparet, qui, vagae malignitatis notione innifi, nullam putridam febrem a malignitate immunem eſſe poſſe, ſed vtrumque morbum ſemper coniunctum reperiri cenſuerint. Malignum autem aegrorum ſtatum tum putandum eſſe, Noſter arbitratur, cum is, ſecundum experientiam, cum vitae coniunctus ſit diſcrimine, neque tamen, ex euidentioribus cauſis aeſtimatus, talis eſſe appareat, quemadmodum in phrenitide, paraphrenitide, Anglorumque lenta neruoſa febre, quibus quippe morbis ſolis cuncta fere malignitatis ſymptomata ſemper et vbique communia ſint, animaduertatur. Iam ad ipſas putridas febres Noſter propius accedit, easque mox ſimpli-

ſimplices eſſe, mox cum aliis morbis, velut cum inflammationibus, catarrhis, exanthematibus variis etc. reperiri coniunctas; mox continentium, mox continuarum remittentium ab iisdem ſeruari typum, exemplis quibusdam ex optimis Auctoribus deſumtis probat. Praeterea quoque in ſporadicas, quae ex viſceris cuiusdam ſingulari vitio, aut ex ſcorbutica conſtitutione, commiſſis diaetae et regiminis vitiis etc. originem repetant, et in epidemicas, nec non in primarias et ſecundarias diuidi has febres poſſe, multis multorum obſeruationibus, quarum nonnullas Noſter recenſet, certiſſimum redditum eſt. Ceterum, quid ſentiri de LINNAEI et PLENCIZII opinionibus debeat, quibus omne contagium animalculis deberi ſtatuatur, in fine diatribes Cl. Auctor exponit, contagiumque eſſe ſubtile quid, quod vi humores corporis, ſi iis applicetur, in materiem ſibi ſimilem conuertendi polleat, inſecta vero potius ad effecta quaedam contagii, quam ad eiusdem cauſas referri debere, veroſimilius arbitratur.

Diſp. V. ſiſtens analecta quaedam circa variolarum diſtributionem inprimis ratione febrium cum iis coniunctarum, defenſa Gottingae 1770, a *I. D. Fellinger*. Si qua SYDENHAMO, ob rationalem, quam ſuaſit, variolis medendi methodum, laus atque gloria debetur, non poteſt ſingulare HVXHAMI ſtudium, quo potiſſimum febres varias, quae ſolent cum variolis ſaepenumero coniunctae eſſe, diligentius rimari ſibi propoſuerat, laudibus indignum cenſeri, cum, quam multum ad ſanationem huius morbi accuratum febris coniunctae regimen faciat, medentibus notiſſimum ſit. Tria autem febrium genera, quae potiſſimum cum variolis commercium p. 198

 habe-

habeant, HVXHAMVS enumerauit, ex iisque lentam neruoſam inflammatoria et petechiali vel maligna longe rarius ſibi obueniſſe dicit. At vero, in hac ipſa variolarum, quoad febres, diuiſione acquieſcendum haudquaquam eſſe, cum ex medendi methodo, qua SYDENHAMVS in confluentibus vſus eſt, tum ex morborum hiſtoriis, quas HOFFMANNVS, TISSOTVS, aliique recentiores medici conſignarunt, clariſſimum eſt; etenim haud raro, immo certe plerumque, inquit Noſter, vitioſae et noxiae, plus minusue bilioſae, vel alius indolis morbidae colluuiei in praecordiis haerentis indicia, mox praeſente ſimul vel inflammatione, vel putrida humorum reſolutione, mox his etiam deficientibus animaduertuntur, quae, quo minus principis morbi ſanatio ex voto ſuccedere poſſit, omnino prohibent; quare dubium nullum ſupereſt, quin ex natura atque indole accedentis ad variolas morbi probe cognita multum in ipſum aegrum redundare poſſit vtilitatis. Ceterum, quod ſpectat ad illam variolarum diuiſionem, qua mox benignas, mox malignas dicendas eas eſſe nonnulli perhibent, Noſter eam proſcribendam prorſus cenſet, quod neque Auctores in iisdem definiendis ſibi conſtant, nec quicquam vtilitatis, ſed multum noxae potius ab hac partitione expectandum videtur.

p. 260. *Diſſ. VI. de inflammatione diaphragmatis*, propoſita Gottingae 1771, a *L. A. Ebeling.* Laudatis quibusdam BOERHAAVII et SALII DIVERSI locis, quibus ipſum transuerſum ſeptum inflammari poſſe, aduerſus WILLISIVM et BIANCHIVM probatur, rationibusque, cur altum ſit in optimorum quorundam Auctorum libris de hoc morbo ſilentium, redditis, Noſter ad ſigna, quibus a pulmonum, pleurae, iecinoris, aliarumque vicinarum partium inflammationibus

tionibus vera diaphragmatis inflammatio diſcerni poſſit, progreditur, eaque potiſſimum in tenſionis, dolorisque vehementis ſenſu, qui inſtar circuli thoracem inferiorem ſtringentis ſe gerat, et praeſertim in inſpiratione augeatur; praeterea in celeri ac breui, ſeu parua ac frequenti, creſcente vero malo inaequali reſpiratione, et in hypochondriorum verſus pectus reuulſione, quibus nonnunquam triſmus Sardonicus, conuulſiones, ſingultus idiopathicus, pulſatio vel palpitatio circa cordis ſcrobiculum et ſimilia ſymptomata accedunt, cerni exiſtimat. Ceterum, etſi certum eſt, hunc morbum mox cum deliriis coniunctum eſſe, mox ab iisdem prorſus deprehendi immunem; rariores tamen fore illos caſus, vbi ea abſint, Noſter propterea arbitratur, quod magis diaphragma per ſe vehementi patet inflammationi, quam leui, bilisque, quae prout, ſi ſanguini fuerit admixta, ad eum incendendum, tenuem, acremque reddendum et commouendum valet, ita quoque deliriis cauſam poteſt praebere, ea in copia plerumque adeſſe deprehenditur, quae ſit menti turbandae, aliisque grauiſſimis ſymptomatibus producendis longe aptiſſima. Iam vero, praecipua horum ipſorum ſymptomatum, quae huic morbo communia ſunt, velut riſum, triſmum Sardonicum, ſingultum etc. ſtudioſius contemplatur, tandemque breuiſſimis de morbi ſanatione exponit, quae etſi quam maxime anceps eſt, eoque magis dubia, quo grauius malum vrget, peioresue notas oſtendit, ea tamen potiſſimum peragenda eſt ratione, vt quantocius ſanguinis miſſione materiem morbo detrahere, tum alui ductione ſubinde ventri, viſceribusque liberiores et laxiores reddere vias ac motus, ſoluentibus, diluentibus et temperantibus ſanguinem ad aequabilem per vniverſum corpus curſum reducere, perſpirationem,

 reliquas-

reliquaſque excretiones expedire, et denique ſymptomata, conſequentiaque ſuis remediis curare allaboremus.

p. 306. *Diſp VII. de haemoptyſi in genere, et ſpeciatim eius nexu cum varia aduerſa ex hypochondriis valetudine*, defenſa Gottingae 1766, a *G. A. Gramberg.* Quanquam diffitendum omnino non eſt, ſpontaneam ſanguinis ex pulmonibus, aſperaque arteria excretionem, eamque praeſertim repetitam, de gravi viſcerum reſpirationi inſeruientium labe teſtari, peſſimosque eam vtplurimum excipere effectus; nonnunquam tamen omni non ſolum periculo caruiſſe, verum etiam morboſa quaedam ſymptomata a menſtruorum, aliarumque ſolemnium haemorrhagiarum fluxu prohibito exorta eam ſanaſſe, ex HOFMANNI, TVLPII, aliorumque medicorum ſcriptis conſtat. Quare in ferendo de haemoptyſeos exitu iudicio cum ad ipſam ſanguinis excreti indolem, tum ad varia, quae excretionem concomitantur, ſymptomata probe reſpiciendum eſſe liquet, vt ne tanquam phthiſeos prodromum conſideremus, omnique omnino medelae reſiſtentem putemus eam haemoptoën, cuius cauſa in hypochondriis poſita ſit, aptaque eapropter medendi ratione interdum tolli queat. Etenim, ſi haud diſpoſitum ſanumque corpus poſt vehementes motus huiusmodi ſanguinis excretionem experitur, neque periculoſi cum ea coniuncti ſunt effectus; aut ſi a ſenſiliori neruoſo ſyſtemate, ſpaſmisque hypochondriacis hoc ſputum fere vnice pendet, illudque phlegmatis conſueti leuis ſputum absque odore et alieno colore ſubſequitur, neque vllus in pectore dolor, aut grauatiuus ſenſus animaduertitur; porro ſi febricula et calores poſt coenam abſunt, vires deprehenduntur integrae, nullaque profundius reſpirandi

ſpirandi adeſt difficultas, cum minoribus periculis coniunctam hanc haemorrhagiam eſſe tuto licet coniicere; at vero omnis copioſa haemoptoë, eaque praeſertim, quae diſpoſitum ad hanc affectionem corpus aggreditur, aut ab interna acrium humorum eroſione orta eſt, ſimulque laeſi et exulcerati pulmonis indicia, velut obtuſum in quadam pectoris regione dolorem, faciei et totius corporis poſt prandium vel coenam calorem auctum, anxietates etc. coniuncta habet, metuenda valde, periculique pleniſſima putanda eſt, quippe quae mox citius, mox ſerius in veram phthiſin abeat. Veroſimile autem eſt, inquit Noſter, permultas, niſi plerasque haemoptyſes vitiis viſcerum hypochondriacorum qualibuscunque eſſe implicatas, magnaque ex parte his ipſis exiſtentiam ſuam et vim debere; nam portarum venae obſtructionibus, impeditoque hac ratione ſanguinis progreſſu, aut nimia neruoſi ſyſtematis debilitate atque irritabilitate, vel denique variarum et inprimis bilioſarum ſordium colluuie in viis primis latente, mox omnem humorum circulum valde turbari, mox ſpaſmis anſam praeberi certum eſt, quorum cauſae niſi idonea vivendi, medendique ratione corrigantur, congeſtionibus ad ſuperiora, et, praeſertim ſi pectus anguſtius fuerit, anxietati, difficili reſpirationi, ipſisque ſanguineis ſputis producendis reperiuntur aptiſſimae.

Diſp. VIII. exhibens analecta de apoplexiae ex praecordiorum vitiis origine, propoſita Gottingae 1767, a *G. P. Koch.* Cum repetitis euictum fuerit obſeruationibus, encephalum, vel principem aliquam eius partem, qualicunque ratione affectam, laeſamque in apoplecticis perſaepe fuiſſe; opinati multi, iique celeberrimi medici ſunt, hunc grauiſ- p. 338.

 ſimum

ſimum morbum ſine eiusmodi cauſa, quae comprimendo ſuam in encephalum efficaciam proxime exſerat, oriri nunquam poſſe; at vero ex WILLISII, MORGAGNI, aliorumque, qui funeribus incidendis, cauſisque morborum expiſcandis dederunt operam, relationibus clare patet, huiusmodi cauſam, etſi ſollicite fuerit quaeſita, ſaepenumero reperiri haudquaquam potuiſſe; hinc, ſi qua eſt vniuerſalis apoplexiae proxima cauſa conſtituenda, ea MORGAGNI verbis, quibus in intimorum, qui in cerebro fiunt, motuum, cum nempe mouemus, ſentimus, cogitamus, ſubita imminutione, eaque interdum tam vehementi, quae proxime ad ceſſationem accedat, aut in hunc ſtatum continuo transeat, eam cerni, hanc autem imminutionem a variis, multisque cauſis, quarum aliae ſenſus omnino fugiant, aliae ſub hos cedant, induci ſtatuit, optime comprehendi poſſe videtur. Ad harum vero remotarum cauſarum numerum praecordiorum varia vitia, velut ſingularem corporis craſſitiem et obeſitatem, habitualem rubri ſanguinis abundantiam, arthriticam pertinaciorem, inprimis podagricam corporum diatheſin, ſiue retenta in viſceribus, nec ad articulos detruſa, ſiue ex iisdem retropulſa fuerit materies, laeſa a neruoſo ſyſtemate vndecunque vehementius affecto viſcera ad chyli officinam pertinentia, etc. quibus ſenſorii communis, plurimorumque corporis neruorum munia facile alienentur, vel etiam plane impediantur, eſſe referenda, Noſter variis, iisque cum ex prodromis apoplexiae, tum ex ſymptomatibus nonnullis cum ea haud raro coniunctis, ipſaque medendi ratione petitis argumentis demonſtrat.

p. 384. *Diſp. IX. de arthritide vaga*, defenſa Gottingae 1768, a *B. Dugend.* Cum magna ſoleat inter

ter rheumatiſmum arthritidemque eſſe affinitas, et vterque morbus mox ſingulari cuidam corporis parti velut affixus haerere, mox circumuagari, mox cum febrilibus variis ſymptomatibus coniunctus eſſe, mox ab iisdem immunis prorſus deprehendi conſueuerit; operae pretium ſe facturum exiſtimauit Noſter, ſi, qua in re cernatur vera vtriusque morbi natura atque indoles, antea exponeret, quam ad ipſam de vaga arthritide diſputationem progrederetur. Quare varias cum veterum, tum recentiorum medicorum de hac re opiniones ſtudioſe collegit, easque inter ſe ita comparauit, vt, quae ad verum propius accederet, non poſſet non clarum atque perſpicuum fieri. Acceſſit deinde ad cauſarum, quibus arthritis ſuam originem deberet, ſcrutinium, ſimulque de ſede, exituque huius morbi vario diſputat, atque aptam ſuadet eidem medendi methodum. Ceterum, vt ipſius pertractionis quaedam exhibeamus ſpecimina, non opus eſt, cum cuncta, quae in hoc libello comprehenderentur, aliena obſeruatione niti, aliorumque ex relationibus petita, animaduerterimus.

Diſp. X. de puris absque praegreſſa inflammatione origine, defenſa Gottingae 1766, a *I. C. Grimmann* *). Quanquam abſceſſus, ſcirrhos, gangraenamque, praegreſſa inflammatione, ſaepe enaſci animaduertimus, tantum tamen abeſt, vt huiusmodi humorum ſtaſis ad generanda illa vitia ſemper requiratur, vt potius mox inſignem puris copiam in p. 460.

 quodam

*) Hanc diſputationem neque a b. SCHRÖDERO, neque a GRIMMANNO profectam, ſed Cel. I. A. MVRRAYO gratam habendam eſſe, ex animaduerſione Germanicae editioni Roſenſteiniani de infantum morbis libri (Gottingae et Gothae, 1774. pag. 121.) adiecta cognouimus.

quodam loco colligi, mox gangraenoſam, ſcirrhoſamue aliquam partem euadere ſine vllis praegreſſae inflammationis indiciis videamus. Hinc mirandum omnino eſt, nuperos quosdam medicos hanc doctrinam, de qua veteres iam perſuaſos fuiſſe abvnde conſtat, fere prorſus reieciſſe, neque dignam exiſtimaſſe, quae nouis argumentis illuſtraretur atque amplificaretur. Quam ob rem Noſter de latiſſimo huius doctrinae in praxi vſu perſuaſus, partem eiusdem, eam ſcilicet de abſceſſuum quorundam ortu opinionem, quam nuper praeter QVESNAIVM, B. HAENIVS *) potiſſimum propoſuit atque explanauit, pertractandam ſibi ſumſit, in eaque re ita verſatus eſt, vt, tribus huiusmodi abſceſſuum ſpeciebus conſtitutis, exemplis variis, iisque admodum idoneis ſuam doctrinam illuſtraret, et argumentis quibusdam vſum eius ſtabiliret. Ac *prima* quidem *ſpecies*, in qua nimirum pus eodem, quo collectum reperitur, loco originem ſuam cepit, nec aliunde, niſi per latens et occultum ſanguinis vitium illuc fuit delatum, mox ex acuta quodam febre, mox ſponte in corpore ad eam concipiendam apto oritur, et plerarumque phthiſium ſiſtit natales. Inter varia autem ſpaſtica ſymptomata, viſcerumque debilitates, hic morbus obrepit, nec febrem ab initio ſtatim ſibi iunctam habet, quae potius ſubdola vi emergens catarrhalem ſubinde referat, neque conſtanter, ſed per interualla quaſi affligat, eidemque tandem manifeſtiora ſuppurationis indicia, velut dolores circa thoracem, humerosque mox obtuſi, mox acutiores, reſpiratio moleſtior, preſſionis circa pectus ſenſus, quocum tuſſis interdum coniungitur, cachecticus habitus etc. accedunt. Ceterum non pulmones ſolum, verum etiam alia viſcera latenti iſti corruptelae, quae exulceratio-

*) vid. comm. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 92. ſeqq.

cerationem pariat, obnoxia ſunt, vtplurimum tamen pulmones ſimul affecti deprehenduntur, ita, vt aegri raro in exitium vergant, niſi hi ipſi communi laborent vitio. In *ſecunda* abſceſſuum ſine inflammatione natorum *ſpecie* pus non fixo quodam loco colligitur, ſed libere in ſanguinis maſſa oberrat, dataque occaſione per patula corporis loca effluit. Etſi vero in ipſo ſanguine, dum e vena mittitur, purulenti nihil apparet, ſed cuncta homogenea, accurateque miſta in eo reperiuntur; haud raro tamen, inciſo funere, circa cuiusuis generis viſcera cruſtae ſubflauae, albidae, eaeque inſtar lardi compactae poſitae ſunt, quibus cum nullae aliae viae, quam tenerrima exhalantia vaſa patuerint, ipſum ſanguinem originem dediſſe vero omnino ſimile eſt. Pus hac ratione exortum mox ad pulmones vergere, mox per nares, meatum auditorium, vrinae vias etc. excerni viſum eſt. Progredimur ad *tertiam ſpeciem*, in qua pus, aliquo loco in corpore iam collectum, ad remotiorem quendam, nullo antea vitio affectum defertur. Tranſitus huius puris, prout conſtat, varius eſſe poterit, ipſa vero ratio, qua ad alium locum vehitur, triplex eſt eaque vel reſorptione, (hanc tamen rarius euenire Noſter putat,) vel transmigratione per celluloſitatis cauernas, vel per eroſam telam, conſumto adipe, abſoluitur, purisque metaſtaſes format. Ceterum, quod ad puris generationem ſpectat, in ipſo ſanguine cordis vi per ſua vaſa agitato natales eiusdem quaerere, tutiſſimum eſſe, eam autem ſanguinis partem, ex qua illud fluidum naſcatur, definiri vix ac ne vix quidem poſſe, Noſter fatetur.

VIII.

VIII.

CHRISTIANI EHRENFRIED ESCHENBACHII, Medicinae Doctoris et Profeſſoris in Academia Roſtochienſi Publici Ordinarii, Scripta Medico-Biblica. Roſtochii apud I. C. Koppium, CIƆIƆCCLXXIX, pag. 134. in forma octaua.

Gratum omnino Cl. ESCHENBACHIO habendum eſt, quod ea opuſcula, quibus academicis quibusdam ſolemnitatibus quondam praeluſerat, coniunctim edenda curaret. Etenim, quam dignae hae de morbis quibusdam, quorum in ſacris bibliis mentio fit, diatribes fuerint, quae denuo imprimerentur, ex indice earum, quem dabimus, apparebit.

p. 5. *I. De gemellorum partu* ad illuſtrandum locum Gen. XXXVIII. 27 – 30. Etſi WRISBERGIVS ſua experientia dubium ab inuolucro cuilibet gemellorum proprio deſumtum, quod obiici a nonnullis MOSIS de partu illo narrationi ſolet, remouere ſtuduit; putat tamen Noſter, eam, quod alter gemellorum, de quibus WRISBERGIVS retulit, mortuus fuerit, eidem diluendo aptam non eſſe, ſed ſuſpectam omnino manere facti a MOSE relati veritatem. At ſalua res eſt; etenim licet certiſſimum ſit, gemellorum quemuis ſuis circumdari membranis, tantum tamen abeſt, vt vtriusque inuolucri laceratio a partus doloribus fieri nequeat, vt ea haud raro ab obſtetricibus animaduertatur; hinc ſeparatum involucrum non obſtare patet, quo minus gemellorum ille, qui manum ex vtero emiſerit, atque adeo primum prodire fuerit viſus, alterum in ipſo partu ſequatur, cum addi tantum, illuſtrationis ergo, vtriusque inuolucri disruptio debeat.

De

II. De Iudaeorum lepra, Leuit. XIII. et XIV. p. 17.
Praemiſſis iis ſignis, quibus lepram ab aliis morbis dignoſci potuiſſe nonnulli ſacri codicis loci teſtantur, Noſter aſſeuerat, variisque MOSIS, aliorumque ſacrae hiſtoriae Scriptorum relationibus probare annititur, hunc morbum iis nequaquam annumerandum eſſe, qui ex naturalibus cauſis originem ſuam repetant, ſed ad ſupranaturalium claſſem eum pertinuiſſe, eique adeo tollendo ſupranaturalibus quoque mediis opus fuiſſe. Ceterum aduerſus nonnulla cum theologorum tum medicorum placita, quibus lepram non ſolum Iudaeos, verum etiam gentiles quoscunque olim vexaſſe, eamque ad contagioſos morbos referendam eſſe, atque homines in variis regionibus etiamnum ea laborare contenderunt, varias Noſter protulit obiectiones, quae etſi potiſſimum argumentis ex ſacris litteris petitis nituntur, verendum tamen eſt, vt eorum plauſum ferant, qui cum leproſis verſati ſint, iisque ſanandis dederint operam *).

III. De obſeſſis. Homines, in quibus angeli p. 41. mali ita inhabitant, vt corporis organa, viresque pro lubitu regant, eo tempore, quo mundi Soſpitator inter telluris incolas verſatus eſt, quin etiam aliquamdiu poſtea obueniſſe, aduerſus MEADIVM et FARMERVM, Noſter monet, eo potiſſimum vſus argumento, quod effectus, quos edebant obſeſſi, cum maniacorum atque epilepticorum conuulſionibus nequaquam conuenire ex variis ſacri codicis locis pateat. Deinde ſingulorum, quorum in noui foederis libris mentio fit, obſeſſorum res geſtas ſtudioſius

*) vid. G. G. SCHILLINGII de lepra commentationes. v. ſupra. p. 424.

dioſius conſiderat, easque ſuae opinioni robur addere ſummum arbitratur.

p. 60. *IV. De piſcina Bethesda,* Ioh. V. 2–4. Cum MEADIVS, HEVMANNVS, aliique in ea verſati fuerint opinione, vt piſcinam, de cuius viribus IOHANNES laudato loco retulit, ad medicatos fontes referendam eſſe ſtatuerent, operae pretium ſe facturum exiſtimauit Noſter, ſi disquireret, vtrum illae virtutes, quas Euangeliſta laudat, fonti cuidam medicato conuenire poſſent. Quam ob rem cum ſalutaribus effectibus, quos huiusmodi fontes in humano corpore exſerunt, piſcinae illius vires comparat, easque teſtari arbitratur, medelam ex naturae quodam regno petitam morbis illis, quibus tollendis ſalutaris piſcinae aqua par erat, haud ſuffeciſſe, atque adeo ſupranaturale remedium eam praebuiſſe, nec eiusdem exemplo, prout BARTHOLINVS voluit, vniuerſalis medicamenti exiſtentiam poſſe probari.

p. 73. *V. De ſudore ſanguineo,* Luc. XXII. 44. Etſi non defuerunt, qui humani generis redemtorem in olиueti monte humorem alias ex cutis poris transeuntem, neque rubrum ſanguinem exſudaſſe perhiberent; LVCAE tamen verbis inſiſtendum eſſe, verumque omnino cruorem ex CHRISTI cutanea ſuperficie exſtillaſſe, Noſter arbitratur, argumentisque idoneis confirmare rei huius veritatem ſtudet. Etenim, etſi ſanguis, quamdiu et impetus eiusdem, et vaſorum, quibus ille coërcetur, reſiſtentia ſeruatur aequalis, prout in naturali ſtatu ſemper animaduertitur, vltra vaſa haud penetrat; tamen, ſi humoris huius motus a cauſa quadam occaſionali augetur, capillares arterias ſanguiferas nimis dilatari, et lymphaticas capacitatem ampliorem aſſumere,

eamque

eamque nanciſci diametrum, quae cruori introitum permittat, certum omnino, medicorumque experientia cognitum eſt; hinc, cum ſaluatoris mentem grauiſſima negotia occupatam tenerent, quae eidem commouendae eſſent aptiſſima, non potuit non ob arctiſſimum huius cum corpore commercium, praeter alia commoti animi effecta et ipſe ſanguineus ſudor ex cutaneo habitu exire.

VI. De ſanguinis et aquae e latere Saluatoris crucifixi perfoſſo effluxu, Ioh. XIX. 33 – 37. In p. 82. illuſtrando hoc ſacri codicis loco Cl. Auctor ea verſatur ratione, vt, laudatis WEDELII, BARTHOLINI, BLASII, HEVMANNI, aliorumque clarorum virorum cum de laeſo latere, tum de partibus, ex quibus humores prodierint, opinionibus, argumentisque, quibus fuerit prohibitus, quo minus aſſentiri illis omni ex parte poſſit, additis, ſuam de hac re cognitam reddat ſententiam, eamque aptis rationibus ſtabilire allaboret. Redeunt autem, quae diſputauit, eo, vt, etſi ſiniſtrum latus laeſum fuiſſe admodum vero ſit ſimile, ipſum tamen cor atque pericardium haſtam nequaquam tetigiſſe, ſed potius ſuperiorem cauae venae truncum ea fuiſſe laceratum, atque ex hoc vaſe cruorem prodiiſſe, autumet. Quod vero ad aquam, quae vna cum ſanguine ex perfoſſo latere effluxit, attinet, eam ex humani corporis natura explicari non poſſe, ſed ſupranaturalem habuiſſe originem, Noſtro videtur veriſimile.

VII. De ſaluatore non apparenter, ſed vere mortuo, Ioh. XIX. 33. 34. Quum DAMMIVS, cele- p. 120. bris quondam chriſtianae religionis aduerſarius, ſalvatorem crucifixum ſyncope tantummodo correptum, et, a cruce ſolutum, agnatorum cura, mediisque

que idoneis refocillatum, ſicque in vitam ex apparente morte reuocatum eſſe, perhibuerit; Noſter, argumentis potiſſimum ex medicina deſumtis, innixus hanc obiectionem remouit, ſimulque de ſignis, quibus apparenter mortui a vere mortuis poſſint diſtingui, quaedam immiſcuit, ex quibus velut minus cognitum illud, quod arteriotomia ſubminiſtrat, annotandum videtur; etenim ſi ſyncoptici occipitalis, radialis, aliaue his ſimilis arteria ſecetur, ſanguis ſtatim effluet, ipſisque ſaltibus, licet exiguis, diſcerni poterit; nihil vero rubri ſanguinis prodibit, ſi mortuus fuerit homo, cuius quippe arterias ſanguine deſtitui, cadauerum ſectionibus conſtitit.

IX.

Der Naturforſcher. VII. Stück. 18. *Seitt.* 7. *Kupf. Halle* 1775. 8. *VIII. Stück.* 19. *Seitt.* 7. *K. IX. Stück.* 20. *Seitt.* 6. *K. X. Stück.* cum indicibus 13. *Seitt.* 2. *K.* 1777.

i. e.

Naturae Scrutator. Pars VII. VIII. IX. X.

Indicauimus iam alio tempore huius diarii partes priores *), quibus nunc et poſteriorum commentationes breuiter ſubiungimus. Continentur autem ſeptima parte hi tractatus.

p. 1. 1) C. G. DE MVRR, *Aduerſaria ad hiſtoriam naturalem Iaponenſium et Sinenſium.* Recenſet nonnullos harum gentium libros et icones in primis plantarum laudat, cum reliquorum corporum naturalium delineationes rarius naturae reſpondeant. Inpri-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 700. Vol. XXIII. p. 45.

Inprimis autem libri cuiusdam Sinici hiſtoriam naturalem ſpectantis mentionem iniicit, quem in bibliotheca TREWIVS aſſeruauerat, atque mineralogicarum, botanicarum et zoologicarum tabularum 305, et quae in iis depinguntur corpora naturalia commemorat, Linneana nomina et noſtri aeui naturalem ſcientiam ſubiungens.

2) I. L. FRISCH *de cauſis variae formae et magnitudinis canis familiaris.* Praemiſſa breui ſuper animalibus hybridis diſſertatione, expenſisque BVFFONI de varietate canum opinionibus, ſua proponit; atque putat vim imaginationis, animi affectus, metum tempore grauiditatis, clima, nutritionem, coitum diuerſarum varietatum et migrationes in hominum ſocietate, has varietates diuerſas progignere. Contendit ſimul canes ex vna et peculiari ſpecie ortum duxiſſe atque iſtam in Aſiaticis regionibus adhuc inueniri. Quibus adiunxit quatuor varietatum huius ſpeciei tabulam, qua canes naribus et cranii figura inprimis differre docet. p. 52.

3) O. F. MÜLLERI *obſeruationes ſuper Chao infuſorio, vermibus et inſectis ex epiſtolis ad* GOEZIVM *datis petitae.* Obſeruationes GOEZII de natura *Vibrionis anguillulae* probat; *Sphegem nigram* deſcribit, quemadmodum quoque genus *Cyclopis* ſuis animaduerſionibus illuſtrat. p. 97.

4) S. A. DE ROTTEMBVRG *annotationes in Tabulas Hufnagelianas Papilionum.* Conſiderantur potiſſimum Sphinges atque traduntur deſcriptiones *Sphingis Galii*, *Sph. aſiliformis*, *Sph. oeſtriformis*, atque *Sph. tabaniformis.* p. 105.

p. 113. 5) I. E. I. WALCH *aduerſaria entomologica Pars II.* Deſcribitur et depingitur *Papilio luctuoſus* eques alis nigris faſcia cyaneo viridi communi, ad marginem primorum punctis quatuor eiusdem coloris; et *Papilio Fulgrator* eques alis fuſcis area cyaneo-viridi radiata, linea primorum albida interrupta tribus albidis punctis.

p. 117. 6) I. A. E. GOEZE *index nominum omnium papilionum a* ROESELIO *et* DE GEERIO *deſcriptorum ſecundum Linneanum ſyſtema.* Vtilis catalogus.

p. 151. 7) *Deſcriptio nonnullorum rariorum Conchyliorum muſei Societatis Naturae Curioſorum Gedanenſis.* Turbinum tres ſpecies et vna Neritae ex Noua Seelandia depinguntur atque deſcribuntur.

p. 169. 8) KÜHN, *de erucis, quae teſtaceis affines ſunt.* Depingi curauit varias laruas, quas in Quercu et ſalicibus magnitudine et figura diuerſas, ex vario quoque ſuppellectili v. g. corticis ſquamis l. ramulis minutiſſimis exſtructis tegminibus obtectas inuenit et ſedulo deſcripſit.

p. 189. 9) O. F. MÜLLERI *rarioris cuiusdam plantae deſcriptio.* Enarratur ſtructura *Conferuae ſtellaris filamentis e baſi orbiculari parallelis.* Flor. Dan. tab. 660.

p. 195. 10) I. E. I. WALCHII *aduerſaria mineralogica Bauariae et Palatinatus.* Enumerantur primum terrae et metalla eorundemque efficacia et loci natales ſicuti et lapides atque petrefacta, inter quae Vermiculitae, Belemnitae, Ammonitae, Trochitae Buccinitae, Chamitae, Pectinitae, Oſtracitae, Mytulitae, et Terebratulitae nominantur.

11) I. E. I. WALCHII *obſeruationes lithologicae*, p. 211. Pars ſexta. Duo Tubulitae, Nautilites et Patellites regionis Megapolitanae indicantur, iconibusque illuſtrantur.

12) I. S. SCHRÖTER commentatio *de rarioribus quibusdam matricibus metallorum et mineris.* p. 217. Supplementa ad LEHMANNI de hac materie diatriben. Cuprum et plumbi mineram in Selenite, ſtannum et pyritem in granite, cobaltum in talco et cuprum in marga inuenit. Sic quoque lapidem arenaceum, quarzum, terram ſiliceam et alias mineras tanquam auri, ſtanni, cupri et aliorum metallorum matrices nominat. Quibus de ferro natiuo nonnulla ſubiunguntur.

13) HVNTERI *deſcriptio animalis ex India orientali Nyl-gau.* p. 236. Verſio ex Philoſophicis Transactionibus cum icone.

14) STEPHAN DE VISME *de terrae motibus in inſula Macao et ſingulari Simiarum ſpecie in Bengalia.* p. 268. Ex iisdem verſio.

15) KÜHNIVS quaedam contra GOEZII ſententiam diſputat atque experientia innitens illam collectionem filorum, quae nobis ſub nomine *des fliegenden Sommers* venit, ab araneis deducit, quae tempore autumni prata hiſce obducant filis. p. 272.

Octaua autem pars offert: P. VIII.

1) FRISCHII *de cauſis diuerſitatis inter marem et feminam animalium et praecipue varii coloris commentationem.* p. 1. Characteribus tum externis, tum internis inter marem et feminam obuenientibus dis-

 quiſi-

quiſitis, praeter partes genitales, quae non omnibus tanquam externi characteres ſuppetunt, variam magnitudinem et figuram, pilorum et pennarum varium colorem, varias partes, quae vel caput et alia ornant corporis loca, et vocis diuerſitatem, characteribus externis annumerat. Quae omnia exemplis bonis neque incongruis ex mammalium et auium hiſtoria confirmantur atque etiam ſingulorum ordinum tanquam ſolidipedum, calceatorum, ſoricum, laceratorum etc. ex mammalibus ac gradariarum, ſcandentium, ſaltantium et palmipedum ex auibus characteres diuerſo ſexui proprios ſedulo commemorantur.

p. 26. 2) I. E. I. WALCH *deſcriptio Lemuris Mongos.* Accurata deſcriptio atque diſtinctio diligens ſpecierum affinium vna cum bona icone.

p. 39. 3) BOCK *ornithologia Boruſſica.* Deſcribuntur magno ſtudio et egregie adhibita opera accipitres ſiue primi ordinis aues atque eorundem oeconomia, ſicuti *Vultur maximus*, *V. leporarius*, *Albiulla*, *Falco Melanaetus*, *F. oſſifragus*, *F. chryſaetos*, *F. Pygargus*, *F. Miluus*, *F. gentilis*, *F. albus*, *F. ſubbuteo*, *F. Buteo*, *F. Tinnunculus*, *F. Haliaetus*, *F. apiuorus*, *F. Palumbarius*, *F. aeruginoſus*, *F. Niſus*, *F. minutus*; *Strix Bubo*, *St. otus*, *St. Scobs*, *St. nyctaea*, *St. Aluco*, *St. Stridula*, *St. vlula*, *St. funerea*, *St. paſſerina*; *Lanius excubitor*, et *L. collurio* earumque varietates.

p. 62. 4) GOEZE *aduerſaria ad hiſtoriam nociuorum ptinorum.* Denominatione et characteribus huius generis disquiſitis, hiſtoriam duarum ſpecierum *Ptini furis* et *Ptini*, quem *Pulicem* nominat, ſpeciatim pertractat. Marem et feminam *Ptini furis* certis principiis innitens diſtinguit, atque arbitratur *Ptinum*

num Germanum, fuſcum thorace transuerſim rugoſo, pedibus ferrugineis elytris ſtriatis cet. eſſe marem *Ptini Furis* L. Vtriusque laruas in ſeminibus Cari Carui inueniebat eorundemque metamorphoſin obſeruauit. Denique deſcribitur et, quemadmodum etiam reliqua inſecta, icone illuſtratur *Dermeſtes minutiſſimus ouatus nigro fuſcus, antennis corporis dimidii longitudine, apice hirſutiſſimis.*

5) S. A. DE ROTTEMBVRG *annotationes ad Hufnagelianas Papilionum tabulas.* Perſequitur ſimili cum ſtudio laborem in ſexta et ſeptima huius diarii parte ſuſceptum, atque hac noua commentatione phalaenarum nonnullas ſpecies animaduerſionibus illuſtrat lectu dignis. p. 101.

6) KÜHN *de nonnullis papilionum ſpeciebus, quae in aliis regionibus rarius, quam prope Eiſenacum reperiuntur.* Nonnulli papiliones nymphales gemmati deſcriptionibus accuratis diſtinguuntur et *P. Megera, P. Ligea* et *P. Hero* delineantur. p. 112.

7) MEINECKEN *obſeruationes entomologicae Pars quarta.* Laruae *Phalaenae pauoniae* vſus et ſtructura indagatur atque de papilionum varietatibus quaedam diſputantur. p. 127.

8) I. E. I. WALCH *deſcriptio nonnullorum recens detectorum conchyliorum. Comment. tertia.* Adumbrantur *Balanus polythalamius*, idem videtur cum *Lepade Diademate* LINN. *Lepas oblonga conſtricta* et *Patellae* quaedam ſpecies. p. 149.

9) CHEMNIZ *epiſtola ad Ill.* WALCHIVM *ſuper conchyliis ſiniſtrorſum conuolutis.* Monet pleraſque eſſe cochleas terreſtres et fluuiatiles, neque poſſe cum dextrorſum conuolutis coitum celebrare. p. 163.

brare. In qualibet fere earundem familia tales reperiuntur.

p. 179. 10) I. E. I. WALCH *aduerſaria ad hiſtoriam naturalem Spongiarum Specim. I.* Fila, ex quibus conficiuntur, ſunt mox flexibilia et longa, mox rigida et breuia, modo ſimplicia, modo ramoſa cet. Simili ratione ſuperficies, compagem internam earundemque naturam, vtrum vegetabilis, an animalis ſit, diſquirit, atque ſecundum varias proprietates mox nominatas eas in claſſes redegit.

p. 215. 11) I. S. SCHRÖTER *ſupplementum primum ad hiſtoriam patellarum regni lapidei.* Deſcriptiones trium nouarum Patellarum, vertice clauſo.

p. 224. 12) DE ARENSWALD *hiſtoria Pommeranorum et Megapolitanorum petrefactorum. Pars II.* Commemorantur Encrinitae, Trochitae, Echinitae, Tubulitae, Orthoceratitae et Belemnitae. Inuenit in Orthoceratitae cauernis petroleum.

p. 245. 13) MEINEKEN *adnotationes mineralogicae, Pars III.* Encrinitae cuiusdam ſtructura interna imaginibus illuſtratur; atque Entomolitae in argillaceo lapide ex Sueuia mentio fit.

p. 259. 14) I. E. I. WALCH, *obſeruata lithologica Pars VII.* Petrefacta, quemadmodum Oſtracion, de quo tamen, an certe oſtracion ſit, nos multum dubitamus, et Alcyonium fiſtuloſum petrefactum, Encriniten, Pentacriniten et Ammoniten ſpectant.

p. 280. 15) I. G. WISGER *deſcriptio Speluncae Bredewindenſis.* Eſt in Palatinatu ſuperiori, in qua reperiuntur ſtalactitici coni, qui mox ex nigris, mox ex albis

albis componuntur lamellis et cum obſeruatum ſit hieme ſemper nigram gigni, Cl. Auctor monet, ex his lamellis determinari poſſe horum conorum ſtalactiticorum antiquitatem. Detecta ſunt quoque in hac ſpelunca oſſa procul dubio Canum, Vulpis et Lupi; lapis, ex quo haec ſpelunca fit, eſt calcareus ſpatho commiſtus. Notantur et alia circa hanc ſpeluncam memorabilia.

16) DE LVC *commentatio ſuper ſingulari echinite.* Verſio ex *Mem. prés. à l'Acad. des Scienc. Tom. IV. p.* 468. p. 286.

17) MAVDVIT *de optima methodo transmittendi animalia peregrina in vini ſpiritu.* Verſio ex *Iourn. des Sçauans. Mars* 1774. p. 289.

In nona parte leguntur hae diſſertationes: P. IX.

1) FRISCHII *com. altera de cauſis diuerſitatis inter marem et feminam et inprimis coloris pilorum et pennarum varii.* Paucis de origine pilorum et pennarum diſputatis, colorem deriuat ab interna humorum mixtione neque a calore vel frigore, quamvis concedat, temperiem ſplendorem harum partium et imminuere et augere poſſe. Mox quaerit cauſam, cur et animalia ſylueſtria, indiuidua ſingularis et diuerſi coloris edant, atque haſce varietates potiſſimum a nutrimento, tempeſtate, morbis, aetate, cet. repetit. Denique autumat quoque in vario ſexu a mixtione humorum varia varium colorem oriri, ita, vt maſculum animal ſemper nobilioribus ſcatens ſuccis etiam habeat integumenta ſplendidiora. p. 1.

2) BOCK *ornithologia Boruſſica. Ordo II.* Nominantur inprimis hae picae: *Pſitacus Macao,* p. 39.

 Coruus

Coruus Corax, *C. Corone*, *C. frugilegus*, *C. cornix*, *C. Monedula*, *C. glandarius*, *C. caryocatactes*, *C. pica*, *Coracias garrula*, *Oriolus galbula*, *Cuculus canorus*, *Yunx Torquilla*, *Picus martius*, *P. viridis*, *P. maior*, *P. medius*, *P. minor*, *Sitta Europaea*, *Alcedo Iſpida*, *Merops Apiaſter*, *Vpupa Epops*, *Certhia familiaris*, *et C. muraria.*

p. 61. 3) GOEZE *indicis inſectorum et vermium omnium tum in Roeſeliano, tum Clemanniano opere obuenientium ſecundum* LINNAEI *et aliorum ſyſtemata continuatio.*

p. 81. 4) EIVSD. *emendationes indicis ſuper papilionibus Roeſelianis Partis VII. huius diarii.* Vterque catalogus diligenter compoſitus omnem noſtram meretur laudem.

p. 86. 5) KÜHN *analecta ad hiſtoriam inſectorum. Pars VI.* Deſcriptiones et metamorphoſes nonnullarum erucarum ſicuti eius, quae in Thlaſpi aruenſi reperitur, Sphingis Atropos et aliarum, quemadmodum quoque oui Papilionis Hippothoes.

p. 99. 6) I. D. SCHVLZE *aduerſaria entomologica. Pars II.* Deſcribuntur atque figuris illuſtrantur *Papilio Claudia*, *Caſſida marginata*, *Fulgora Europaea*, Lipſiae inuenta, *Phalaena T. aleella*, *Caſſida inaequalis et Papilio Iphigenia.*

p. 111. 7) S. A. DE ROTTEMBVRG *animaduerſiones ad Hufnagelianas lepidopterorum tabulas.* Phalaenae noctuae ſedulo et diligenti, vt ſolet Cl. Auctor, ſtudio examinantur.

8) SPEN-

8) SPENGLER adumbrat commentatione erudita *Turbines* nonnullos, quos ex Noua Seelandia acceptos delineari curauit. Icones ſunt additae elegantiſſimae. p. 145.

9) KÜHN continuatio diatribes *de Erucis Teſtaceis affinibus.* Definiuntur iuſto vberius, cuius res eruditas tractandi erroris varii huius diarii ſcriptores ſe reos fecere, laruae quaedam earundemque euolutio. p. 169.

10) GOEZE *aduerſaria ad Vibrionis Anguillulae hiſtoriam.* ROFFREDI obſeruationibus examinatis et probatis, ſuarum quasdam addit, affirmans ſe microſcopio adiutum alios vibriones cum ipſa progenie, alios ouis inſtructos inueniſſe atque eos, qui in glutine inuenirentur et figura et aliis proprietatibus ab iis diſcrepare, qui in aceto degerent. p. 177.

11) CHEMNIZ *de quarundam cochlearum interna ſtructura.* Inprimis *Strombi Fuſi* colores, concamerationes et gyri eleganter depinguntur. p. 183.

12) I. E. I. WALCH *deſcriptio nonnullorum recens detectorum teſtaceorum. Com. III.* Lepades canaliculatas diuiſit in tres greges, ſcilicet lepades canali aperto vertice curuo; canali ſemiclauſo, vertice recto, et canali clauſo vertice recto, ſpeciesque hiſce ſectionibus adnumeratas et definiit et iconibus exprimi curauit. Depingitur quoque turbo aliquis ex collectione Principis Sereniſſimi Rudolſtadienſis. p. 188.

13) O. F. MÜLLERI *ſynonymia animalculorum infuſoriorum.* Comparantur icones Eichhornia- p. 205.

nae *) cum deſcriptionibus in hiſtoria vermium terreſtrium et fluuiatilium datis.

p. 215. 14) I. D. SCHVLZE *comparatio iconum entomologicarum* WENCESLAI HOLLARII *cum Linneano ſyſtemate.* Scriptoris ſeculi ſuperioris vitam ipſiusque operis contenta recenſet, atque ſynonymiam pervtilem ſubiungit.

p. 225. 15) I. BECKMANN *de nonnullis exoticis lignis, cum quibus mercatura fit.* Definiuntur duodecim ligna varii generis eorumque characteres et vſus annotantur. Lignum litteratum non ex Epidendro ſcripto, vt multi falſo opinantur, ſed ex Piratinera Guianenſi obtinetur, quemadmodum lignum, quod dicitur *Bois de Ferole*, ex Ferolia Guianenſi AVBLETII ſcinditur. Similes tractatus vtiliſſimos putaverimus.

p. 241. 16) CHEMNIZ *de quibusdam rarioribus Orthoceratitis.* Poſſidet tabulam marmoream, in qua quatuor et viginti orthoceratitae deliteſcunt et aliam, quae quadraginta comprehendit, ſicuti et alios, quorum internam ſtructuram ſollicite perſcrutatus eſt.

p. 248. 17) I. C. MEINECKE *obſeruata mineralogica Pars IV.* Commemoratur hiſtoria cuiusdam Porpitae atque proponuntur nonnulla ſuper Ammonitarum ſiphone et Echinorum ſuturis.

p. 262. 18) I. E. I. WALCH *obſeruata lithologica Pars VII.* Nominantur inprimis haec petrefacta: Oſtracites ex Mytili criſtati familia, Echinites nouus, quem

*) *Beyträge zur Naturgeſchichte der kleinſten Waſſerthiere, herausgegeben von* I. C. EICHHORN. *m. K. Danzig.*

quem LESKIVS *) *Echiniten pyriformem* nominat, cancri petrefactum, trilobitae, cranium Lacertae Crocodili lapideum, orthoceratites, porpites globularis et alia. Deinde et de origine Echinitae favoginei quaedam afferuntur.

19) I. S. SCHRÖTER *de regionis Vinarienſis cochleis.* Diuidit biualues cochleas in eas, quae teſtis aequalibus et eas, quae inaequalibus componuntur, earundemque varia genera et diuerſas ſpecies proponit. p. 295.

Decima denique parte, qua Ill. WALCHIVS primam huius diarii decadem finiuit, hae diſſertationes continentur. Pars X.

1) CHEMNIZ *de Pinna, eiusdem ſerico opere et Cancro Pinnothere.* Credit illud ſericum opus cum tentaculis reliquorum vermium poſſe comparari. Caeterum fuſe enarrata inter pinnam et cancrum pinnotherem amicitia iisque teſtimoniis prolatis, quae vel veteres vel recentiores propoſuere, hanc hiſtoriam fabulam eſſe putat, cum nemo rem ipſam viderit. p. 1.

2) I. E. I. WALCH *de claua Herculis ſpecie Serpulae.* Diuiſionibus generis Serpulae conſtitutis totam ſuae ſpeciei, cuius iam GVETTARDVM mentionem feciſſe probabile eſt, hiſtoriam percurrit, cui varias adiungit de loco natali, animali ſerpulam inhabitante et eiusdem generandi ratione coniecturas et quaeſtiones. p. 38.

3) EIVSD. *deſcriptio nonnullorum recens detectorum teſtaceorum Com. IV.* Genus Patellae variis p. 74.

*) V. EIVSD. Additamenta ad KLEIN. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 722.

riis deſcriptionibus, diuiſionibus et imaginibus illuſtratur.

p. 86. 4) LINDENBERG *deſcriptio Curculionis Braſilienſis.* Videtur *C. Imperialis* DRVRY eſſe.

p. 88. 5) VON SCHEVEN *aduerſaria entomologica. Pars I.* Proponuntur nonnullae animaduerſiones in ipſius huius diarii, a parte ſecunda ad partem ſeptimam, commentationes, inſectorum hiſtoriam illuſtrantes.

p. 102. 6) I. G. KÖHLER *obſeruationes microſcopicae ſuper nonnullis aquae animalculis.* Optandum eſſet, vt deſcriptiones accuratiores et ſynonyma O. F. MÜLLERI addita eſſent: illius animalculi, quod BAKERVS *Satyrum* dicit, inter alia mentio fit.

p. 108. 7) GRONAV *aduerſarium entomologicum.* Deſcribitur *Papilio Megaera,* Eruca Papilionis Maerae atque affirmatur laruas *Sphingis Euphorbiae* extinctas in locis tenebricoſis lucem ſpargere.

p. 112. 8) I. I. FERBERI *catalogus praecipuarum fodinarum Electoratus Bauariae et Palatinatus ſuperioris.* Breuis, at, quemadmodum cuncta huius Cl. Auctoris ſcripta, lectu digniſſima enumeratio.

Huic parti adnexus eſt duplex index, alius ſyſtematicus, qui nobis non omni ex parte ſe commendauit, alius rerum vtiliſſimus. Gaudemus, mortuo Ill. WALCHIO, huius diarii editionem ab Ill. SCHREBERO, viro eruditiſſimo, ſuſceptam eſſe, a cuius moderamine nouus ſine dubio huic diario accedet ſplendor.

X. Ma-

X.

Materia medica. Auctore PETRO IONA BERGIO Tom. II. *) Stockholm, 1778. 8. 1 Alph. plagg. 5.

Incipit hic tomus ſecundus a claſſe decima tertia, Polyandria dicta, eiusque primo ordine Monogynia. *Gummi Guttae.* Inquirendum ratur Noſter, annon Cambogia Americana alia ſit ſpecies, ſiquidem flores intus tomentoſi et fructus magnitudine ceraſi ſunt, dum Orientalis fructus magnitudine pomi eſt. Terrae *Orleanae* vſus eſt tinctorius. *Poeoniae* radix, flores, ſemina. Ex tuberibus Poeoniae recentibus eadem encheireſi ac cum tuberibus Solani tuberoſi obtinetur amylum album, mite, ſub elixatione in aqua gelatineſcens, bene glutinans. *Aconiti* **) herba, extractum. *Virtus;* pellens, ſudorifera, diuretica, ſubuertiginoſa; recens venenata. *Vſus.* Rheumatiſmus, arthritis, malum iſchiadicum. Extracto *Pulſatillae nigricantis* ***) Noſter fruſtra vſus eſt in oculorum morbis inprimis in amauroſi et panno. p. 461. p. 467. p. 478. p. 483. p. 491.

Mari veri virtus: neruina, tonica, reſoluens, emmenagoga, diuretica, errhina; *vſus:* cachexia, hyſteria, debilitas neruorum. *Scordium* animalium lac inficit ſapore allii. In hac enim ſtirpe natura coniunxit odorem allii cum potentia reſoluente, mixtione quidem ſingulari. Flores *Lavandulae.* Infans generoſus naſcebatur cum tumore molliſſimo capitis ſuper vertice magnitudinem oui columbini aequante; conſulebantur plures medici et chirurgi, ſectionem tumoris ſerio diſſuadentes. Tandem praeſcripſit Cl. ACREL Spirit. Lauandul. p. 503. p. 505. p. 513.

compos.

*) Tomum primum vid. ſupra. p. 412.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 139.

***) v. ibid. Vol. XVIII. p. 530.

compos. Lond., quo tumor fricaretur, vnde breui
p. 515. tempore plenarie reſolutus fuit. *Menthae criſpae* vſus: hyſteria, vomitus, coagulum lactis in mam-
p. 518. mis, colica. Oleum *menthae piperitidis* genis ſub oculis illinitum illacrymat oculos eosque poſtea ro-
p. 525. borat. *Marrubii albi* puluis in aſthmate humido
p. 545. cet. *). Arbitratur Noſter non ſpernenda eſſe priſcorum teſtimonia de *Euphraſiae* virtute aduerſus
p. 551. oculorum vitia. *Brancae urſi* folia. *Virtus* emolliens demulcens. *Vſus.* Clysmata.

p. 558. *Armoraceae* ſ. *raphani ruſticani* vim antarthriticam ſaepius Noſter obſeruauit. *Braſſicae* variis
p. 579. ſpeciebus disquiſitis, ad *Sinapios* ſemina Noſter venit. Parum refert ex quanam ſpecie, alba nigraue nimirum, haec ſemina in medicinam ſumantur. Profunt vero integre deglutita in febribus intermittentibus tertianis: eaque pulueriſata cum cortice Peruuiano iunxit, et in febribus intermittentibus protractis et repullulantibus cum bono effectu exhibuit. Sed ardorem ventriculi ſubinde aegri ſunt paſſi, tamen absque detrimento. Abſtineant aegri a potu calido, ſumtis his ſeminibus.

p. 588. *Maluae vulgaris* virtus emolliens lubricans, recenter ea exhibita, laxans. Veteribus fuit culina-
p. 600. ris. *Ononidis* radicis drachma vna bis de die ſumta ſenis ſarcocelen reſoluit. Cl. ACREL pariter hydroſarcoceles plenariam reſolutionem ter vidit, hancque radicem aegros valde mouere, Noſter quoque obſeruauit.

p. 605. *Dolichi vrentis* lanugo. *Virtus:* irritans, ſtimulans, anthelmintica. *Vſus:* Lumbrici. *Dolichos Soia* LINN. culinis ſeruit ad ſaporem piscium et carnium exaltandum **).

p. 635. E Succo *citri* et aceto fortiſſimo Saturni commixtis ſ. q. et proportione iuſta paratur epithema, cremo-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 135.
**) v. ibid. Vol. XIV. p. 199. it. Vol. XIX. p. 212.

cremori lactis ſimillimum in morbis cutis vtile, quod cremor Saturni dicitur et in pharmacopoea Suecica *) inuenitur. Phaenomenon illud explicatur e qualitate acidi citri, ſalia in aqua inſolubilia formandi, ſi cum calce vel plumbo ſaturatur. Eryſipelati ſcorbutico tibiarum identidem opem tulit Noſter frictione cum pulpa citri, quo etiam remedio cum ſucceſſu vſus eſt aduerſus gingiuas ſcorbuticas, atque vbi noma oboritur.

De *Scorzonera* bene ſcripſit I. M. FEHR **). p. 646. Inprimis laudat Noſter, quae addita ſunt de febribus et diebus criticis. *Taraxaci* radicem recen- p. 649. tem ſero lactis, iuſculis et apozematibus incoctam praeſtantiſſimam eſſe in morbis hepatis, lubenter cum Noſtro fatemur. Saepe reſoluit duritiem hepatis cum iuſculo, parato ex radice recenti taraxaci et foliis recentibus acetoſae in ſero lactis vel in aqua coctis, addito vitello oui, quod iuſculum quotidie per plures ſeptimanas imo menſes, ſumſerunt aegroti, propinato ſimul cremore tartari. Hoc regimen exoptatos etiam in calculo felleo et in aſcitide praeſtitit effectus. Flo- p. 691. rum *chamomillae vulgaris* vſus internus rarior eſt externo. (Nos vero interne iisdem crebro nec fruſtra vtimur, ad febres intermittentes profligandas, ad ſpasmos abdominis ſopiendos, ad flatus pellendos, ad lochia et catamenia promouenda cet.) *Pyrethri* p. 697. *veri* radicem Aro aemulam eſſe nonnulli arbitrantur, recens cuti applicata agit fere, vt cortex Mezerei. *Violae tricoloris* herba recens ſatis praeſtans et p. 708. gratum eſt laxans mucilaginoſum a primo vere in ſerum vſque autumnum. Interdum autem mouet emeſin. Herba recenter ſiccata vim ſuam purgantem

*) vid. libr. illius. p. 84.
**) Anchora ſacra vel Scorzonera. Ienae, 1666. 4.

p. 723. tem in aucta doſi ſeruat. *Ipecacuanhae* radici ſubſtituitur radix violae *).

Recens radix *Ari* cuti applicata vix rubefacit vel veſicat, vnum tamen exemplum in tenera virgine viſum Noſter commemorat. Praeclarum eiusdem radicis effectum Noſter expertus eſt, alcalinis abſorbentibus et aromaticis additis in cephalaeis ſympaticis pertinaciſſimis, quae a primis viis, forte ab atra bile, proficiſcuntur. In febribus intermittentibus puluerem dedit omni bihorio e rad. ari ſolid. tart. Vitriolati ana ſcr. dimid. Rhei Selen. gr. quinque cum fructu, interdum tormina accedebant, ac tunc quidem ari doſis erat imminuenda. Radix ari culinaris nondum eſt, id quod meretur ob virtutem nutrientem ex amylacea qualitate et vi eius glutinante. Iuſculum parauit e radicibus vetuſtis et farinoſis perinde ſapidum ac a Sagu, odore pulmenti triticei. Tales annoſae radices ari vix acres ſunt et ebullitione praeterea mitigantur. Plures
p. 727. ceterum ari ſpecies apud varias gentes eſculentae ſunt. Nutriunt omnes ſuo farinoſo.

p. 728. *Fungi Melitenſis* vſus. Profluuia ſanguinis. *Be-*
p. 751. *tulae* lignum, lympha, epidermis, folia tenera, adulta, fuligo, oleum Moſcouiticum. *Balſamum Canadenſe* eſt ſpecies terebinthinae omnium nobiliſſima et praeſtantiſſima, pariter amoeniſſima odore et colore.
p. 767. Hanc ſequitur terebinthina Cypria, dein T. Argentoratenſis, tum T. Veneta, ſed deterrima eſt T. communis. *Lacmus ſuccus*, cui ineſt tanta acrimonia, vt, etſi ſumma cum prudentia illum maſticauit, atque ſtatim exſpuit Noſter, ex eo, quod neglexit fauces derepente eluere, breui ſenſerit ardorem vrentem in faucibus, qui ſenſim circa ſcrobiculum cordis deſcendit, cum quadam vertiginis ſpecie niſuque ad aluum deponendam. Tandem etiam

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 247.

etiam inteſtina occupauit hic ardor cum moleſta quadam nauſea et alui purgatione. Grana *Tilli* rariſſime apud nos interne propinantur, quod nimis acria ſunt. De oleo *Ricini*, Anglis *Caſtor-oil* alibi egimus*). Semina *Melonis* quo antiquiora, eo prae- p. 783. ſtantiora ab hortulanis iudicantur. Poſt quadraginta et duos annos ſata, progerminarunt. *Gummi Senegal* p. 831. plerumque in officinis ſubſtitui ſolet gummi Arabico.

Filicis radix. Eius vſus contra taeniam**) an- p. 845. tiquis hic vindicatur atque laudatur. Plures taeniae ſimul et ſemel ineſſe poſſunt vni eodemque ſubiecto. *Muſci erecti* herbae virtus eſt purgans p. 854. draſtica. *Lichenis Islandici* ſ. *muſci Islandici* herba p. 858. in Phthiſi, Tuſſi, Haemoptyſi commendatur. Conduxit Noſtro et nobis haec herba ***) in his morbis et aegros vidit inde pingues factos. Equi boues ſuesque ex eius paſtu pingueſcunt. *Pulmonariae arboreae* herba laudatur ſimilem in modum, Noſter au- p. 859. tem pericula nulla cum hac fecit.

Palmae oleum ſebaceum eſt in duritie abdo- p. 888. minis praeſtantiſſimum remedium atque conuenit infantibus et adultis, acutis et chronicis morbis.

Rackaſira balſamum diaphanum, graue, rubro p. 889. brunneum, tenax in fila ductile, odore ſaporeque balſamico, amaricante, labia conglutinans, cuius *Virtus* vulneraria; *Vſus* vero in gonorrhoea eſt ****). *Gummi Ammoniacum Amygdaloides* eſt glandulosa p. 890. pars, a ſubſtantia virideſcente ſcrupuloſius ſegregata. Gummi *copal* in medicina non vſurpatur, ſed artifi- p. 900. ces

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 546. Vol. XXI. p. 430. Vol. XXII. p. 76. et 84.

**) v. ſupra. p. 121.

***) v. comm. noſtr. Decad. IIdae Suppl. p. 255. et 400.

****) v. VOGEL mat. med. p. 307.

p. 905. ces inde parant vernicem praeſtantiſſimum*). *Aſpa-*
lathi lignum magnam habet ſimilitudinem cum ligno
aloes, ſed deſideratur in ligno aſpalatho omne id,
p. 906. quod nobile eſt in ligno aloes. Lignum *Tartalum*
rubrum, eſt medullaris pars arboris, nec quicquam
p. 908. differt a ligno Caleaturico verum ſantalum. *Chyn-*
len radici *Virtus* eſt ſtomachica, ſubemetica, et *Vſus* in colica frigida. Chinenſes infundere iſtam ſolent in vino et cochlearia pauca haurire in colica, indigeſtione et aliis eiusmodi affectibus. Noſter aliquoties hoc adhibuit infuſum non fruſtra et emeſin obſeruauit cum leuamine.

XI.

Praktiſche Bemerkungen über den Gebrauch der Sibiriſchen Schneeroſe in Gichtkrankheiten, von Dr. ALEX. BERNH. KÖLPIN, *mit einem Kupfer. Berlin und Stettin,* 1779. 115. 8. *Seitt.*

i. e.

Obſeruationes practicae ſuper rhododendri chryſanthi vſu in morbis arthriticis, Auctore ALEX. BERN. KOELPIN.

Praemiſſa eſt breuis recenſio formae atque virium plantae, quae in GMELINI *Florae Sibiricae* Tom. IV. p. 121. ſqq. et PALLAS *Itineris Ruſſici* Tom. III. p. 369. reperitur. In priore libro ſub nomine *Andromedae foliis ouatis, vtrinque venoſis, corollis campanulatis, obliquis, longiſſimis* eſt deſcripta, et tab. LIV. picta. Notauit de illa GMELINVS, venatores aliosque homines, qui montes circa Lenam transcendere cogerentur, vſos eſſe contra genuum dolores huius decocto, quo inebriari obdormireque quidem inciperent, tandem tamen ſanarentur.

Creſcit

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 632.

Creſcit in iugis, vt plurimum excelſiſſimis, montium. Tranſimus ad ea, quae PALLAS loco nominato, de planta dixit. Pars affecta inquit, ab vſu decocti prurire incipit, multa quoque ſiti crucian- p. 15. tur, qui decoctum ſumſerunt, aqua frigida ad hanc ſupprinendam pota emeſin excitat, ebrietas, quam producere ſolet, cephalalgia deſtituitur, moxque finitur. Tartari infuſum dilutum loco theae bibunt. Cerui aliaque animalia herba lubenter veſcuntur.

Deſcriptio Cl. PALLAS botanica, haec fere eſt. p. 18. Caulis ipſius eſt ſesquipedalis, erectus, ramoſus, vnum pollicem craſſus, badius. *Folia* ramos terminantia, ouata, petiolata, venoſa, ſuperius ſcabra, inferius pallida, margine reflexa, rigida; *Rami* floriferi ſquamoſi; *Squamis* fuſcis, exterioribus ouatis, interioribus ſublinearibus; *Pedunculi* 6 - 10. in vmbellam digeſti; *Flores* magni, lutei, penduli, campanulati, patentes, quinquefidi, inciſuris rotundatis, ſuperioribns paullo maioribus, verſus tubum lineis coeruleis diſtinctis. *Filamenta* decem, inaequalia, inferius flexa; *Antherae* oblongae, pallidae; *Stylus* filiformis, ſimplex, filamentis longior; *Stigma* capitatum, leuiter quinquefidum; *Germen* ſuperum, quinquangulum, quod in *Capſulam* abit oblongam, p. 23. quinquangulam, apice dehiſcentem; *Semina* parua, gryſea. Odor plantae eſt nullus, cortex et folia ſubadſtringentia, amara. Ex hac vberiori formae deſcriptione, definitionem fecit Cl. KOELPIN hanc, RHODODENDRON chryſanthum, *foliis nitidis, ouato-lanceolatis, venoſiſſimis, margine reflexo, floribus ſubvmbellatis.*

Chemicas ſuper partibus conſtituentibus disquiſitiones inſtituit nullas, cum ſufficiente ad hanc rem herbae quantitate deſtitueretur. Verum potius eius in arthritico morbo efficaciam experiri ſtuduit.

p. 24. Recenſuit ea de cauſa quindecim morborum hiſtorias, in quibus non ſine omni ſanitatis redeuntis ſpe, aegrotis huius remedii vſum ſuaſit. Etſi vero fatendum eſt, plurium aegrotorum dolores leniores eſſe factos, tamen non deeſſe nobis videntur exempla, in quibus parum vel omnino nihil contra morbum *Rhododendri* profuerit vſus; in aliis porro arduum erit dicere, vtrum ab hoc, an ab aliis ſimul datis antiarthriticis ſanitas fuerit reſtituta, huc illi pertinent aegroti, qui extracto aconiti, decocto quaſſiae, veſicatoriis aliisque eodem tempore ſunt tractati; tandem tempus, quod morborum ſanationem, atque libelli huius editionem intercedit, nobis iuſto breuius eſſe videtur, vt quam de reditu morbi adeo pertinacis, qualis arthritis eſt, tutus quis eſſe poſſit.

Videamus vero formam ac quantitatem, in qua Noſter remedium exhibuit, atque ex morbis vnum alterumque notatu maxime dignum notemus. Digerit nimirum Hb. *Rhododendri* drachmas duas, cum aquae fontanae vnciis nouem, in vaſe bene obdurato per XXIV. horas ad ebullitionem vſque. Hac digeſtione vncia fluidi vna perit, de reſiduo autem quouis die matutino tempore vnciae duae circiter ſumuntur. Si doſis haec augetur, non infrequenter vomitus, ebrietas, praecordiorum anxietas aliaque moleſta ſymptomata oriuntur. Neque eadem herbae quantitate omnes egent, alii enim, his octo vnciis ſemel ſumtis, dolores amiſerunt, alii per menſes eodem remedio ſunt vſi. Criſes, vulgo excitatae, ſunt pruritus partis affectae, ſudores, ſomnus, aluus laxa, atque materiei corruptae emeſis.

Aeger per tres circiter menſes hoc remedio vſus, vid. hiſtoria I. arthriticos inſultus quidem
p. 34. amiſit, tandem tamen hydrope periit. Alius a malo venereo per SWIETENII mixturam modo ſanatus, liberabatur ab arthritide inſequente, aphthis critice

critice ortis. Venerea, octo vnciis ſumtis, ſomno p. 42.
indulgebat frequenter, et ſanitati reſtituebatur, fe-
bre putrida aliquando poſt moriebatur. Phthiſica, p. 49.
cuius morbus arthritidi cauſam debebat, huius de-
cocti calefacti quotidie cochlear vnum, cum appa-
rente ſanitatis redeuntis ſpecie, ſumebat, diſceſſit
tamen, medicamento ſepoſito, e vita ipſi moleſtiſſi-
ma. Alius morbus ira exaſperabatur. Senem 73. p. 62.
annorum remedii vſus nimium debilitabat. Alius et 66.
extracto Aconiti temere tentatus, a malo ſuo fuiſſet p. 72.
liberatus, ſi remedium diutius ſumſiſſet. Iſchiade p. 74.
neruoſa affectus Rhododendri decocto temere vſus,
venaeſectionibus, veſicatoriis, pilulis ſaponaceis tan-
demque aquis Pyrmontanis prorſus reſtituebatur.
Alius inter Rhododendri vſum arthritide vaga, diar- p. 84.
rhoea, ſpaſmis abdominalibus, ſudoribusque affi-
ciebatur, ſanitati tamen per topica reliquis morbis
oppoſita reddebatur. Vltima aegrota, cuius morbi p. 106.
narrationem Noſter adiunxit, ſternutatione multa
vomituque vexabatur.

Tranſit dein ad generaliores quasdam cautio- p. 110.
nes recenſendas, quarum praecipue ſunt hae: In
arthritide febre coniuncta abſtineatur a Rhododen-
dri vſu, hic enim febrem exaſperaret; vomitus et
alui deiectiones ſponte ortae, ſedem arthritidis in
primis viis eſſe ſuadent, ipſa arthritis venerea re-
medio hoc tollitur; anginae, illacrumatio oculo-
rum, pruritus naſi ac ſternutatio, ab acrimonia re-
medii volatili excitantur; corporibus robuſtis facile
medetur; ſenibus contra ac debilibus infeſtum; ani-
mi affectus ſanationis progreſſum retardant; alui-
ductiones interponendae; iſchiadi neruoſae non
medetur; externe applicatum doloribus leuioribus
vt odontalgiae conuenit; doſis ſecundum corpo-
ris vires definiatur.

XII.

ALBERTI VON HALLER bibliotheca medicinae practicae. T. I. ad ann. MDXXXIII. Bernae et Baſileae apud Eman. Haller et Schweighaeuſſer, 1776. 2 Alph. 20 plagg. 4.

Egregium iſtud immortalis Cl. HALLERI opus Lectoribus commendaturi, in dubitationem adducimur, vtrum lectionis vbertatem ſtupendam et fere incredibilem, an vero iudicii ſubtilitatem et ſapientiam, an denique ordinis, quo omnia diſpoſita ſunt, elegantiam, primo loco commemorare debeamus. At enimuero vix opus eſſe videtur, haec omnia ſingulari ſtudio collaudare, cum nemo ſit, quin ab HALLERO nil niſi eximium ingenioque ſublimi dignum expectari poſſe ſciat. Accedit amabilis modeſtia, qua iudicium ſuum de libris ſingulis profert, aliorumque ſententias examini ſubiicit. Praefatio huic primo volumini (quod PRINGLIO dicauit Auctor) praemiſſa rationem et ordinem exponit, quem HALLERVS in adornanda iſta bibliotheca practica ſecutus eſt. Congeſſit nempe non librorum ſaltem Auctorumque pleniorum operum nomina; verum etiam ſedulo dedit operam, vt, quantum fieri poſſet, diſſertationes academicas, quaecunque ſibi innotuiſſent, imo adeo indicia morborum ſingula huc illuc per diaria libroſque alios diſperſa breuiter recenſeret, ex ſingulis, tum libris tum diſſertationibus noua et bene dicta decerperet, ac denique ſuam ſententiam adiiceret. Si (quod in multis contigiſſe fatetur, nec in immenſi operis labore aliter fieri poterat) libros quoſdam vel ipſe non legerat, vel prorſus nunquam viderat, in his diiudicandis alio-

rum

rum auctoritate vſus eſt, ex editionibus vero ſingulorum primas plerumque et legitimas indicauit.

Sectio prima, cui, vtpote a potioribus illius aeui medicis, *Graecorum* nomen praepoſitum eſt, medicinae primordia temporaque fabuloſa et heroica primo loco exponit. Enumerantur deinceps medicinae Aegyptiae fata, et quae de ſcholis medicis in Graecia viriſque in hoc genere ante HIPPOCRATEM claris apud ſcriptores veteres paſſim leguntur. Speramus neminem fore, qui nobis vitio vertat, ſi, tum in horum temporum hiſtoria, tum in reliquis operis iſtius pulcherrimi partibus recenſendis breuitati ſtudeamus, cum non tam ampla rerum enarratione quenquam ab ipſa libri lectione abducere, quam potius contracto ſummorum capitum indicio ad fructus vberiores ex pleno opere carpendos Lectores inuitare animus ſit. p. 1.

Ad genuina HIPPOCRATIS ſcripta Ill. Auctor GALENI, EROTIANI, MERCVRIALIS auctoritate, ſuoque iudicio niſus, haec refert: p. 31.

1) *Epidemicorum* L. I. et III. Tertio tamen additamenta ſerioris medici adſperſa eſſe ſuſpicio eſt.
2) *Prognoſticon.*
3) *Praedictorum* Librum ſecundum.
4) *Aphoriſmos.*

Operibus a pleriſque inter Hippocraticos recenſitis annumerantur:

1) *Liber de aëre aquis et locis* – etſi forte mirum videri poſſit, quod Auctor vbique ſe Europaeum dicat.
2) *De natura hominis.* Huius libri prima pars a GALENO, vt ſpuria, reiicitur; poſterior libro de victu in morbis acutis adiungitur.

3) *De locis in homine.* RVFVS EROTIANVS et CLERICVS Hippocraticum eſſe cenſent; contradicente MERCVRIALI, qui et

4) *Librum de humoribus* reiicit a GALENO PALLADIO et EROTIANO genuinis annumeratum.

5) *De alimentis.* Genuinus ſecundum GALENI et EROTIANI ſententiam.

6) *De diaeta in morbis acutis.* Eius vltimam partem a diſcipulis adſutam eſſe GALENVS arbitratur.

p. 64. Reliquos libros, HIPPOCRATIS operibus alias annumerari ſolitos, ex plerorumque commentatorum auctoritate vel dubiae proſapiae, vel prorſus ſpurios eſſe Noſter aſſerit. *Iusiurandum*, etſi a GALENO, EROTIANO, SVIDA cet. et nuper a GRVNERO HIPPOCRATI tributum fuerit, ad ſuppoſititios libellos ablegandum eſſe cenſet, MERCVRIALIS ſententiam amplexus. Neque enim, cum HIPPOCRATIS aetate chirurgia nondum a medicina discreta fuerit, veroſimile eſt, medicorum parentem diſcipulos ſuos a calculi ſectione prohibuiſſe, quaſi illa propius ad chirurgiae magiſtros pertineret. Reliquos huius claſſis libros partim Cnidiae ſcholae placita redolere, partim ex pugillaribus HIPPOCRATIS compilatos aut a THESSALO, DRACONE, POLYBO, HIPPOCRATE *iuniore* aliisque ſerioris aeui Auctoribus conſcriptos eſſe, et veterum de illis ſententia et dictionis genus ac placita ab Hippocraticis nonnullibi prorſus abhorrentia ſuadent.

p. 90. Tum ſingulis HIPPOCRATIS libris, tum omnium operum collectioni adiecit Ill. Auctor, breuem placitorum et obſeruationum in illis occurrentium, Codicum Manuſcriptorum, qui in Bibliothecis variis aſſeruantur, editionum et commentatorum indicem. Eadem ratione per totum hoc opus Auctores Graecos Latinos et Arabicos, disiunxit, atque

que

que recenſuit. Deſiderantur, quas GEO. SEGERVS, CLIFTONVS et Ill. TRILLERVS promiſerant, Hippocraticorum operum editiones. Illud SEGERI iam abſolutum opus intercidit. RENAVDOTIVS Syriacas verſiones dudum periiſſe, Arabicas vero MAMOVNI Aegypti Kalifae tempore exaratas, et ex his Ebraicas natas eſſe docuit. Ex eodem Auctore primas verſiones Latinas ad Arabica exemplaria concinnatas fuiſſe diſcimus.

Medici HIPPOCRATIS aetate et poſt eum celebres. ARCHIDAMVS a CLERICO citatus, non medicus fuit, ſed nomen Libri a DIOCLE conſcripti, in quo de oleoſis expoſuit. (GALEN. *ſimpl. fac. II.* 5. 6. cet.) Ex philoſophis PLATO laudatur inprimis et ARISTOTELES. DIOCLIS CARYSTII libellus ad ANTIGONVM regem datus in Cod. MS. ſupereſt in Bibliotheca Auguſta Vindob. in Bauarica item, Medicea et Taurinenſi. Epiſtola de morborum praeſagiis etc. prodiit cura MIZALDI Paris. 1572. 1607. 8. p. 102.

PRAXAGORAS, eiusdemque diſcipuli, PLISTONICVS, PHILOTIMVS CHRYSIPPVS Cnidius cet. Ex his, quem poſtremo loco nominauimus, venaeſectionem aluique purgationem fere prorſus ex medicina exturbare conatus, illius loco artuum ligaturas laudauit, hanc vomitoriis compenſauit. PHANIAE ERESII liber medicus in HERCVLANI ruderibus nuper detectus fuit. p. 111.

ERASISTRATVS nouae ſcholae medicae Cl. Auctor, in multis CHRYSIPPVM ſecutus eſt. Cum in venis ſolum ſanguinem, in arteriis autem ſpiritum contineri opinaretur, plerorumque morborum naturam et curationes ex hac ſententia depromſit. Sic inflammationem effuſo ex venis in arterias ſanguine fieri exiſtimabat. Venaeſectionem damna- p. 117.

bat, vſus de reliquo mitibus ſimplicibusque remediis, ſaepe etiam externis.

p. 122. HEROPHILVS, PRAXAGORAE diſcipulus, ad empiricorum partes in morborum curatione haud parum propendiſſe videtur; cauſas tamen ſedulo disquiſiuit. Pulſuum doctrinam nimis ſubtiliter excoluit. Commentariorum ab ipſo in HIPPOCRATIS aphoriſmos ſcriptorum Codex *Mſ.* ſupereſſe dicitur in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani. Schola HEROPHILI prius quam Eraſiſtratea defecit. Ex eadem prodierunt *Empirici*, quibus omnium primus facem praetuliſſe fertur PHILINVS Cous. Inter antiquiſſimos certe Empiricos vulgo habetur. Alius celebris huius ſcholae aſſecla fuit SERAPION Alexandrinus. Inprimis vero HERACLIDES TARENTINVS magnam laudem promeruit, quippe cum non eo vſque partium ſtudio teneretur, vt cunctis ratiociniis prorſus neglectis ſoli vſui nimium fideret.

p. 137. NICANDER, MITHRIDATES MAGNVS, eorundemque coaeui. Scholae medicae Alexandriae conſtitutae a PTOLEMAEO PHYSCONE, Aegypti rege.

p. 140. ASCLEPIADES Bithynus MITHRIDATIS coaeuus, nouam ſcholam medicam aperuit, in vniuerſa propemodum medicina mechanica praecepta ſecutus iisdemque remedia ita vt plurimum accommodare conſuetus, vt vel ſpiſſum diſcutere, vel tenues humores condenſare, anguſtias idem reſerare, et nimis laxa contrahere in quouis morbo maxime allaboraret. Ex huius diſcipulis; THEMISON potiſſimum inclaruit, methodicae ſcholae, vt putatur, auctor. Erat autem haec Methodicorum ſententia, vt cauſſarum abditarum ſcrutinio medicum ſuperſedere et ad communia potius morborum reſpicere debere ſtatuerent. In omni autem morbo vel adſtri-

adſtrictionem, vel fluxionem, vel mixtum quoddam et complexum vitii genus nocere autumabant.

Inter reliquos ASCLEPIADIS ſectatores, Noſter ANTONIVM MVSAM ponit, AVGVSTI medicum, et CASSIVM FELICEM, TIBERII aeuo celebratum medicum. Hunc tamen non eſſe vult, cuius quaeſtiones ad noſtram aetatem perueniſſent, ſed nuperiorem. p. 150.

HEROPHILEI poſteriores; APOLLONIVS MVS, a GALENO et aliis laudatus; DIOSCORIDES PHACA cum HIPPOCRATIS illo interprete et materiae medicae Auctore non confundendus. Alii. p. 154.

A. CORN. CELSVM Ill. HALLERVS ad finem regni CAESARIS AVGVSTI refert, vtpote THEMISONE aliquanto nuperiorem et a COLVMELLA paſſim allegatum. Librorum IV. priorum, elenchus hic proponitur. Reliquorum argumenta, vtpote maxima ex parte Chirurgici argumenti noſter in Bibl. Chirurg. attigit. p. 162.

SCRIBONIVS LARGVS CLAVDII tempore clarus empiricae ſcholae fauit in plurimis. Praeter medicamentorum compoſitiones 271. quibus accedunt alia ipſi a GALENO tributa, pertinent quoque ad illum epiſtolae duae quibus vulgo CELSI nomen praefigitur. p. 166.

Ex medicis ante ANDROMACHVM commemorandus eſt XENOCRATES, cuius liber *de alimento ex aquatilibus* hodie ſupereſt. p. 167.

DIOSCORIDES ANAZARBAEVS librorum de *materia medica* auctor. Num *Euporiſta* ipſi iure merito tribuantur, dubium eſt. RVFVS EPHESIVS perperam a SVIDA ad TRAIANI tempora refertur. Citatur enim ab ANDROMACHO apud GALENVM. Scripſit multa, quorum fragmenta ſuperſunt. Vltima horum editio eſt 1744. 4. C. GVIL. CLINCH.

THES-

p. 176. THESSALVS ſub NERONE medicinam methodicam a THEMISONE ornatam inſtaurauit et variis commentis auxit. Huc pertinet *Metaſyncriſis* h. e. pororum praeter naturam affectorum ad ſanitatem reſtitutio longo medicamentorum vſu obtinenda.

p. 178. ANDROMACHI, NERONIS medici; pater et filius. Illi debetur theriaca ſ. antidotus ANDROMACHI. Carmine Graeco illud medicamentum deſcripſit, quod apud GALENVM et AETIVM legitur. Caeterum notandum eſt, ANDROMACHOS fuiſſe primos, qui *Archiatrorum* nomine inſignirentur; eo quidem ſenſu, vt hoc nomen praefectum medicorum denotaret, quo munere in ſingulis ciuitatibus viri praeſtantiſſimi fungebantur. Neque enim putandum eſt, Archiatrum Caeſaris medicum ſignificare, quae certe denominatio, vt et Archiatrorum Comitis munus, ſub CONSTANTINO M. primum in conſuetudinem abiit.

p. 188. *Medici* liberti et ſerui. Refutantur hic paucis BOKELMANNI et MIDDLETONI opiniones de medicorum Romanorum ſeruili conditione.

p. 190. *Sectae pneumaticae* Auctor ATHENAEVS Cilix fuiſſe vulgo dicitur. Is elementis in artem receptis ſpiritum addidit, a cuius expanſione, pulſus, a perverſa conditione autem morbi omnes proficiſcerentur. Ex huius diſcipulis notatu digniſſimus eſt HERODOTVS, cuius locos nonnullos GALENVS et ORIBASIVS aſſeruarunt.

p. 192. ARETAEI aetas vix definiri poteſt, cum praeter DIOSCORIDEM, AETIVM et PAVLVM nulla eius apud veteres mentio iniiciatur. Si DIOSCORIDIS Euporiſtis fides habenda eſt, ſub TITO Caeſare ARETAEVS vixit. Precario WIGGANVS exiſtimauit ARCHIGENIS nomine ARETAEI opera veteribus innotuiſſe. Diſtinguitur enim vterque apud AETIVM et PAVLVM.

Sectae

Sectae epiſyntheticae Auctor in libro definitionum, qui eſt inter Galenicos, AGATHINVS dicitur, ATHENAEI diſcipulus. Eandem ſcholam ſectatus eſt LEONIDES Alexandrinus. Caeterum, quibus in rebus a Methodicis Epiſynthetici ſeceſſerint, vix certo definiri poteſt. Scriptis etiam, artisque peritia magnam famam conſecutus eſt ARCHIGENES, AGATHINI auditor. Multa eius placita leguntur apud GALENVM, qui tamen hoc in illo carpit, quod logica medicinae immiſcuerit, medicamenta vero ſine ordine congeſſerit. p. 197.

Scholam methodicam a SORANO Epheſio reſtauratam fuiſſe apud CAELIVM legimus. Vixit autem SORANVS, vt videtur, Romae, ante TRAIANI tempora. Illius placita paſſim apud GALENVM, AETIVM, potiſſimum apud CAELIVM leguntur. Alius eſt SORANVS, ſerioris aeui ſcriptor Latino-Barbarus, alius item *vitae* HIPPOCRATIS auctor. p. 205.

CAELIVS AVRELIANVS, ſeculo circiter V. Siccae Veneriae natus, quod Africae oppidum eſt. In libris ſuis, *de acutis tardisque paſſionibus*, SORANVM latine reddidit, ſed aſpero ſermone, paucaque de ſuis adiecit. Ex eodem ſcriptore Methodicorum praecepta omnium optime cognoſcuntur. Diximus ſupra, eos morborum origines a ſtrictura ſemper, laxitate, aut complexo genere repetiiſſe. Alias tamen cauſas euidentiores ſcrutari non prorſus negligebant. Ad morbos ſanandos multum vtebantur aëre: ex medicamentis vero ſimplicia et mitiora amabant. Pleraſque curationes a duorum triumue dierum ieiunio auſpicabantur. Hoc *diatriton* vocabant. In morbis chronicis *metaſyncriſin* moliebantur, cet. p. 207.

Nuperiores methodici SEXTVS EMPIRICVS, COMMODO coaeuus. MOSCHION, qui *de morbis* p. 213.

mulie-

mulierum, *de ornatu*, *cutisque morbis* ſcripſit, Baſil. 1566. 4 - et alii.

p. 216. ASCLEPIADES PHARMACION, TITI aeuo, aut paullo ſerius floruit. Medicamenta priorum medicorum in libros ſuos congeſſit, nonnulla etiam ipſe excogitauit. DIOSCORIDES, HIPPOCRATIS commentator, ADRIANO imperante clarus. Alii medici et philoſophi ante GALENVM, eique coaeui.

p. 228. CLAVDIVS GALENVS PERGAMENVS. Prolixe librorum ſingulorum ſumma capita, editiones ſingulae et Codices M. adiecto vbiuis ſuo iudicio, ab Ill. Auctore enumerantur. Editio latina omnium operum antiquiſſima eſt Venet. 1490. f. Graeca Venet. 1521. f. V. Voll. ap. Aldum. Editiones, quas THEODORVS GOVLSTON et C. HOFMANNVS moliebantur, lucem nunquam viderunt, opere morte Auctorum intercepto. Collectiones operum quorundam minores. Commentatores GALENI.

p. 274. Q. SERENVS SAMMONICVS. Cum duo fuerint hoc nomine viri, pater, GETAE et CARACALLAE Caeſarum, filius, GORDIANI iunioris tempore clarus, diſſentiunt inter ſe eruditi, vtri ex his *carmen de medicina* debeatur. Vulgo quidem ad patrem refertur: MORGAGNVS vero filio vindicat.

p. 275. SEXTI PLACITI libellus *de medicina animalium*, *beſtiarum*, *auium*. Lipſ. 1654. 8. C. ANDR. RIVINO. Geoponici et alii Scriptores non medici. Incertae aetatis medici, ANTHYLLVS, PHILAGRIVS, POSSIDONIVS, et alii ab AETIO, ORIBASIO et PAVLO non raro laudati.

p. 283. ORIBASIVS, PERGAMENVS, vt vulgo creditur: IVLIANI Auguſti medicus, in cuius gratiam veterum medicorum obſeruationes et ſententias congeſſit, *Collectionum* nomine. Exigua pars operis ſupereſt, nimirum L. I. - XV. XXIV. XXV. Addidit

didit etiam ſubinde, quae ſibi viderentur, quaeque
ipſe expertus erat. Pauca tantum capita Graeco,
opus totum Latino ſermone typis excuſum eſt. *Syn-
opſis* Libris IX abſoluta, ad filium ORIBASII, EV-
STATHIVM. *Euporiſtorum* L. IV. ad EVNAPIVM.
Fragmentum *de ratione* victus per totum annum,
ſeorſim editum Baſil. 1528. f. cet.

Medici Sec. IV. et V. Veterinarii. p. 287.

VINDICIANVS, VALENTINIANI primi archi- p. 292.
ater, methodicus. Extat eius carmen ſ. epiſtola ad
Imperatorem, cum minoribus medicis plerumque
editum. THEODORVS PRISCIANVS Archiater, ho-
mo empiricus, ſcripſit *de curatione omnium mor-
borum* c. h. L. IV. qui primum Q. OCTAVII HORA-
TIANI nomine lucem viderunt. Argentor. 1532. f.
MARCELLVS empiricus, THEODOSII M. ar-
chiater. Librum *de medicamentis*, qui ſub eius no-
mine proſtat (Baſil. 1536. f.) ſerioris ſeculi Aucto-
rem ſapere Ill. HALLERVS arbitratur. Idem cen-
ſet de PLINII VALERIANI L. V. *de re medica*. Ne-
que vero cum GVINZIO ad SIBVRIVM quendam re-
ferendi ſunt, cum MARCELLVS modo dictus, duos
PLINIOS ſeorſim, et SIBVRII nomine, vt videtur,
SCRIBONIVM laudet. SORANI EPHESII, *iſagoge ar-
tis medendi ad Maecenatem* in haec tempora cadit.

AETIVS Amidenus, Alexandriae artem didi- p. 299.
cit. In *Synopſi* ſua veteres ita compilauit, vt pro
ſuis etiam inuenta eorum venditaret. Graece hoc
opus nunquam prodiit. Fruſtrauit mors Auctoris,
editionem graecam Librorum VIII. priorum AE-
TII, quam Noſter quondam HEBENSTREITIVS ex
Codice Mſ. publici iuris facere promiſerat. Codex
iſte nunc in Bibliotheca Senatoria Lipſienſi aſſer-
vatur.

ALEXANDER TRALLIANVS *Iatroſophiſta* (h. p. 303.
e. ex more illorum temporum, peritus medicus)

IVSTI-

IVSTINIANI aeuo, non modo vt illi, quos proxime diximus, compilatione, ſed ſua etiam arte inclaruit. Superſunt libri, quos de re medica ſcripſit, egregiis obſeruatis plena.

p. 307. THEOPHILVS PROTOSPATHARIVS vulgo dictus, alias etiam PHILOTHEVS aut PHILARETVS, HERACLIO Imp. coaeuus Sec. VII. ſcripſit *de vrinis, de pulſibus, de excrementis*, cet. Eius diſcipulus, STEPHANVS *Athenienſis* commentario illuſtrauit GALENI Therapeuticen. Gr. ap. ALDVM, 1536. 8. Sec.
p. 310. VII. ſcriptores alii. PAVLVS AEGINETA, temporibus AMRV praefecti Aegypti ſcripſit, multaque itinera inſtituit. In medicis plurima corraſit ex antiquioribus; in chirurgicis plura habet propria. PALLADII Iatroſophiſtae *ſynopſis de febribus* L. B. c. I. STEPH. BERNARDI, 1745. 8. gr. lat. *breues interpretationes* in L. VI. morb. popular. HIPPOCR. Baſil.
p. 316. 1581. 4. Sec. VIII. NICEPHORVS patriarcha. Scr. *de curationibus morborum* Pariſ. 1603. 4. Sec. IX. PHOTIVS, SVIDAS, alii. NONVS *de omnium morborum particularium curatione* (ſcr. imperante CONSTANTINO PORPHYROGENETA I. vt videtur) Argent. 1568. 8. Non raro, ſed falſo, NONI libri ſub THEOPHANIS aut MICHAELIS PSELLI nomine circumferuntur. PSELLO vulgo tributi libri incertorum Auctorum ſunt. SIMEON SETH (Sec. XI. Auctor,) *συνταγμα περι ϛοιχειων και τροφων δυναμεων*,
p. 319. Pariſ. 1658. 8. C. MART. BOGDAN. Sec. XII. IO. ACTVARIVS, ZACHARIAE filius, nomen habet ab officio. Archiatri nomine paſſim in codicibus inſignitur. Conſtantinopoli artem fecit. Huius eſt *Methodus Medendi* L. VI. comprehenſus. *de vrinis* L. VII. *de affectionibus et actione ſpiritus animalis, et de nutritione eiusdem* L. II. (Deſiderauimus hoc loco Ampliſſ. FISCHERI editionem Lipſ. 1774. 8.)

Opera

Opera omnia collecta prodierunt, Pariſ. 1556. 8. c. CONR. HENR. MATTHISIO.

NICEPHORVS BLEMMYDA. Carmen Gr. *de vrinis; de menſuris; de iudicando ſanguine ex vena miſſo; cognitiones et curationes morborum* Biblioth. Vindob. Hoc poſtremum opus male ab aliis MAXIMO PLANVDAE tribui LAMBECIVS monet. MANVELIS PHILE carmen *de animalibus*, Lipſ. 1768. 8. c. GOTTL. WERNSDORF. DEMETRIVS PEPAGOMENVS Sec. XIII. aut XIV. *de podagra* ſcripſit. De *Calculo* librum Galenicum DEMETRIO FABRICIVS adſcribit. Alia eiusdem ad artem falconariam et veterinariam ſpectantia. NICOLAVS MYREPSVS Alexandrinus Sec. XIII. Graecum *diſpenſatorium* conſcripſit. Latina tantum verſio promulgata fuit. Ex eodem depromtum eſt NICOLAI *Praepoſiti*, Salernitani antidotarium. p. 322.

Scriptores incertae aetatis. Libri pſeudepigraphi, AESCVLAPII, HERMETIS TRISMEGISTI, LVCAE Euangeliſtae cet. p. 325.

Libro ſecundo Arabes ſcriptores comprehenduntur. Iudaeorum nonnulla placita medica ex Talmude, medicorumque Iudaeorum medio aeuo celebritas, breuibus attinguntur. Inter Arabes MVHAMMEDEM ipſum medicinam feciſſe Cl. REISKIVS demonſtrauit ex collectaneis LEVINI WARNER (V. *Miſcellaneae obſeruationes medicae ex Arabum monumentis deſumtae* L. B. 1746. 4.) Idem ex auctoritate Codicis Mſ. Hiſpani Xatiuenſis docuit, variolas et morbillos ex Aethiopia in Arabiam cum exercitu Aethiopum allatos fuiſſe anno 572. quo ipſo anno MVHAMMED natus eſt. p. 333.

Seculo VII. exeunte, imperante Califa ABDELMALEC Ommiade, coeptum eſt Graecorum opera Arabice reddi; prima vertit Iudaeus Syrus MASER- p. 336.

IAWAIH, qui et ipſe nonnulla ſcripſit, teſtantibus RHAZEO et ABVLFARAIO. Eadem aetate Califae Abaſſidae noſodochia exſtruxerunt ſplendida, medicamenta in palatio ſuo parari curarunt, medicosque aluerunt liberaliter. MANSVR al MANSVR cathedram medicorum inſtituit. Fathimitae, Aegypti principes libros vndique collegerunt, ea copia, vt SALADINI tempore 20000 volumina in Bibliotheca aſſeruarentur. MOSTANSER BILLAH collegium medicum et diſpenſatorium Bagdadi condidit. ABV GIAFAR ALMANSVR, HAROVN ALRAASCHID eiusque filius AL MAMOVN et MOTAH WAKEL Graecos claſſicos auctores Arabice reddi curarunt. Gens Bactiſchuarum medicinae peritia clara. IOHANNES f. MESVES (ſ. IEHIA EBN MASAWAIH) ſub Califa HAROVN floruit. Eius Libros XXXIV. recenſet ABV OSBAIA. Quae hodie nunc ſub eius nomine extant opera, ad ſeriorem aetatem pertinent. Commemoratur enim in iisdem RHAZES et ALCHINDVS. IANVS DAMASCENVS. IOH. SERAPIONIDES, auctor practicae, (licet, quod ABVBEKER citatur, dubium mouere poſſit,) quae latinitate donata prodiit Venet. 1479. 1530 cet.

p. 335. Obaditarum familia. EBN ISAAC, HONAIN, ALCHINDVS Iudaeus, HOBAISCH, qui complures Graecos Arabice vertit, alii.

p. 364. ABVBEKER MVHAMMED, ben ZACHARIAE, a patria Raia RHAZES cognominatus, Raiae et Bagdadi artem fecit. Obiit anno Heg. 320. auctore HERBELOTO. Librorum index hic deſcriptus ex CASIRIO legitur. Primarium eius opus eſt *Elchaui* ſ. *Continens* cuius tomos XII. libros LXX. fuiſſe CASIRIVS perhibet. Collectanea ſub RHAZIS nomine edita alius cuiusdam auctoris additamentis interpolata eſſe videntur. In *Libro de peſtilentia* RHAZES omnium primus, et perite quidem de variolis expoſuit.

poſuit. Optima huius libri editio eſt, quam MEADIVS, Arabico textu ad Codicis Leydenſis verba Latine reddito, typis exprimi curauit Lond. 1747. 8. Arabice et Latine edidit I. CHANNING. Lond. 1766. 18. Ill. Auctor hanc recudi curauit Lauſann. 1772. 8.

Merita Arabum de arte medica haec ſunt, quod medicamenta chemica, noua et Hippocraticis mitiora propoſuerint, morbos quosdam nouos, et euentus rariores enarrauerint. In reliquis Graecorum veſtigia preſſerunt, neque abſolutum vllum et bono ordine diſtributum opus vnquam poſteritati tradiderunt. – Seculi X. medici Arabes. HALY f. ABBAS al MAGIOVSCHI. p. 378.

(AVICENNA.) Obiit A. C. 1036, natus 58 annos. Eius vitam expoſuit ABV OBAIDA al GIVZIANI eius auditor, et nonnulli alii. Praeter ea, quae lucem viderunt opera, multa alia recenſet CASIRI in *Biblioth. Philol. Arab.* Antiquiſſima *Canonis* editio eſt Patav. 1473. fol. vltima anni 1608. Librorum omnium collectio Arabica prodiit Rom. 1593. f. Commentatores Arabici AVICENNAE. p. 383.

IO. F. MESVES, iunior, Chriſtianus, Iacobita. p. 393. Alii. AVENZOAR Hiſpanus, medicus Regis ALMANZOR, obiit Marocci a. Heg. 564. (Sec. XII. a. 86.) Subtiliter, et pro temporum ratione ſatis perite ſcripſit. AVERRHOES, medicinam ipſe non exercuiſſe videtur. Commentatus eſt in veteres Auctores et AVICENNAM.

MOSES MAIMONIDES Iudaeus Cordubanus. p. 399. Alii ſcriptores Hebraei et Arabes ignotae aetatis.

Sec. XIII. circa a. 1273. IBN ALI OSAIBAH *vitas medicorum* compoſuit. REISKIVS Codicis Mſ. Leydenſis ſumma capita adumbrauit l. c. FREINDIVS vitam EVTYCHII Epiſcopi, medici, et fragmenta de vita BACTISCHVAE edidit. p. 404.

Vv 2 ALBV-

p. 407. ALBVCASES *compendium artis medicae* ſcripſit. Alii ſeculi XIV. XV. XVI. ſcriptores. Arabes recentiores, incertae aetatis et anonymi.

Plurima, quae ad medicinae fata apud Arabes pertinent, decerpta ſunt ab Ill. Auctore ex ABVLFARAIIO, cuius nomen integrum eſt GREGORIVS EBN HAKIM, EBN KOPH, al NASRANI. Chriſtianus fuit et Sec. XIV. Hiſtoriam dynaſtiarum reliquit. Edidit POCOCKIVS cum animaduerſionibus *ſpecimen Hiſt. Arabicae* ABVLFARAII. Oxon. 1650. vniverſum opus poſtea Oxon. 1663. 4. Latine et Arabice. Multa etiam depromſit Auctor ex RHAZE, HERBELOTO et CASIRIO.

p. 422. Medicinae Chinenſis breuis enarratio.

p. 424. Liber III. Arabiſtas complectitur.

WINTARVS CAROLI M. archiater. (v. I. TOB. KOEHLER Diſſ. *primus artis medicae peritia celebris* WINTARVS Goetting. 1752. 4.) CAROLVS M. medicas ſcholas in palatio inſtruxit. (KOEHLER l. c.) Schola medica Pariſina a. 1220. a PAPA conſtituta fuit. WALAFRIDVS STRABVS circa a. 842. hortulum ſcripſit. Eadem aetate AEMILII MACRI liber pſeudepigraphus *de herbis* exaratus eſſe videtur, memoratur enim STRABVS et Schola Salernitana. COPHON de purgantibus et de arte medendi ſcripſit. Argent. 1534.

p. 426. Ea tempeſtate Occidentalium gentium plurimae medicinae peritiam ab Arabibus repetebant. Inprimis Toletum multi adibant, quod Saracenorum Hiſpanorum oppidum ſchola medica celeberrimum erat. Conditae demum ſunt ſcholae medicae Monſpeſſulana et Salernitana. Hanc FRIDERICVS II. priuilegio ornauit, ne quis, niſi ab huius ſcholae doctoribus exploratus et probatus, artem in vtraque Sicilia faceret. CONSTANTINVS AFRICANVS, GARIOPONTVS, TROTVLA.

Sec. XIII. Magiſter ROGERIVS Parmenſis, p. 430.
Magiſter ROLANDVS, BRVNVS, THEODORICVS epiſcopus Ceruienſis, IO. PLATEARIVS, ALBERTVS MAGNVS. PETRVS DE CRESCENTIIS, GVILIELMVS DE SALICETO et alii complures. PETRVS HISPANVS Archiater, inde IOHANNES XXI. ſ. XXII. Pontifex maximus, *theſaurum pauperum* condidit. Prodiit h. l. Antwerp. 1497. Pariſ. 1577. 16. SIMON DE CORDO ſcripſit, *Clauem ſanitatis*. Venet. 1514. f. Primus inter barbarolatinos CELSVM nominat.

Sec. XIV. M. BERNARDI DE GORDONIO Li- p. 437.
lium medicum, ed. Frncf. 1677. 8. GERARDVS DE CARMONA multos libros Arabicos Latinitate donavit. LANFRANCI Chirurgia Venet. 1546. f. PETRVS DE ABANO ſ. de APONO. Huius eſt *Conciliator differentiarum, quae inter philoſophos et medicos verſantur*. Mant. 1472. 4. Papiae 1595. f. Scripſit circa annum 1303. ARNOLDVS BACHVONE alias VILLANOVANVS, Catalaunus, natus anno 1300. Opera omnia prodierunt. Venet. 1505. etc. Baſil. 1581. f.

Sec. XV. PETRVS DE LARGELATA Bono- p. 453.
nienſis. Huius Chirurgia L. VI. abſoluta exiit. Venet. 1520. f. CHRISTOPHORVS GEORGIVS DE HONESTIS, IACOBVS DE PARTIBVS. PETRVS DE TVSSIGNANA. BARTHOLOMAEVS DE MONTAGNANA profeſſor Bononienſis (Opp. ſelecta Frncf. 1604. Amſterd. 1664.) MICHAEL SAVANAROLA, et Alii.

Articella primum prodiit Venet. 1483. f. 1500. p. 469.
f. Lugd. 1515. 8. ſeqq. Hoc titulo inſignitur collectio aliquot opuſculorum THEOPHILI ſ. PHILARETI, HIPPOCRATIS, GALENI, HALY, GENTILIS, LEONICENI et aliorum. In edit. 1507. 8. per HIERONYMVM DE SALIIS, haec Articella recognita et emendata eſſe dicitur.

p. 473. Liber IV. *Inſtauratores* medicinae ſiſtit. Enumerantur ab initio morbi noui, qui Seculo XV. comparuerint. Sudor Anglicus a. 1483. HENRICI VII. exercitum primum inuaſit, rediit ſaeuior 1485. 1506. 1518. ſeqq. 1551. Petechias, a. 1501. ex Inſula Cypro in Italiam aduectas eſſe FRACASTORIVS teſtatur. Febris Hungarica, a. 1566. lues venerea a. 1493. altiores radices egit cum claſſe COLVMBI in Europam aſportata. Noſter hanc peſtem morbi *Yaws* Americani ſobolem eſſe putat. Scorbutus in Germania 1482.

p. 474. ALEXANDER BENEDICTVS Profeſſor Patauinus, ſcr. *de obſeruatione in peſtilentia.* Venet. 1493. 8. Baſil. 1583. 8. In *Anatomia,* quae Venet. 1493. 8. Argent. 1528. 8. prodiit, venerei mali et gonorrhoeae primus mentionem iniecit.

p. 477. NICOLAVS LEONICENVS luem veneream complexus eſt libro: *de epidemia*, quam Itali morbum Gallicum, Galli vero Neapolitanum vocant. Venet. 1497. Ald. 4. Baſil. 1536. 4. Primus etiam contra Arabes inſurrexit in pluribus libellis. Opuscula edita ſunt, Baſil. 1532. f. Complures etiam HIPPOCRATIS et GALENI libros Latine vertit MARTINVS POLLICH Francus, profeſſor Lipſienſis, poſtmodum Doctor Theologiae et Procancellarius perpetuus Academiae Wittebergenſis. Eius controverſiae cum PISTORIO de lue Gallica.

p. 487. Sec. XVI. GEORGII VALLAE *vniuerſa medicina ex Graecis potiſſimum contracta.* L. VIII. Venet. 1501. f. Ald. MAGNI HVNDT Lipſienſis *anthropologicum*, Lipſ. 1501. 4. alia eiusdem Lipſ. 1519. 1529. 8. SYMPHORIANVS CAMPEGIVS ſ. CHAMPIER polygraphus, non indoctus quidem, ſemibarbarus tamen. In Galenum et Arabes nonnullos commentatus eſt. In libro, quem inſcripſit, *Cribratio medicamentorum*, domeſtica medicamenta laudat,

et

et ciues ſuos Chriſtianos ab exoticorum vſu reuocat, draſtica ſimul veterum deteſtatur.

IACOBVS BERENGARIVS prof. Ticinenſis in *Commentariis ſuis ſuper anatomiam* MVNDINI (Bonon. 1521. 4.) et in libello *de Cranii fractura*, multa propoſuit, quae medendi artem propius ſpectant. p. 500.

THOMAS LINACER, PETRVS BRISSOT aliique. IANVS CORNARIVS (vernaculo cognomine HAGENBVT.) HIPPOCRATEM, GALENI libros plurimos latinitate donauit. Reliquit ipſe haud pauca. Ienam vocatus in ea Academia obiit. Laudauit virum Cl. BALDINGER tribus Programmatibus. Ien. 1769. 4. p. 510.

IO. LEO (1527) IAC. a BETHENCOVRT *de mercurii et ligni Guaiaci viribus ſalutaribus in Siphylitide* ſcripſit, Pariſ. 1527. 8. IO. MANARDVS. ANDR. THVRINVS. p. 514.

IO. GVINTHERVS Andernacenſis profeſſor Pariſinus, Argentorati obiit, quo ſe religionis cauſa contulerat. Multa GALENI opera Latino ſermone promulgauit; item PAVLVM AEGINETAM, ORIBASII *commentaria in aphoriſmos* HIPPOCR. (ſpurium opus.) RHAZEN *de peſtilentia* et ALEXANDRVM TRALLIANVM. CAELII AVRELIANI L. III. de acutis paſſionibus primum edidit Pariſ. 1533. 8. Multa alia ipſe publici iuris fecit. Laudauit GVINTHERVM integro libello LVDOV. ANT. PROSPER HERISSANT. Pariſ. 1765. 12. p. 517.

MICH. ANGELVS BLONDVS, in L. *de origine morbi Gallici et ligni Indici ancipiti proprietate.* Rom. 1542. 8. Venet. 1542. 8. luem veneream antiquum morbum eſſe, a Guaiaco vero vix integram valetudinem ſperandam eſſe perhibet. Alii. HIERON. FRACASTORIVS Veronenſis medicus, Archiater PAVLLI III. *Syphilis*, ſ. carmen de morbo p. 519.

Gallico vix ſerius, quam anno 1521, ſcriptum eſt; prodiit vero Veron. 1530. 4. Pariſ. 1531. etc. Patav. 1744. 4. *Carmina* collecta lucem viderunt. Patav 1739. 4. II. voll. Opera omnia. Venet. 1555. 4. etc. Genev. 1671. 8. FRIDERICVS OTTO MENCKEN compoſuit *commentationem de vita, moribus, ſcriptis meritisque* HIERON. FRACASTORII. Lipſ. 1731. 4. Statua FRACASTORIO Veronae dedicata fuit.

p. 523. LEONH. FVCHS polygraphus, Arabum oſor inſignis, Tubingae medicinam docuit, Piſam cum honorificentiſſimis conditionibus vocatus, hos honores deprecatus eſt. Primus inter Germanos fama apud exteros inclaruit. Inter multa eius opera, varia quoque ſunt, quae ad veterum interpretationem faciant. Geſſit ſe etiam contentioſe aduerſus CORNARIVM. OTTO BRVNFELS, varii alii.

p. 531. NICOLAVS MASSA *de morbo Gallico* ſcripſit. Venet. 1532. ſeqq. — *Conſtitutio Criminalis Carolina.*

p. 533. Varii ſcriptores huius ſeculi vſque ad annum 1533.

XIII.

WILLIAM CVLLEN *Anfangsgründe der practiſchen Arzneywiſſenſchafft. Erſter Theil, welcher die Fieber und entzündungsartigen Krankheiten begreifet. Nebſt einem Anhang, in welchem die ſyſtematiſche Eintheilung der Krankheiten dieſes Verfaſſers befindlich iſt. Leipzig, bey Caſpar Fritſch,* 1778. 8.

i. e.

GVIL. CVLLEN Elementa praxeos medicae. Pars I. Continens febres et inflammationes cum appendice.

Placuit

Placuit potiſſimum nobis, translatorem his elementis in appendice addidiſſe ſynopſin noſologiae methodicae Cl. CVLLEN partim ob commoditatem, partim ob neceſſitatem. Noſter enim in his elementis ſaepe ad eam ſynopſin reſpicit et in his ipſis elementis praxeos medicae quaedam aliter, quam in ſynopſi proponit e. l. de arthritide, rheumatismo, podagra, pectoris aliisque inflammationibus cet. quae diligenter in hac verſione ſynopſeos Germanica inſerta ſunt et notata. Praeterea autem annotationes quaedam elementis pariter ac ſynopſi ſparſim a translatore reperiuntur adiectae, quae omnem omnino merentur attentionem. Quas ob cauſas hic indicamus verſionem Germanicam. Quod attinet ad ſynopſin, ſolummodo de annotationibus videamus, cum alibi *) de hac a nobis dictum ſit, quo etiam loco de diuerſitate editionum diſputatur, et Cl. virorum SAUVAGES, LINNE, VOGEL atque MACBRIDE ſtudia huc pertinentia laudantur. Ex introductione intelligitur, praxin medicam verſari oportere in ſingulorum aegrorum morbis cognoſcendis, dignoſcendis, arcendis, praecauendis atque ſanandis. Notio et diſtinctio morbi poteſt optime per accuratas et completas phaenomenorum ſ. ſymptomatum, quatenus in nexu et ſequelis apparent, nec non per noſologiam methodicam, quae penitus nititur experientia, neque ratione ac hypotheſibus, ideoque a Noſtro conſcripta eſt, acquiri. Ad morbos praecauendos atque arcendos iuuat remotarum cauſarum ſcrutinium, quae partim in pathologia vniuerſali, partim hic proponuntur. Medela morborum pendet potiſſimum et propemodum ſine vlla exceptione a cauſis eorum.

Pyrexiae deſcribuntur in febres, inflammationes, exanthemata, haemorrhagias et praeternatu- p. 6.

Vv 5 rales

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 716.

p. 20. rales excretiones (*fluxes*). Licet cauſa proxima febrium, hactenus alio atque alio modo excogitata, adhuc aliqua prematur obſcuritate, tamen Noſtro placet, debilitatem corporis vniuerſalem, quae praecedit paroxyſmo febrili, cauſam proximam nominare, quae horrorem producit et hic eſt cauſa
p. 33. caloris ſeu aeſtus febrilis. Hac theoria febrium a Noſtro vberius explanata, quae potiſſimum cernitur in debilitate, ſpaſmo et reactione corporis, aliorum opiniones de cauſis et ortu febris hic perſequitur.

p. 39. Tum tranſit Noſter ad differentiam febrium
p. 49. et ad huius differentiae cauſas. Febres continuae a Noſtro diuiduntur in eas, quae ab inflammatorio ſtimulo pendeant, et eas, in quibus reactio praeternaturalem in modum ſit debilis. Haec diuiſio conuenit atque conſentit cum ea, quae febres inflammatorias et neruoſas complectitur. Inflammatoriarum genus Noſter *Synochum*, neruoſarum *typhum* nominat, nulla tamen veterum habita ratione, qui iiſdem nominibus vſi ſunt. Interea febres continuae apud Noſtrum ſolemnes conſtant ex coniunctione neruoſae et inflammatoriae febris. Synochum inter et typhum limites ſunt definitu difficiles. Species igitur, quas ſynocho et typho ſubdiuiſit, ab eadem cauſa proficiſcuntur et ſunt varietates.

p. 54. Cauſa remota febrium eſt potiſſimum quaerenda vel in miasmate h. e. exhalationibus ſ. effluviis paludoſis vel in contagio h. e. effluuiis humanis. Praeterea ad frigoris varios effectus, item ad animi commotiones, et ad nimias excretiones varias, corpora debilitantes, hic pariter eſſe reſpiciendum largitur Noſter et demonſtrat.

In

In ſectione quinta de prognoſi febrium agitur p. 65.
et critici dies defenduntur. Tum ad medelam fe- p. 83.
brium continuarum Noſter progreditur, quippe qua ad has tres potiſſimum reſpicit indicationes. Quarum prima in moderanda reactione, altera in tollenda debilitatis cauſa, vel in eius effectibus praeveniendis, atque tertia in arcenda putredine, ſi minetur, et in ea corrigenda, ſi iam adſit, cernuntur. Quibus diligenter pertractatis, repetit ea omnia Noſter in tabula.

Pariter Cl. Auctor tres vniuerſales indicatio- p. 145.
nes tradit in medendis febribus intermittentibus. Ac primum quidem tempore apyrexiae paroxyſmi reditus eſt impediendus: dein, durante paroxyſmo, aegri ita ſunt tractandi, vt ſanitati prorſus reſtituantur: et tertio harum duarum praecedentium indicationum impedimenta ſunt arcenda et removenda.

De inflammatione ſeu phlegmaſia. Inflam- p. 150.
mationis origo poteſt ſequentem in modum explicari: quaedam cauſae, quandam inaequalitatem in diſtribuendo ſanguine efficientes, ſeruiunt, vt inſolita copia ſanguinis vaſa quaedam penetret, a qua neceſſario ſtimulus quidam proficiſcatur. Huic congeſtioni ſuccurrit vis medicatrix naturae, augendo magis magisque effectus horum vaſorum ita, vt minima vaſa ſpaſtice contrahantur, vti fieri ſolet febrilibus in motibus omnibus. Quae cum ita ſint, ſpaſmum in minimis vaſis Noſter iudicat proximam cauſam inflammationis. Id quod ſaltem valet de iis omnibus inflammationibus, quae non a quodam locali ſtimulo deriuari poſſunt.

De diuerſis modis inflammationi ſuccurrendi. p. 161.
Vnus ex illis ſuppuratio audit, quippe qua inflammata

mata pars abſcedit et corruptum in pus abit varium. Quae varietas proficiſcitur a diuerſa indole humorum in contextum celluloſum transgreſſorum. Poteſt enim eſſe materia ſero ſanguinis tenuior; ſeu ſerum; ſ. globuli ſanguinis; ſeu tandem materia, quae a glandulis partis inflammatae repetitur. Solummodo verum ſanguinis ſerum ſiſtit pus bonum, vti Noſter putat, translator vero ſumit lympham coagulabilem ſeri ſanguinis, quae tertiam partem conſtitutiuam ſanguinis efficit. Scirrhum Noſter ab obſtructione glandularum, raro ab inflammatione repetit. Praeterea Noſter hic quoque refert effuſiones ſanguinis in telam celluloſam. Inflammationum diuerſitas potiſſimum a diuerſitate laeſae partis pendet. Quapropter ſingularum partium inflammationes in vniuerſum diſtribuit in cutis, viſcerum et articulorum inflammationes (*cutaneous*, *viſceral*, *or articular inflammations.*)

p. 180. (margin note at "loſam.")

p. 194. Cynanche tonſillaris, maligna, trachealis cet. hic pertractantur. Cynanche trachealis a Cl. SAUVAGES, a Cl. HOME*) ſuffocatio ſtridula appellatur et a Cl. MICHAELI**) membranoſa ſeu polypoſa angina. Pertinent et hic Cll. MILLAR, ELSNER, MVRRAY aliorumque obſeruationes***). Haec membrana ea parte laryngis eſt craſſiſſima, quae reſpicit pharyngem, quo loco deſunt cartilagines, vti obſeruauit translator.

p. 213. Cynanche parotidaea ab Anglis *the Mumps* et *the Branks* atque Germanis *Bauerwetzel* appellatur. Tumoribus his eryſipelaceis et oedematoſis diſparentibus, tumere incipiunt teſticuli in potiori

tiori

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 334.

**) v. ibid. Vol. XXIII. p. 293.

***) v. ib. p. 303. et ib. dec. IIdae Suppl. p. 695. v. ib. Vol. XXII. p. 185.

tiori *) et mammae in ſequiori ſexu, ſed non diu atque adeo moleſte.

Inflammationes pectoris (*pneumonic inflammation*) in vniuerſum hic conſiderat et pleuritidem ſumit in latiori ſenſu. Putat enim non facile poſſe recte definiri in his morbis pectoris, quis potiſſimum locus ſit occupatus, nec adeo opus eſſe hac definitione, cum omnes hi morbi iisdem ſymptomatibus appareant. p. 215.

Gaſtrite demortuorum cadauera inflammatoria ſigna non prodebant. Interim non temere hic animaduertitur eſſe has non inflammationes veras, quae in viſceribus abdominalibus in vniverſum per ſectiones cadauerum detegantur, ſed obſtructiones reſoluti ſanguinis in tela celluloſa, quid quod in venis. Eſt profecto haec potius venoſa inflammatio **), vti nonnulli volunt, et accuratiore indiget examine, quoniam prorſus aliena eſt a vera inflammatione. p. 248.

In enteritide febris non ſemper magna et pulſus ſaepe paruus deprehenduntur, id quod etiam in alias inflammationes abdominales cadit. p. 257. Splenitis rariſſime obſeruatur. p. 265.

Rheumatismum, vti experientia clare docet, in acutum et chronicum Noſter deſcripſit, et hanc diuiſionem oportet dirigere methodum medendi. Rheumatiſmo, praeter inflammatoriam quandam conditionem totius corporis, ſuperuenit quidam peculiaris praeternaturalis ſtatus fibrarum muſcularium, qui origini phaenomenorum et ſymptomatum, huic p. 269.

morbo

*) v. aduerſ. med. pract. Vol. I. p. 556. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 510. Porro v. ibid. p. 583. vbi pudendorum dolor et pruritus lumborumque dolor acceſſerant.

**) v. Aduerſ. med. practica v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 495. it. Vol. XX. p. 710.

p. 282. morbo propriorum, multum ſeruit. Ratio me-
p. 287. dendi dirigitur ab inflammatione. Hunc acutum rheumatiſmum non raro ſequitur chronicus, qui aliam medendi rationem poſcit. Inter alia remedia nominat Noſter volatilia alcalia ſalia, ſudorifera, calomel cet.

p. 289. Prorſus diſtinguit hic podagram (*Gout*), quae plerumque eſt haereditaria. Largitur autem non eſſe debere haereditariam, et interdum ſuperuenire quibusdam, qui per haereditatem podagram non acquiſiuerint *). In regulari podagra (*regular gout*) Noſter potiſſimum reſpicit ad inflammatorium ſtatum articulorum. Quod ſi vero podagra ſaeuit ſine inflammatione articulorum, eam nuncupat Cl. CVLLEN irregularem (*irregular gout*). Huius irregularis porro tres ſiſtit ſpecies, nimirum atonicam ſ. imperfectam, regreſſam et errore loci peccantem,
p. 308. (*atonic*, *retrocedent*, *misplaced gout*). Materiam ſ. acrimoniam arthriticam Noſter negat, nec eam proximam podagrae cauſam iudicat, ſed hunc morbum inter morbos neruoſos refert, et ex legibus neruoſi ſyſtematis et inprimis in iis mutationibus, quae in aequilibrium variarum eius partium cadunt, hunc morbum explicat.

p. 320. Podagra medicamentis non cedit; continua vero corporis exercitia et victus vegetabilis eam prorſus arcent et impediunt, etiam apud eos, qui per haereditatem huic morbo ſunt obnoxii. Pulveri Ducis Portlandiae **) non prorſus denegat vim antipodagricam, quoniam eo vſi non tam ſaepe podagra vexabantur, quid quod per duos circiter annos quieſcebat. Sed afficiebantur atonica podagra,

*) v. aduerſar. medic. pract. Vol. II. p. 5. it. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 103.

**) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 402. it. Vol. XX. p. 53. et 457.

gra, et ſimulac pulueris vſum intermittebant, incidebant in apoplexiam, aſthma, hydropem breui letalia. Moxa applicata non plenam ſanationem praeſtitit. p. 335.

In ſynopſi, vti ab initio monuimus, nos ſolummodo ad annotationes translatoris quasdam reſpiciamus. Exempli loco: Ad rubeolas variolodes pertinent rubeolae ſeu roſeolae, a nonnullis Germanice *Rötheln* dictae *). Variarum ſpecierum dyſenteriae diuiſionem optime dirigit febris. Lupiae ſunt interdum non mobiles et ſaepenumero quodammodo durae. Speciebus ſecundum diuerſam contentarum materiarum naturam varia nomina imponuntur. Sunt tumores cyſtici Auctorum. Ad Auctores hic nominatos pertinet Cl. SAGAR, cuius ſyſtema morborum hic addimus. p. 344. p. 418. p. 438. p. 523.

XIV.

IO. BAPTISTA MICH. SAGAR ſyſtema morborum ſymptomaticum ſecundum claſſes, ordines, genera et ſpecies cum characteribus, differentiis et therapeiis. Filum Ariadnaeum ad lectulos aegrorum. Impenſis Io. Paul. Kraus Bibliopolae Viennenſis 1776. 8. pagg. 756.

Vt morbus facilius definiri, ad ſuam claſſem, ordinem, genus et ſpeciem relegari illiusque therapia inueniri queat a viris, medicinam facientibus, hoc morborum ſyſtema Cl. SAGAR **) formauit. Potiſſimum deſcripſit *principaliores* morbos vel a ſe, vel ab aliis obſeruatos, vt a Cl. SAUVAGES. „Cultus, *inquit*, ſermonis nullam curam habui, quin ſtudioſe

*) v. CHRIST. GOTTL. LVDWIG inſtitutiones med. clin. §. 172.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 448.

dioſe hunc neglexi, vt fiam breuis, clarus et didascalicus, e contra ſaepius intuli vim Latio, praeſertim in nominibus ſpecificis breuitati ſtudens." Omnem theoriam omiſit Noſter et claſſes ſtatuit XIII., quae hoc ſyſtema morborum ſymptomaticum ſiſtunt. En clauem claſſium:

I. *Vitia*, Symptomata externa leuidenſia, palpabilia, abſque notabili cachexia, pyrexia.
II. *Plagae*, continui Solutiones, morbi proprie chirurgici, perſaepe ſat graues.
III. *Cachexiae*, coloris, figurae, molis, in corporis habitu ſine notabili febre deprauatio.
IV. *Dolores*, ſenſationes moleſtae ad febres non referendae.
V. *Fluxus*, exitus inſolitus cuiusuis ſolidi, vel fluidi e corpore, eſt character huius claſſis.
VI. *Suppreſſiones*, meatuum impeditio, hinc excretionum conſuetarum in ſanitate retentio.
VII. *Spasmi*, contractio inuita conſtans, vel interpolata muſculorum motum localem efficientium.
VIII. *Anhelationes*, motus ſpaſmodici iterati, defatigantes, pectoris cum reſpiratione ſonora moleſta, abſque pyrexia notabili.
IX. *Debilitates*, impotentia ſentiendi, appetendi, imaginandi, organa artuſque mouendi more ad ſanitatem neceſſario.
X. *Exanthemata*, febris cum effloreſcentia cutis varia maculoſa, puſtuloſa, phyctaenoidea, et aſthenia.
XI. *Phlegmaſiae*, febris cum pulſu duro, dolore topico, inflammatione partis externae, vel internae, ſanguine miſſo cruſta inflammatoria tecto, vrina plus tincta.

XII. *Febres*, frigus, calor, pulſus frequens, reſpiratio aucta, viribus artuum imminutis, depravatis, vel viribus vitalibus, pulſu et reſpiratione vix mutatis, virium artuum ſumma proſtratio.

XIII. *Veſaniae*, error mentis in imaginatione, appetitu, iudicio, aut memoria.

His itaque claſſibus ordines ſubdiuiſi ſunt, quos omnes cum hic repetere nequeamus, exempli loco claſſis primae ſynopſin dabimus.

Vitia. Character Claſſis; Syndromes ſymptomatum cutaneorum in ſolidis leuidenſium, palpabilium ſine febre, cachexia, manifeſtis.

Ordo I. *Maculae*, mutationes coloris natiui.

I. *Leucoma*, macula opacans corneam.
II. *Vitiligo*, macula cutim deprimens corymboſa.
III. *Ephelis*, macula cutis corymboſa, fuſca.
IV. *Naeuus*, macula congenita protuberans, vel non.
V. *Ecchymoma*, macula a ſanguine ſub cute effuſo.

Ordo II. *Effloreſcentiae*, tumores humorales exigui, gregales, absque pyrexia.

VI. *Puſtula*, phyma paruulum apice ſuppurans, rumpendum, ſubin in cruſtam abiens.
VII. *Papula*, phyma paruulum deſquamandum, nec ſuppurans.
VIII. *Phlyctaena*, veſicula fluido ſeroſo plena, faſtigiata.
IX. *Bacchia*, maculae faciei guttatae plus, minus prominentes, aut aſperae, ſquamulas, vel furfures, ſaepius dimittentes, diuturnae.
X. *Varus*, tuberculum durum conſtans.
XI. *Herpes*, papularum prurientium corymbus.

XII. *Epinyctis*, phlyctaenarum - atro - rubrarum congeries praecipue in tibiis noctu acriter pungentium, dolentium potiſſimum.

XIII. *Hemeropathos*, maculae rubrorutilae crura obſidentes, extra lectum illico apparentes, importune prurientes, in lecto vero euaneſcentes, diuturnae.

XIV. *Pſydracia*, efflorefcentia roſacea, rubra, eryſipelatoſa.

XV. *Hydroa*, exanthemata miliaria phlyctaenoidea ſine febre et aſthenia.

Ordo III. *Phymata*, tumores humorales ſolitarii.

XVI. *Erythema*, phyma rubrum calens, diffuſum.

XVII. *Oedema*, phyma album indolens, molle, frigidum, laxum, foueam digiti impreſſi ſeruans.

XVIII. *Emphyſema*, phyma pallidum frigidum elaſticum.

XIX. *Scirrhus*, phyma durum, indolens, frigidum, cuti concolor, in locis glanduloſis.

XX. *Inflammatio*, eſt tumor ſphaeroideus rubore, calore, tenſione, dolore pulſatili inſignis, ſolitarius, ſat extenſus, in ſuppurationem vergens; eryſipelas contra non ſuppuratur, et phlegmone habet pyrexiam magnam coniunctam; ſaepius nihilominus inflammatio in phlegmonem tranſit.

XXI. *Bubo*, phyma ſcirrhoſo - inflammatorium in glandulis plerumque inguinalibus.

XXII. *Parotis*, bubo iuxta aurem.

XXIII. *Furunculus*, phyma ſubdurum, inflammatorium, prominens, vorticem habens in fundo incongerendum.

XXIV. *Anthrax*, phyma apice gangraenoſum, in ambitu inflammatum.

XXV. *Cancer*, phyma ſcirrhoſum lancinans.

XXVI.

XXVI. *Paronychia*, inflammatio extremi digiti.
XXVII. *Phimoſis*, inflammatio praeputii glandem denudatam ſtringens, vel incarcerans.

Ordo IV. *Excreſcentiae*, tumores a ſolidis adauctis per nutritionem auctam morboſam.
XXVIII. *Sarcoma*, excreſcentia carnoſa.
XXIX. *Condyloma*, excreſcentia cutanea tendinea.
XXX. *Verruca*, excreſcentia cutanea globoſa.
XXXI. *Pterygium*, excreſcentia plana in oculi cantho.
XXXII. *Hordeolum*, tumor durus, vel hydatidoſus in palpebris magnitudine ſaepius granum hordei aequans, ſenſu carens.
XXXIII. *Trachelophyma*, excreſcentia gutturis.
XXXIV. *Exoſtoſis*, excreſcentia oſſis morboſa, ad eius duritiem accedens proxime, plerumque partialis.

Ordo V. *Cyſtides*, tumores capſulati, fluido referti.
XXXV. *Aneuryſma*, cyſtis arterioſa ex pulſatione noſcenda et ſitu.
XXXVI. *Varix*, cyſtis venoſa; ſitus, rubedo et pruritus hanc definit.
XXXVII. *Hydatis*, cyſtis lymphaticorum vaſorum dilatatorum lympham continens.
XXXVIII. *Mariſca*, tumor ſanguine turgens in margine podicis, isque pertinax, accedit proxime ad ſarcoma.
XXXIX. *Lupia*, eſt cyſtis materiam pultis, vel mellis conſiſtentiam referentem, haud purulentam continens, frigida et plerumque indolens.
XL. *Staphyloma*, eſt cyſtis aquoſa a corneae proptoſi, dilatatione, vel ab vueae hernia in cameram oculi anteriorem prolapſae, corneam extrorſum protrudens.

XLI. *Hydarthrus*, hydrops articuli in capſa eiusdem, vel cellulis vicinis.
XLII. *Apoſtema*, cyſtis purulenta.
XLIII. *Exomphalus*, cyſtis vmbilicalis ſaepius aquoſa ad ſitum mutatum non recedens, nec reponibilis.
XLIV. *Oſcheophyma*, cyſtis in ſcroto non reponibilis.

Ordo VI. *Ectopiae*, partium ſolidarum e ſua ſede dimotio ſenſibus obuia continentibus relaxatis.
XLV. *Exophthalmia*, ectopia oculi.
XLVI. *Blepharoptoſis*, ectopia palpebrae.
XLVII. *Hypoſtaphyle*, ectopia vuulae.
XLVIII. *Paragloſſa*, ectopia linguae.
XLIX. *Proptoma*, ectopia appendicum externarum corporis morboſa.
L. *Exania*, ectopia ſeu prolapſus ani.
LI. *Exocyſtis*, prolapſus veſicae vrinariae.
LII. *Hyſteroptoſis*, prolapſus vteri.
LIII. *Colpoptoſis*, prolapſus vaginae.
LIV. *Gaſtrocele*, hernia epigaſtrii ſeu ſcorbiculi cordis.
LV. *Omphalocele*, hernia vmbilicalis.
LVI. *Laparocele*, hernia ventralis ſeu abdominalis.
LVII. *Merocele*, hernia cruralis.
LVIII. *Bubonocele*, hernia inguinalis.
LIX. *Opodeocele*, hernia foraminis oualis.
LX. *Iſchiocele*, eſt hernia emergens per inciſuram oſſis ſacri decubitu prono reponibilis.
LXI. *Colpocele*, hernia vaginalis.
LXII. *Perinaeocele*, hernia perinaei.
LXIII. *Encephalocele*, hernia ſeu ectopia cerebri per ſuturas oſſium cranii emergens.

LXIV. *Peritonaeorixis*, eſt hernia quaecunque ob rupturam peritonaei emergens; hoc genus eſt ſpecies rupturae inter plagas reponendum; aſt propter affinitatem cum ectopiis illud huc traxi.

LXV. *Hyſteroloxia*, vteri obliquitas.

LXVI. *Parorchidium*, ectopia teſticuli.

LXVII. *Exarthrema*, oſſium mobilium luxatio.

LXVIII. *Diaſtaſis*, oſſium immobilium receſſus.

LXIX. *Loxarthrus*, oſſium mobilium obliquitas reſpectiua citra ſpaſmum et exarthrema.

LXX. *Gibboſitas*, thoracis dilatatio prominens, huiusque cauum componentium ectopia.

LXXI. *Lordoſis*, oſſium longorum incuruatio ſine moleſtia.

Ordo VII. *Deformitates*, vitia, quae vix ſanitatem laedunt, formam deturpantia.

LXXII. *Lagoſtoma*, labium oris fiſſum.

LXXIII. *Apella*, praeputii, vel alterius appendicis mollis abbreuiatio.

LXXIV. *Polymeriſma*, eſt partium numerum ordinarium exceſſus.

LXXV. *Epidoſis*, appendicum mollium incrementum inſolitum ſanum.

LXXVI. *Anchylomeriſma*, partium concretio.

LXXVII. *Hirſuties*, pili copioſiores, longiores; vel in locis, vbi non ſolent creſcere, obuii.

Temperamenta: 1. ſanguineum, 2. lymphaticum, 3. oleoſum, 4. ſalſum, 5. cholericum, 6. atrabiliarium, 7. ſpirituoſum, 8. ſpermaticum, 6. rigidum, 10. laxum, 11. tenerum, 12. robuſtum.

Ergo deſcripſit Noſter in hoc ſyſtemate morborum ſymptomatico claſſes morborum ſat natura-

 les

les XIII. Ordines LVIII. Genera CCCLI. Species MMD. cuique inſuper ſpeciei ſubiunxit therapiam, vti aſſerit Noſter, quam potuit, breuiſſimam probatiſſimamque. Index generum morborum finit hunc librum.

Iam exempli loco de morbis quibusdam videamus.

p. 37. *Cancer vterinus.* 5. C. hunc adeſſe auguramur ex ſignis praegreſſi ſcirrhi huius viſceris, dolore lancinante, aucto volumine vteri, ex tactu obſtetricio et effluxu humoris lymphatici, ichoroſi, ſanioſi, foetidi; ex hoc morbo mortua eſt Nobilis hic Domina aſſidua pietatis cultrix et orationum recitatrix praecipue in templis Dei: durante hoc morbo os et labia vuluae ſemper occupabant aphthae moleſtiſſimae, nullisque remediis cedentes; inſuper dyſpnoea, anxietates, deliquia rara quidem, appetitus proſtratus, noctes inſomnes, pulſus intermittens, dyſuria, obſtipatio, phlegmatia et febris amphimerina aegram plus quam dolores cancri affligebant. Nimia pietas ſuſpiriis mixta, lacrimis irrorata, praeſertim ſi fiat ſine cantu, multos piis cauſſat morbos, vt toties iam obſeruaui.

Therapeia, iniectiones ex decocto herbae cicutae et corticis peruuiani in vterum frequentes, tum vſus internus cicutae cum appropriatis cauſae mali ſunto palmaria pharmaca huc vſque nota; aegra nimium pudica et pertaeſa medicamentorum, cuius memini reſpuit vtrumque, ac ſolis palliantibus contenta praeſtolabatur feſtinam certamque mortem.

p. 214. *Arthritis ſcorbutica.* 8. A. Aggreditur calidos comedones ſcorbuticos ſeſe prodens per ſigna ſcorbuti et filamenta vrinae innatantia.

Thera-

Therapeia, virum Emeritum ſexagenario maiorem hac arthridite laborantem multum iuui ſequenti methodo: cererem pro potu ordinario bibit medicatam, quam intrant naſturtium aquaticum, raphanus ruſticanus, armoracia, enula, ſemina ſinapios, folia ſambuci, carduus benedictus, mariae, chamaedrys, chamaepytis, abſynthium, caryophyllata, fumaria, iris et ſtrobili pini; bibit ad menſam etiam vnum alterumue vitrum vini boni lymphati; commotiones facit copioſas, olera amat, pro ientaculo ſumit bonam chocoladam; omni menſe ſemel ſumit vnciam 1. ſalis carolini ſcopo purgante; bis in anno curat ſibi venam tundi, et iam binis annis caret paroxyſmo; os lauat ſibi omni mane ſpiritu naſturtii aquatici; in paroxyſmo ſibi curabat fricari artus pannis fumo baccarum iuniperi impraegnatis, ſumſit doſin ſalis carolini; dein mixturam ex aqua ſambuci, extracto chamaepytios, iridis, chamaedryos et gummi ammoniaco vitello oui ſubacto, roob ſambuci et ſyrupo cochleariae, cui ſuperbibit infuſum florum ſambuci, chamaedryos et chamaepytios herbarum.

Oſtocopus dolor cancroſus. 3. O. Carcinomate p. 217. mammam lancinante, vorante oſtocopum experiuntur atrocem in vno, vel pluribus artubus ab ichore cancroſo reſorpto.

Therapeia, cicuta externe et interne danda larga manu, ſubin et ſcalpello omnia vſque ad os ſoluenda, vt in paronychia perioſtiali fieri ſolet: vide carcinoma.

Iſchias ſyphiliticum. 5. L. hiſtoria vitae actae, p. 273. ſigna ſyphilidis et ſurditas mali ad remedia ſueta ſuſpicionem iniicient huius iſchiadis.

Therapeia, ego ſemel curandum habui hoc iſchias, et feliciter illud curaui mercurio dulci cum conſerua foliorum bardanae intus dato, pro potu ordinario dedi decoctum lignorum, locoque dolenti appoſui emplaſtrum de ranis cum mercurio, et ſaepius purgaui aegrum.

p. 301. IX. *Haemorrhois* eſt ſanguifluxus ex tuberculis, mariſcis rubris, duris, dolorificis, finem inteſtini recti obſidentibus, vel in recto latentibus; ſentiunt poſteriora tubercula aegri in recto ſaepius obſtipati, et digitus immiſſus inteſtino haec offendit; ſanguis in depoſitione alui praecedit, vel ad minus comitatur excrementa.

Moderata 1. H. haec aegrum aptiorem ad munia reddit, et liberat a grauioribus morbis. *Therapeia*, qui vult hunc ſordidum fluxum regularem conſeruare, conſeruet aluum lubricam, abſtineat a nimia ſeſſione et hunc fluxum turbantibus: vt ſunt aloë, rheum, caffée, vina rubra, chocolada integra, ceres ſabinata etc. ſi vero placet exſiccare hunc ſordidum fontem cuidam, ſecet venam ſaltem quater per annum in brachio, ſumat flores ſulphuris quaſi quotidie cum roob ſambuci et rheo, commoueat corpus, frugali vtatur victu et fontes bibat.

Immodica. 2. H. nimium fluxum eſſe haemorrhoidalem cognoſcimus ex quantitate ſanguinis fluentis, diuturnitate fluxus, debilitate, animi deliquiis fluxum ſequentibus etc. Phlogoſis mariſcarum facit haemorrhoides furentes, praecipue ſi acris ſit ſanguis et cacochymicus. *Therapeia*, ſacculi herbarum adſtringentium ex vino rubro podici

dici admouentur gelidi, interne datur mixtura adſtringens et iulapium minerale pro potu ordinario, venaque in brachio tunditur; lac ſumtum pro omni cibo et potu reſtituit ſubin haemorrhoidarios exhauſtos, herba verbaſci contuſa haemorrhoidibus diuturno tempore admota curat haſce, nocet maxime haemorrhoidariis aloë, colocynthis et reſinoſa purgantia.

Polypoſa. 3. H. mariſca ſ. botulus haemorrhoidarius facile a polypo hic enato diſtinguitur, nam polypus pedunculo anguſto et mariſca lata inhaeret; polypus quandoque in podice enatus ſanguinans exhibet haemorrhoides, quae omnia examen chirurgicum definit.

Therapeia, dum itaque polypus occaſio eſt fluxus haemorrhoidalis, hic per ſubligationem tolli debet, et huius radix alumine calcinato conſumi.

Exaninica. 4. H. prolapſus inteſtini recti habitualis oritur a ruptura, vel nimia et quaſi paralytica relaxatione diaphragmatis inferioris; hinc ſaepe ambulantibus celerius, aluum deponentibus ſemper excidit inteſtinum cum maiore, vel minore fluxu haemorrhoidali, quod inteſtinum, turpis labor! manibus hi miſeri toties retrudere debent; ex hoc morbo mortuus eſt Generalis Watersleben. Profecto in quacunque ſpecie haemorrhoidis diaphragma inferius plus, vel minus relaxatum eſſe videtur.

Therapeia, faſciae aptae apponuntur, adſtringentia fortiſſima cum camphora et aſſa foetida ex vino rubro applicari debent, ipſum colcothar vitrioli, alumen, lixiuium cerdonum et fulmen electricum non negligenda.

Annotatio, haemorrhois, quod nunc ſit endemicum malum in noſtris terris quisque miratur, et ego non miror, ſed cauſſas aſſigno: nimirum iſtum ſordidum fluxum introduxerunt et fouent abuſus caffée, chocoladae integrae, aromatum, vini, cereris nimium lupulatae, ſabinatae, abuſus reſinarum purgantium, aloës et colocynthidis.

p. 463. *Tuſſis ferina.* 10. T. eſt tuſſis ſaepius epidemica infeſtans infantes per paroxyſmos reuertens quintas dictos, in quibus ferme ſuffocatur infans per aliquot ſecunda minuta, liueſcit facie, vomiturit, totoque corpore vehementer concutitur, expectorat pituitam albam ſpumoſam, viſcidam, quam plerumque deglutiunt debiles et macilenti.

Therapeia, rheum his do cum valeriana, vel mannam in caffée, veſperi dein ſumunt grana 15. theriacae, infuſum hydrolapathi ſeruit pro potu ordinario tepidum; infuſum ipecacuanhae eſt inſtar omnium ſubito curans; hirudines ſubin tibiis admoneri debent; clyſmata vtilia ſunt.

XV.

XV.

IO. NEPOM. ANTON LEVTHNERS, *weiland Sr. Churfürſtl. Durchl. in Bayern wirklichen Raths und Leibmedici, ordentlichen Aſſeſſors des Churfürſtl. Collegii Medici in München, und des Churfürſtl. Hofkrankenhauſes in Gieſing, ordinari Phyſici praktiſche Heilungsverſuche der Milzdünſte durch zerſchiedenen Gebrauch des gemeinen Waſſers. Ulm, bey Auguſt Leberecht Stettin,* 1779. 8. *Erſter Theil.*

EIVSDEM *practiſche Heilungsverſuche der Mutterdünſte, durch zerſchiedenen Gebrauch des gemeinen Waſſers,* ibid. eod. *Zweyter Theil. Seitt.* 327. praeter dedicationes et contenta.

i. e.

IO. NEPOM. ANTON. LEVTHNERS medico-practica tentamina de aquae communis vario vſu in malo hypochondriaco et hyſterico. Pars I. et II.

Imitatus eſt Noſter Cll. viros POMME *), PRESSAVIN **), BIENVILLE ***), TISSOT ****) cet. et ex HIPPOCRATE, CELSO aliisque veteribus communium balneorum vſum in hypochondriacis et hyſtericis malis probat. Frigidis balneis interdum praeferenda eſſe calida, ſi irritabilitas et ſenſibilitas aucta ab acredine pendeat, quae perſpiratione euocanda

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 652.

**) v. ibid. tert. decad. Suppl. I. p. 54.

***) v. ib. Vol. XIX. p. 696.

****) v. ib. Vol. XX. p. 698. Alia ſcripta huc pertinentia vide in indicibus primae et ſecundae decadis noſtrorum commentariorum ſub verbo *balnea.*

canda ſit, item plenitudine ſanguinis et ſpiſſitudine, rigiditateque corporis praeſentibus cet. Noſter per climatis rationem largitur.

p. 14. En Noſtri obſeruationes de balneis in malo hypochondriaco. Nimia animi contentio et continua corporis quies huius aeque ac multorum aliorum malorum ſunt fontes. Malum hypochondriacum itaque eſt duplex, vnum repetitur ab animi nimia contentione, alterum ab obſtructione viſcerum abdominalium et laeſa digeſtione deriuatur.

p. 31. Exponitur exemplum de miris conuulſionibus ſubinde omnes corporis fere partes, praeſente animo aegri, crudeliter afficientibus. Hae ortae erant ex nimia animi contentione et intermiſſo penitus corporis motu.

p. 39. Cum vero Noſter ſpecifica antiſpasmodica e. gr. valerianam, moſchum, opium, corticem, camphoram, caſtoreum, aſam, mercurium, antimonium cet. non magnifaceret, aliam medendi methodum elegit. Ac *primum* quidem ſtagnantes humores in abdomine ac potiſſimum in liene reſolui curat, emollientibus et reſoluentibus herbis et balneis, primis viis emeticis et laxantibus purgatis ; *dein* acrimoniam neruos titillantem, inuolui iubet et venaeſectione laxanteque medicina expelli, balneis tum in auxilium iterum iterumque vocatis; lacti hic Noſter multum tribuit, atque cum aſininum rarum et ſumtuoſum ſit, vaccinum cum aqua Selterana et pauxillo ſacchari, ſeu ſerum lactis ſuadet; *tandem* domari neruos ſupra modum tenſos extracto hyoſcyami proſpicit. Atque ita conuulſionibus ſedatis, haemorrhoidalis fluxus promotus eſt his morſulis *)

hic

*) Hanc formulam v. C. T. E. REINHARDS *Abhandlung von dem Maſtdarmblutfluße. Glogau*, 1760. p. 36.

hic ſpecificis. Rec. amygd. dulc. excort. ℥ß. Pin. Piſtac. excort. Citr. pulp. et cort. condit. Spec. Imperat. pro morſulis et tragea ana dr. j. Antimon. crud. alcohol. dr. iij. Sacch. alb. in Aq. Cinnam. cydon. ſolut. q. ſ. ad morſul. M. D. Atque ita penitus hic aeger ſanitati eſt reſtitutus.

Vomitum hypochondriacum per vndecim menſes durantem, multis antiſpasmodicis, roborantibus calefacientibus cet. remediis fruſtra adhibitis, eadem ratione ſanauit, vt ſupra narrauimus. Obſtructionem alui et vrinae hypochondriaco viro caecis haemorrhoidibus vexato Noſter ſanauit. Sequelas onaniae triſtes iuuit cortice, frigidis balneis et diaeta lactea leniter nutriente nec calefaciente cet. p. 60. p. 78. p. 107.

Tranſimus ad ſectionem tertiam, quae continet exempla de vſu frigidae aquae in epithematibus et clyſteribus, malo hypochondriaco praeſente. Colicam ſpasmodicam flatulentam epithemate ex aqua frigida et aceto, praemiſſis euacuantibus cet. ſuſtulit, aquae tamen omnia tribuit, acetum enim addidit adſtantium cauſa. Mania ex ira et amore orta epithematibus frigidis capitis et frigidis pediluuiis lenita, adhibitisque deinde remediis aliis prorſus ſanata eſt. Haemorrhagiam narium pariter curauit. p. 113. p. 127.

De ſpecifico vſu oxygalae ſ. lactis acidi in vomitu hypochondriaco et hyſterico cum colica coniuncto obſeruationes hic leguntur. p. 143.

Progrediamur ad partem alteram, qua eodem modo ſexui ſequiori pariter ſubueniri poſſe exemplis comprobatur. Praemiſſis quibusdam de balneis in hyſterico malo in vniuerſum, lipothymiam hyſtericam cum ſpasmis, ſpasmos hyſtericos ante menſtrua, haemoptoën periodicam cum hyſterica febre lenta, morbum ileum, colicam flatulentam hyſteri- Pars II.

hyſtericam, cet. multis interdum remediis fruſtra adhibitis, multo cum fructu methodo hac curaſſe hic narrat Noſter.

XVI.

DANIEL MAGENISE *Theorie der Entzündungen aus Gründen und Erfahrungen. Aus dem Engliſchen überſetzt, von Dr.* FRIDRICH AVGVST WEBER. *Göttingen, bey Johann Chriſtian Dietrich* 1776. 8. *Seitt.* 136. praeter praefationem Auctoris, Translatoris et recenſionem ex nouellis eruditis Gottingenſium.

Partim quoniam huius libri communicationem in noſtris commentariis non curauimus, partim quoniam cum Cl. WEBER eum vtilem cenſemus, hanc verſionem hic indicamus. Non nuper hic liber *) prodiit Londini ſumtibus Auctoris cum dedicatione ad CLIFTON WINTRINGHAM, quam Cl. WEBER in verſione de induſtria omiſit. Cl. MAGENISE loca Latina non in Anglicam vertit linguam, Cl. WEBER autem haec quidem pariter addidit, attamen in Germanicam translata. Omnino conatur Cl. Auctor ſyſtema Boerhaauianum de inflammatione refutare, praeterea ſuas addit ſententias.

Itaque vti in praefatione legimus, nullius ſyſtematis et hypotheſeos habita ratione Lectori claram atque perſpicuam exhibet notionem de diuerſis effectibus inflammationis, oſtendit eiusdem originem maxima naturae ſimplicitate, et affirmat illuſtratque ſua aſſerta exemplis ita notis, vt quotidie in communi vita et in praxi medica ſuccurrant, demumque ad praecipuas obiectiones reſpondit. Quae

FERNE-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 365.

FERNELIVS *) de diuerſis inflammationis effectibus ex veteribus diligentiſſime, vti ratus eſt Noſter, collegit, Cl. MAGENISE vbique praemittit.

Idcirco incipit de phlegmone. p. 5.

Noſter detegit in Boerhaauiana inflammationis theoria tres errores: 1) quoad ordinem vaſorum, 2) quoad humorum diuerſitatem, 3) quoad cauſarum varietatem, quae inflammationis ortui ſeruiunt. Negat inprimis hic ſtagnationem ſeu obſtructionem in inflammatione Boerhaauiana. Noſtri doctrina de inflammatione nititur nimia irritatione, ſeu ſtimulo vaſorum (erethiſme), quae neque periſtaltica eſt, neque oſcillatoria. Eſt ea diuerſa in variolis, morbillis, ſcabie, acutis febribus, ceterisque morbis inflammatoriis per gradus varios erethiſmi. Calor, comes inflammationis oritur ex viciſſim aucta tritura fluidarum partium et vaſorum. p. 15.

In ſecunda ſectione agit de eryſipelate. Ac primum quidem hic praemittit, quid FERNELIVS ex veteribus de eo collegit et pariter contra BOERHAAVIVM dicit. Eryſipelas, inquit Noſter, eſt ea inflammatoria ratio, in qua pars laeſa, digitis preſſa, albeſcit, preſſione autem ceſſante, priſtinum nanciſcitur colorem. Ineſt glandulis quaedam tenax humiditas, ſenſibilitatem cutis ſuſtentans eamque humectans. Hac humiditate deſtitutum eſt eryſipelas, eaque abſente efficit differentiam inter eryſipelas et oedema, indeque pendet maior in eryſipelate cutis irritabilitas. p. 51. p. 83.

In tertia ſectione Noſter venit ad oedema. Tradita FERNELII e veteribus oedematis hiſtoria, diſputat de oedemate calido et frigido. Atra bilis p. 86.

ſ. ſex

*) De externis corporis affectibus.

ſ. fex ex ſanguinis, cui veteres oedemata tribuerunt, non prorſus e medicina proſcribenda eſt ex Noſtri ſententia. Oriuntur oedemata, vti reliqua et cauſa eorum cernitur in ſpiſſitudine ſeu defectu ſeri in ſanguine.

p. 102. In quarta ſectione de ſignis inflammationis diagnoſticis et prognoſticis exponit. Laeſae partis ratio, tumoris magnitudo, aegri conſtitutio et ſymptomatum vehementia dirigunt inflammationum prognoſin.

p. 105. Quinta ſectio ſpectat medelam inflammationis in genere, cuius ſumma eo redit, vt ſtimulus vaſorum imminuatur et aucta celeritas circuli humorum retardetur. Vtrumque efficitur venaeſectione, lenioribus laxantibus, attenuantibus, acidulis oleoſis, mucilaginoſis et narcoticis caute adhibitis remediis. Diaeta ſit attenuans, leniens et refrigerans. Pro potu theiformi ſuadet herbam capillorum Veneris, nos autem cum Cl. WEBER praeferimus flores chamomillae vulgares aut ſambuci.

p. 119. Denique diſſerit de methodo inflammationi medendi quae contra doctrinam Boerhaauianum de inflammatione dicit.

p. 131. Et tandem finem facit caput de reſolutione ſeu diſcuſſione inflammationis.

XVII.

Compoſitiones medicamentorum pharmaceuticae generales. Diſputatio inauguralis medica publicae diſquiſitioni ſubmiſſa a IOSEPHO SONNAVERO, Vindobonenſi. Viennae, d. XXV Iulii CIↃIↃCCLXXVII. *)

Etſi noſtris potiſſimum temporibus mutatam valde, firmisque principiis ſuperſtructam medicamentorum cum pharmaceuticorum, tum magiſtralium, quae vocant, componendorum rationem deprehendimus, eaque, quae veteribus Graeciae medicis inprimis ſolemnis erat, in eorundem mixtione ſimplicitas nobis SYDENHAMII, BOERHAAVII, aliorumque opera velut reddita eſt; offenduntur tamen haud raro etiam in nouiſſimis libris, in quibus hac de re exponitur, formulae quaedam, quae et compoſitae valde ſint, et deſtruendis ingredientium viribus admodum aptae. Hinc tantum omnino abeſt, vt hunc SONNAVERI libellum vtilitate deſtitui putemus, vt eum pharmaceuticis quibusdam compoſitionibus emendandis aptiſſimum arbitremur; etenim multa, quae in officinis proſtant, medicamina Auctor ea recenſuit ratione, vt, quid medici indicationi reſpondeat, et quid eidem obſit, clarum fieret atque perſpectum.

Et in *aquarum* quidem *ſimplicium* deſtillatione cauendum valde eſt, ne empyreuma redoleat hinc etiam omnes aquae deſtillatae recentes, cum herbacei et empyreumatici quid, quod tamen ſponte euaneſcit, immixtum habeant, ante aliquot hebdomades in vſum trahendae non ſunt.

Electua-

*) vid. ſupra p. 243.

p. 39. *Electuaria* nonnulla inter optima medicamenta recte numerantur, quae ſuauia vtplurimum reddi aegrotis poſſint; at vero, quam alienae a medici ſcopo illae ſint compoſitiones, quae aduerſus venena quondam ſolebant commendari, nemini eſt incognitum. Hinc *theriacam*, *mithridatium*, aliaque huius generis electuaria a medicis etiamnum praeſcribi, eo magis dolendum eſt, quo certius aromata quaedam calida cum exigua opii portione mixta et in electuarii formam redacta omnem theriacae virtutem abſoluunt.

p. 56. *Magiſteria* ex terreorum corporum, v. c. lapidum cancrorum, margaritarum etc. in variis acidis ſolutionibus ope olei tartari per deliquium praecipitata ex officinis eiici ſine vllo damno poſſunt; quanquam enim praecipitato corpori de menſtruo pariter, atque de praecipitante quicquam adhaeret, quod plane ablui vix vlla poſſit ratione, parum tamen mutatae calces inde deprehenduntur. Magis vero vitanda ea quorundam in huiusmodi calcium praeparatione methodus eſt, qua olei tartari loco ſpiritus aut oleum vitrioli commendatur; nam gypſum hac ratione obtinetur, quod obeſſe potius, quam prodeſſe certiſſimum eſt.

p. 79. Si leuis ſeminum, ex quibus *oleum* exprimendum eſt, torrefactio praeceſſerit, maior olei acquiritur copia; nam mucilago oleum inuiſcans hac ratione deſtruitur. At vero haec ipſa mucilago, ſi cum oleo coniuncta manet, eiusdem vim demulcentem atque emollientem vehementer auget; hinc a torrefactione, etſi ea fere in conſuetudinem abiit, omnino abſtinendum eſſe patet.

p. 95. In inſpiſſandis illis ſuccis, quos *Roob* vocant, ambuſtio, quae peſſimum illis tribuit ſaporem, euitanda quam maxime eſt; quare conuenit, vt tripla circiter portio optimi, puriſſimique ſacchari ſucco addatur,

addatur, atque ignis applicetur violentiſſimus, neque interruptus, quo quippe modo absque multa euaporatione debitam adipiſcitur conſiſtentiam.

Vina, quibus ante fermentationem vegetabilia varia admixta fuerunt, medicatorum nomen vix merentur, nam priſtina medicamentorum virtus hac ratione vtplurimum perit. p. 114.

Ceterum *terreae* illi *calci*, quae ex amaro ſale ope alcalini fixi ſalis praecipitatur, *magneſiae muriae* nomen, prout Auctor cenſet, non conuenit, ſed *Edinburgenſis* ea dicenda eſt, et *ſulphuris lac*, nos cum reliquis magiſteriis proſcribendum non putamus; nam floribus ſulphuris multo eſt ſubtilius, atque adeo ſolui in humano corpore longe facilius poterit. p. 129.

XVIII.

Aqua aërea Pragenſis excerpta ex diſſertatione inaugurali medica IOH. MICH. HORNSTEIN. Viennae, d. XX. Nouembr. CIↃIↃCCLXXVII *).

Quod nuper in Bohemicis potiſſimum terris, aliisque adiacentibus prouinciis inclaruit ſal, aëreum (*Luftſalz*) dictum, ex eoque parata aqua (*Luftwaſſer*), quod mederi multis morbis dicitur, atque magno vendi conſueuit pretio, Noſtrum mouit, vt chemicis tentaminibus naturam eiusdem penitius intelligere, atque, vtrum laudibus illis dignum ſit, definire ſtuderet. Apparuit autem, aëream hanc aquam nihil eſſe, niſi ſalis amari Sedlizenſis in communi aqua ſolutionem, cui exigua ſelenitae portio admixta ſit, ita, vt lagena, in qua circiter viginti et octo vnciae inſunt, ſalis amari vncias duas cum ſemiſſe, et drachmam gypſi continea.

*) vid. ſupra. p. 246.

tineat. Ipſum ſal aëreum varia tentatum ratione omnes amari ſalis characteres exhibuit; hinc vtrumque praeparatum neque nouum, neque propriis virtutibus diues putandum eſſe apparet, quippe quod ſub ſalis amari nomine in omnibus pharmaceuticis officinis proſtet, atque quotidie a medicis in vſum vocari ſoleat.

XIX.

EROTIANI, GALENI ET HERODOTI, gloſſaria in HIPPOCRATEM ex rec. H. STEPHANI, Graece et Latine, acceſſerunt emendationes H. STEPHANI, BARTH. EVSTACHII, ANDR. HERINGAE, etc. recenſuit, varietatem lectionis ex manuſcriptis codd. DORVILLII et Moſquenſi addidit, ſuaſque animaduerſiones adiecit IOH. GEORG. FR. FRANZIVS, Lipſiae, ſumt. Ioh. Fr. Iunii, MDCCLXXX. 8. mai. pagg. 222. praeter praefationem et indices.

Critica medicaque manu indigere videbantur haec Gloſſaria in HIPPOCRATEM, et ob ſummam frequentioremque vocum deprauationem a librariis nimium ſedulis et imprudentibus inuectam, et ob rerum deſignatarum conditionem, quae non niſi a medico explicari poterant rectius atque accuratius. Hi autem triumuiri circa expoſitionem obſoletorum vocabulorum verſantur, eorumque ſtudium non ſolum in interpretandis medicorum ſcriptis proficuum eſt, ſed etiam multum praeſidii criticis in veterum auctorum libris explicandis adferet. Potiſſimum vero id curauit Cl. FRANZIVS, vt textus, quantum fieri poſſet, correctior emendatiorque euaderet, deinde collegit lectiones variantes

riantes copioſas ab Cl. BERNARDO ex Mſ. DORVILLII, a STEPHANO ex Mſ. Pariſino, a Cl. MATTHAEI ex codice Moſquenſi congeſtas, mirumque in modum ex FOESII oeconomia, aliorumque librorum lectione auctas ſtudioſiſſime ditataſque, quae ſtatim textui et verſioni, vt commodis Lectorum conſulatur, ſubiunctae atque minuſculis literis diſtinctae ſunt, his tandem ſunt ſuppoſitae animadverſiones laudatorum in fronte ipſius libelli virorum, quae libri ipſius vtilitatem, praeſtantiam non commendant ſolum, ſed etiam augent, eiuſque egregium vſum laudatis ex HIPPOCRATE locis ita demonſtrant, vt facile intelligatur, quantum ex his gloſſariis in medicorum libris veterum tractandis, interpretandis, riteque intelligendis proficere queant literarum Graecarum amici.

Exempla tantum quaedam proponemus. Sic p. 130.
v. c. Δεῖνον ἀϋτίτην mirum in modum exercuit ingenia interpretum, quamplurimi *non dilutum* reddunt, prorſus ſepoſita atque omiſſa vocis δεῖνον explicatione, neque nodum Gordium ſoluere potuerunt, quum nuſquam, quantum quidem nos ſcimus, haec apud HIPPOCRATEM exſtet dictio. Felici tamen ingenio AVGVST. GADALDINVS, BARTH. EVSTACHIVS, HENR. STEPHANVS, AN. FOESIVS et ANDR. HERINGA rem aggreſſi, vocem ἀϋτίτην mutarunt in αὐτίτην duce GALENO, quod eſt pro τὸν αὐτοετίτην, hoc eſt, τὸν ἐκ τοῦ ἐνεςῶτος ἔτους. Δεῖνον autem corruptum eſt ex οἶνον, quod facile fieri potuit, quum Δ et O a librariis haud raro permutari ſoleat. Egregie hanc explicationem firmant EROTIANI ipſius reliqua verba, quibus aſſerit, *illud apponendum eſſe aduenis*, quippe quibus quam maxime defatigatis conducit vinum admodum, et celerrime recreat eos, vireſque perditas reſtituit. Eodem p. 184.
modo ſanatus eſt locus HIPPOCRATIS Epid. L. IV.

p. 1127. ὁ ἀπὸ τοῦ κεραμέου ἵππου καταπεσὼν, quam plurimi interpretum belle et appoſite explicaſſe hanc dictionem viſi ſunt ſibi vertendo, *qui ab equo fictili deciderat*, et fortaſſe machinam QVELLMALZII ad equitationis vſum inuentam in hoc alii quaeſiuiſſent et inueniſſent loco, ſi tantum his temporibus ille vixiſſet. Sed optimam medelam affert EROTIANVS ἵπνου legens, id eſt *camini*, *furni*, quocum conſentit*) MEVRSIVS: ſenſus itaque eſt, *qui a furno figuli deciderat*. GALENVS quoque emendatiorem redditum eſſe hoc exemplum docet; Vocem enim ἐξητριασμένον explicat τὸ διὰ ἠτρίου ἠθημένον. Λεπτὸν δὲ τι ὕφασμα τὸ ἤτριον, *panno tenui colatum. Eſt autem tenuis quidam eſt agreſtis ſaccus.*

Obſcuritatem in hac Gloſſa ex ipſo GALENO ſublatam eſſe vidimus, qui vocem ἐξητριασμένον reperit L. I. de morbis mulierum, vbi iam ſic editur p. 632. 22. ἐμεσάτω, καὶ ῥοφέειν ἄλευρον δοῦναι, καὶ ἐπιπιεῖν οἶνον εὐώδεα παλαιὸν ἐξηθριασμένον. Nulla eſt dubitatio, quin ibi legerit οἶνον εὐώδεα παλαιὸν ἐξητριασμένον: atque ſatis commoda eſt illa lectio, ſolebant enim veteres vina turbida, vel etiam generoſa per colum traiicere, illa quo defaecarentur, haec vero vt mitiora fierent, ac caput minus tentarent: vnde etiam *caſtrari* dicebantur vina ita percolata. Quae praeterea locis ex aliis Auctoribus declarantur, confirmanturque. Meminit quoque vini colati, quod obiter notamus TVRNEBVS **), ſed alia prorſus ſignificatione. At haec ſufficiant, multa quidem emendari atque addi potuiſſe, Editor ipſe fatetur; ſed in tanta vocum copia ac varietate facilis eſt lapſus et omiſſionis culpa, in quam quilibet propemodum incurrit.

Succur-

*) In Gloſſario Graeco barb. p. 609.

**) In L. de vino, c. 14. I. adnexo I. H. MEIBOMII Tract. de cereuiſia.

Succurrit enim nobis locus in GALENO, qui laborare videtur, vbi ἄτρακτον οὐ μόνον τὸν εἰς τὸ ἱερουργὸν χρήσιμον legitur: pro ἱερουργὸν autem ſubſtituendum ἐριουργὸν, quomodo Interpres legit, qui *lanificium* reddit, et ipſa vox ἄτρακτος, *colus*, *fuſum*, requirere hoc videtur: nam colus ad lanificia potius pertinet, quam ſacrificia. Vocem autem ἱερουργὸν cum voce ἐριουργὸν *) permutari notiſſimum. Ceterum in ipſa praefatione, quae ad hiſtoriam literariam horum gloſſariorum ſpectant, ſumma fide commemorantur, atque quale vnicuique ſit pretium, qualis auctoritas, argumentis declaratur confirmaturque. p. 444.

Vt autem Lectoribus facilitetur horum gloſſariorum euolutio, adiecti ſunt indices, quorum prior Auctorum ab EROTIANO, GALENO et HERODOTO laudatorum breuem et ſuccinctam exhibet hiſtoriam, poſterior vero vocum omnium; qui eo neceſſarior eſt viſus, quo magis in oculos ſtatim incurrit vnicuique EROTIANVM, GALENVM ac HERODOTVM literarum quidem ordinem, nequaquam autem ſyllabarum ſeriem obſeruaſſe, cuiuſque rei cauſam hanc eſſe dicit Editor cum HERINGA, quod EROTIANVS non alphabetica ſerie, ſed ſecundum librorum ordinem ſuum conſcripſit libellum, quem poſtea quidam ad alphabeti ſeriem in damnum Lectorum reuocauit. Alia vtilitas praeterea hunc commendat indicem, qua inueniri poſſunt facile, quae ab EROTIANO recenſentur, ſimulque a GALENO et HERODOTO repetuntur, quibus facile conuenientia inter hos Gloſſographos poteſt intelligi atque perſpici.

*) Hoc eleganter declarauere WESSELING, ad DIOD. SIC. Tom. I. p. 367. et TRILLERVS V. Ill. in opuſc. med. Tom. I. p. 479.

XX.

Noua phyſico Medica.

Petropolitana Academia Imperialis Scientiarum die 12. Octobris 1779. has propoſuit quaeſtiones. Ac prima quidem attinet *terrae motum circa axin vniformen* etc. de qua ad Lectores iam retulimus *); altera eſt haec:

Aliter atque aliter ſentiunt Viri doctide plantarum cryptogamiarum LINNAEI, ſeu filicum, muſcorum, algarum, fungorumque propagatione. Alii non niſi per gemmas, plurimas harum plantarum perennare et ſeminibus plane carere perhibent. Alii ſemina vera in his adeſſe, et plantas matri ſimiles exinde provenire contendunt, qui iterum quoad ſeminum fructificationem inter ſe differunt. Alii hanc per tunicam communem vaſculoſam, ſemina cryptogamiarum obuoluentem et in ſuperficie interna auram ſeminalem exhalantem, in filicibus et muſcis praeſertim, peragi: alii eandem per organa maſculina, illis plantarum perfectarum ſimillima, auram ſeminalem explodentia, in muſcis et fungis praeſertim, abſolui aſſerunt. Minime pariter de partium temporariarum denominatione, muſcorum inprimis, Botanici conſentiunt. Alii ſubſtantiam eandem pro polline antherarum habent, quam alii ſemina eſſe dicunt; atque partem eandem alii antheram, alii ſeminum capſulam appellant. Alii tandem illam muſcorum particulam, quam vulgo calyptram nominant, pro tunica vaſculoſa ſecundante, antherarum vices ſuſtinente; alii pro tunica inerti, calicis loco inſeruiente, declarant; iidem modo plane analogo de volua fungorum diſſentiunt.

Ad

*) vid. ſupra. p. 171.

Ad lites has litterarias componendas Academia Viros omnium gentium doctos inuitat, ut unam alteramue harum opinionum auctis obſeruationibus et repetitis experimentis tandem comfirmare, vel aliam, ſi probabiliorem invenerint, probare, verbo: *Theoriam generationis et fructificationis plantarum cryptogamiarum* LINNAEI *dare, et obſeruationibus ad varias, ſi non omnium, attamen plurium Linnaeanorum generum cryptogamiorum ſpecies inſtitutis, adiunctisque omnium partium fructificationis diſtinctis, et iconibus illuſtratis deſcriptionibus confirmare, tandemque demonſtrare velint, an modus fructificationis et propagationis omnibus claſſe cryptogamiarum huc vſque comprehenſis plantis idem ſit, an differat pro ordinum ſupra enumeratorum differentia.* Ut praeterea figurae plantarum cryptogamiarum ad examen reuocatarum vel ex libris Botanicorum laudentur, vel Auctorum cura confectae diſſertationibus addantur, maximopere perſpicuitatis cauſa optatur.

Solutiones thematis nunc propoſiti Academia a. d. 1. Ian. 1782. exſpectat, quarum ea, quam iudicium Sociorum Academiae Petropoli habitantium (quibus nunquam palma Academiae contigit) caeteris praeſtantiorem et rei naturae maxime conuenientem declarabit, praemio centum nummorum aureorum Hollandicorum condecorabitur.

Diſſertationes diligenter vel Ruſſico, vel Latino, vel Germanico, vel Gallico idiomate conſcribendae; non nominibus Auctoris, ſed dicto diſtinguendae; ſchedula obſignata, externe dictum idem diſſertationi inſcriptum, interne autem auctoris nomen continente augendae; atque ante terminum deſignatum ad Cl. IOAN. ALB. EVLER, Academiae Imperialis Scientiarum ab epiſtolis, trans-

 mitten-

mittendae ſunt, quo facto ab Eodem exemplar cum numeri, ſub quo diſſertatio fuerit repoſita, ſignificatione accipiet Auctor quilibet, dummodo locum, ad quem ea dirigenda ſit, indicauerit. Diiudicabit Academia has miſſas elaborationes in primo 1782. conuentu.

Vltraiectina Societas ſcientiarum et artium quasdam vulgauit quaeſtiones, e quibus haec inprimis ad inſtituti noſtri rationem pertinere videtur. *Poſſuntne in vrbibus et circa eas arbores plantari, ita ut ne ſanitati incolarum officiant, ſuntne earum exhalationes ſanitati contrariae, dum aërem inficiunt; et quaenam arborum genera ſunt optima et peſſima?*

Elaborationes vſque ad 1. Decembris 1780. ſunt mittendae Hollandica, Gallica et Latina lingua ſcriptae, ſolutis vectigalibus et eadem ratione quae aliis, ad Cl. VAN HAEFTEN, qui Societati ab epiſtolis eſt. Praemium eſt moneta triginta numorum aureorum Hollandicorum valore ſ. prout libet ei, qui accipiet, triginta numorum.

Ad Societatis Scientiarum *Harlemenſis* quaeſtiones a nobis ſupra *) indicatas addimus praeterea ad annum 1781 vnam: *Quaenam analogiae ſint fundamenta et ſigna? Quomodo philoſophum ad explorandas phyſicas et morales veritates ea vti oporteat.*

Ex *Lipſicae* Scientiarum Societatis *Iablonowianae* quaeſtionibus ad annum 1780. traditis, haec hic eſt indicanda: *Num vſtilago frumenti vnius eiusdemque, aut diuerſi ſit generis; num ea a vermibus producatur, ſive hi ab uſtilagine pendeant, ſive accidentales ſint. Quomodo, ſi prius verum eſt, hi vermes oriantur et ſi poſterius ſumitur, vnde uſtilago proueniat, et qua*

ratione

*) vid. ſupra. p. 525.

ratione inde vermes? Poteſt ne demonſtrari vermes gigni per tempeſtatem ſeu eos modo in ea euolui.

Omnes commentarios oportet niti experientia et periculis ſuntque vermium icones addendae, ſeu loca, vbi probae icones ſunt, laudanda. Exſpectantur commentarii initio novembris 1780 Latine et diligenter ſcripti et ad Cl. CLODIVM, qui ſocietati eſt ab epiſtolis, mittendi.

Ceterae eorum mittendorum cautiones cum aliarum Societatum legibus conueniunt. Quaeſtionem de theoria Neutoniana et Euleriana *de lumine et colore*, quam non diu ante retulimus *), ad hunc annum repetiit Societas.

Cl. MEYER in locum b. ADELBVRNERI **) *Altorfi* ſucceſſit.

Cl. AVGVSTO GOTTLIEB RICHTERO Regis medici honores ſunt tributi *Gottingae*.

Dresda haud ita pridem ex Sereniſſimi noſtri Electoris iuſſu Fribergam Hermundurorum euocatus fuit CAROLVS FRIDERICVS WENZEL, Vir Eruditus, ſuoque potiſſimum *de corporum affinitatibus* tractatu, quem nuper laudauimus ***), celebris, vt chemiae, metallurgiae, aliarumque artium praecepta iis, qui metallicis rebus cognoſcendis ſtudent, traderet, ſimulque GELLERTI, viri meritiſſimi, propter ſenium autem, aduerſamque valetudinem laboribus iis in locis, vbi metalla excoquuntur, gerendis vix amplius idonei, vicem impleret.

Cl. IO-

*) vid. ſupra. p. 343.
**) v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 527.
***) vid. ſupra. p. 91.

Cl. IOANNES PETER EBERHARD Philoſophiae et Medicinae Doctor et Profeſſor, die 17 Decembr. 1779, catarrho ſuffocatiuo, ſuperata febre tertiana, quinquageſimo et ſecundo aetatis anno *Halae* obiit.

Qui ante aliquot annos muneris vacationem habuit Cl. IOANNES ANDREAS DE DARELLI Reg. Coll. Medici Aſſeſſor et Noſocomii Holmienſis Medicus primarius *), e viuis eſſe deſiit.

Cl. PETRVS KALM **) Theologiae Doctor Oeconomiae Profeſſor et Ordinis Regii Waſiaci membrum aetatis anno ſexageſimo et tertio die 16 nouembris 1779, *Aboae* mortuus eſt.

Cl. IOANNES BAPTISTA BVCQUET ***) natus 1747. vitam cum morte commutauit die 25 Februarii 1780. morbo lento et atroci praegreſſo.

Cl. IOANNES CHRISTOPHORVS POHL, Philoſophiae et Medicinae Doctor, Pathologiae Profeſſor Publicus Ordinarius, Facultatis Medicae Senior, Colleg. B. M. virgin. h. t. Praepoſitus, Academ. Decemvir. Coll. maior: Princip. Collega, Phyſic. Provincial, et Academ. Imper. N. C. Sodalis, a. d. 26 Auguſt. 1780. maraſmo ſenili diem obiit *Lipſiae*.

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 546. it. Vol. XIX. p. 42.
**) v. comm. noſtr. IIdae decad. indic.
***) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 329.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1776 prodierunt.

In HIPPOCRATIS COI librum de fracturis commentaria ANDREAE MAXIMINI. Rom. 4.

F. A. MEYERS *Beſchreibung des Schwefelwaſſers, zu Haſede unweit Hildesheim.* 8.

Pomona Franconica. Déſcription des arbres fruitiers les plus connus et les plus éſtimées en Europe, qui ſe cultivent maintenant au jardin de la cour de Wurzbourg cet. Pomona Franconica, *oder natürliche Abbildung und Beſchreibung der beſten und vorzüglichſten Europäiſchen Gattungen, der Obſtbäume und Früchte, welche in den hochfürſtl. Hofgarten zu Würzburg gezogen werden. Nebſt den hauptſächlichſten Anmerkungen, über deren Erziehung, Pfropfung, und Pflege, von* IOH. MAYER. I. *Theil. Nürnberg.* 4.

F. C. MEDICVS *Sammlung von Beobachtungen, aus der Arzneywiſſenſchafft. Neue Auflage. Zürch.* 8. (Primam editionem vide in comm. noſtr. decad. II. Suppl. II. p. 204.)

THOM. MEIAN diſſ. de cataracta. Monſpel. 4.

Landapothecke oder Sammlung der beſten Arzneyen für Menſchen und Thiere, nebſt einen Anhange von den Mitteln, Ertrunkene, Erfrorne, Erhenkte und Erſtickte zu retten, von C. I. MELLIN. *2te Ausgabe. Augsburg.* 8.

F. L. MELTZERS *Beſchreibung der Peſt, anno* 1770. 1772. *in Moskau. Moskau.* 8.

LEVIN MENDEL diſſ. de ſuffocatis. Argentorat. 4.

I. M. MENCK diſſ. inaug. de curationibus vlcerum difficilium, praeſertim in cruribus obuiorum. Gotting. 4.

IO. RVDOLPH MEYER diſſ. de ſtrangulationibus inteſtinorum in cauo abdominis. Argent. 4.

SALAM. THEOPH. DE MEZA opuſcula pathologica practica. Hafn. et Lipſ. 8.

ANT. MICHELIZ diſſ. de ſyſtematica ſalium diuiſione. Vienn. 8.

P. MILLERS *allgemeines Gärtnerlexicon, nach der allerneueſten Ausgabe aus dem Engliſchen überſetzt, 4. Theil. Nürnb.* 4.

EIVSD. *Abhandlung von der Färberröthe, worinnen ſowohl von den Bau als von der Zubereitung derſelben ausführliche Anweiſung gegeben wird. Aus dem Engliſchen. Nürnberg.* 8. *m. K.*

ACHILL. MIEG Spec. IIdum obſeruationum botanicarum, anatomicarum et phyſiologicarum. Reſp. *Melch. Mieg.* Baſil. 4.

Orationes in diuerſis Facultatis Medicae Pariſinae actibus habitae a M. PETRO ABRAMO PAION DE MONCETS. Pariſ. 8.

I. I. DE MONETA *Abhandlung, daß die Kälte und das kalte Waſſer in Catharkrankheiten und Catarrhuſten, wahre Hülfsmittel ſind. Warſchau.* 8.

Loix du Magnetiſme, comparées aux obſeruations et aux expériences, dans les différentes parties du Globe terreſtre, pour perfectionner la theorie generale de l'Aimant, et indiquer par là des courbes magnetiques qu'on cherche à la mer ſur les cartes reduites. Par Mr. LE MONNIER. à Paris. 8.

F. S. MORAND *vermiſchte chirurgiſche Schrifften. Aus dem Frantzöſiſchen. Leipzig.* 8.

MORGAGNI *von dem Sitze und Urſachen der Krankheiten etc.* (v. ann. praeced.)

I. F. MOSEDER diſſ. de dyſenteria, quam excepit aphonia. Argentor. 4.

I. L. C. MÜMLER diſſ. de commercio animi et corporis. Helmſt. 4.

O. F. MÜLLER zoologiae prodromus (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 302.)

MVRRAY apparatus medicaminum cet. Vol. I. (*v. ibid. Vol. XXII. p.* 353.)

EIVSD. *medeciniſche Bibliothec.* 2. *Band.* (v. ſupra.)

EIVSD. diſſ. ſiſtens ſyllogen obſeruationum de partu laborioſo. Reſp. *Ioſ. Gerſon.* Gotting. 4.

EIVSD. progr. de phthiſi pituitoſa. ibid. 4.

EIVSD. progr. de tempore corticis Peruuiani in tuſſi conuulſiua exhibendi. ib. 4.

EIVSD. progr. de redintegratione partium cochleis limacibusque praeciſarum. ib. 4.

An eſſay on the nature and cure of the ſo called worm fever. By SAM. MVSGRAVE. Lond. 8.

EIVSD. Speculations on the qualities of the nerves. (*Prodiit verſio Germanica.* vid. ſupra p. 494.)

EIVSD. de arthritide primigenia et regulari. Opus poſthumum editum a GVILIELMO MVSGRAVE. London. 4.

IO. ERNEST. NEVBAVER deſcriptio anatomica rariſſimi peritonaei conceptaculi tenuia inteſtina a reliquis abdominis viſceribus ſecluſa tenentis. Ien. 4.

T. NEVFVILLE diſſ. ſiſtens hiſtoriam pneumoniae eiuſque ſedem. Edinb. 8.

Practical remarks on Weſtindia diſeaſes. By * NEWBERG. Lond. 8.

E. N. NICOLAI progr. de modo agendi aperientium et martialium medicamentorum. Ien. 4.

EIVSD. progr. de cauſa, cur ferrum per cuprum praecipitetur. ibid. 4.

EIVSD. progr. de cauſis cataractae externis. ib. 4.

EIVSD. progr. de affinitate corporum chemica. ibid. 4.

Eſſai

Eſſai ſur l'hiſtoire naturelle de S. Dominique. Par Mr. NICOLET. à Paris. 8.

H. NVDOV diſſ. ſiſtens animaduerſiones de contagio. Lipſ. 4.

EIVSD. examen partitionis neruorum in ſenſorios atque motorios. ib. 4.

K. Lazarettet i Stockholm beſkrifvit uti et Tal inför kongl. Vetenſkaps-Academien vid Praeſidii nedläggande d. 2. Nov. 1776. af. IO. LOR. ODHELIVS. Stockholm. 8.

D'una Szuzie particolare di ſcorbuto diſſ. di IACOPO ODOARDO. Venedig. 8.

P. S. PALLAS *Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere, 5te und 6te Sammlung.* (v. ſupra.)

PAION DE MONCETS V. MONCETS.

EIVSD. *Reiſe durch verſchiedene Provinzen durch das Ruſſiſche Reich. 3ter Theil. Petersb.* 4. (Primam et ſecundam partem vide comm. noſtr. Vol. XXI. p. 288. et 562.)

A. F. PALLAS *Chirurgie oder Abhandlung von äußerlichen Krankheiten: worinnen vornehmlich auch die neuern Erfindungen in dieſer Wiſſenſchafft kurz vorgetragen werden. Nebſt einen vollſtändigen Verzeichniß der chirurgiſchen Werkzeuge, wie auch einer Abbildung einiger noch nicht ſehr bekannten Inſtrumente, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer. Zweyte viel vermehrte und verbeſſerte Ausgabe. Berlin.* 8.

